www.e-rara.ch

Summa omnium haeresum et catalogus schismaticorum, haereticorum, et idolatrarum

Medici, Sebastiano

Florentiae, 1581

Stiftung der Werke von C.G.Jung, Zürich

Shelf Mark: Online

Persistent Link: https://doi.org/10.3931/e-rara-8083

www.e-rara.ch
Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Visual Library

SVMMA

OMNIVM HAERESVM

ET CATALOGVS SCHISMATICORVM, HAERETICORVM, ET IDOLATRARVM.

Authore SEBASTIANO Medice, Florent. D. Equite S. Stephani, & Proton. Apostol.

FLORENTIAE
In Officina Sermartelliana. 1581.

S. D. GREGORIO XIII.
PONT. OPT. MAX.

VIA malum tanto dicitur peius, quanto magis admit de bono; Hæresis crimen dicitur grauissimum, eò quod nobis aufert, quod est optimum, & eò vsq; hominem ducit, vt dicat (velut insipiens) in corde suo non est Deus: ipsa enim fundamentum nostræ salutis impetit, quod est fides, sine qua impossibile est placere Deo, ea resistitur diabolo, Iustus ex ipsa viuit, per illam Sancti vicerunt regna, operati sunt Iustitiam, adepti sunt repromissiones: quod cum

egomet ſæpe mecum animaduerterẽ, ac præteritis annis Summã peccatorum (quæ praua volũtate committuntur) in lucem ediderim, in animũ induxi meum, Summã delictorum conſcribere, quæ in errore intellectus conſiſtunt: illa enim ad hoc præcipuè tendit, vt homines in charitate ambulent non ficta, hæc autem, vt in vnitate veræ fidei maneant; quam quidem tuo ſanctiſsimo nomini dicandam eſſe conſtitui, eamq; tibi iucundam fore exiſtimaui, cum tu geras vices illius in terris, qui propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, facit, vt ſumentes in omnibus ſcutum fidei (contra quem portæ inferi nunquam præualebunt) poſsimus omnia tela nequiſsimi ignea extin-

extinguere ; quo solo Patres aliquando & infideles ad fidem traxerunt, hæreticos expugnarunt, & fideles confirmarunt ; obsecro igitur Sanctitatem tuam, vt id munus qualecunq; sit grato animo accipiat, sitq; deuotionis meæ erga illam clarissimum monumentum ; interim deprecor eum, qui pro te rogauit vt non deficeret fides tua, vt pro totius Ecclesiæ tranquillo statu diù tueatur te, & incolumem seruet. Florentiæ Nonis Mart.
M D L XXXI.

Ad pedes Sanctitatis tuæ substratus

Humillimus seruus,

Sebastianus Medices.

OMNE Infidelitatis peccatum in renitendo fidei consistit. S. Thom. 2. 2. q. 10. Art. 5. quod quidem contingere potest dupliciter; aut.n. renititur Christianę fidei non dum susceptæ, aut verò susceptæ; Primo casu est infidelitas Gentilium, vel Paganorum. Secundo autem aut renititur fidei susceptæ in figura, aut in manifestatione veritatis. Primo casu est infidelitas Iudæorum. Secundo verò est infidelitas Hęreticorum. Vndè in generali possunt assignari tres species Infidelitatis, Gentilium scilicet, Iudæorum, atque Hęreticorum. Alph. de Castro libr. 7. aduer. hæreses ver. Hæreticus hær. 3. in quibus duo consideranda sunt. Primum corruptio eorum, quę ad fidem pertinēt; secundum quod cum in pluribus errent Gentiles, quàm Iudęi, et Iudæi quàm Hæretici, grauior est infidelitas Gentilium, quàm Iudęorū, et Iudæorum quàm Hęreticorum: aliud quod consideratur, est comparatio eius ad fidem, secundum quam infidelitas hęreticorum est grauior quàm Iudęorum; quorum tamen est grauior infidelitate Gentilium, qui nullo modo fidem susceperunt: grauius.n. peccat contra fidem, qui fidei renititur susceptę, quàm qui renititur fidei non dum susceptæ (Primum .n. habet magis rationem culpæ, alterum autem pœnę, S. Thom. d. loco Art. 1.) sicuti grauius peccat,

cat,qui non implet quod promisit,quàm si non impleat quod nunquam promisit. Vndè 2.Pet. 2.Melius erat.n.illis non cognoscere viam iustitię, quàm post cognitionem retrorsum conuerti,vndè Gentiles et Iudæi, qui fidem euangelij non sunt susceptí, non sunt cogendi ad fidem profitendam, sicuti cogi possunt Hæretici, et Apostatæ ad obseruandum, quod iam promiserunt S. Thom.d.loco.Art.8. similiter Gentiles et Iudæi eorumque ritus tolerantur S. Thom. d.loco Art.11.c. Qui syncera Dist.45. Hæreticum autem hominem (inquit Paul.ad.Tit.3.) post primam et secundā correptionem deuita c. Resecandę 24.Quęst.3.S.Thom.2.2.Quęst. 11.Art.3.Vtilitas tamen,quę quandoque prouenit ex illis,habetur pręter eorum intentionē Aug.lib.1.Cōntra Manich.S.Thom. 2.2.q.11 Art.3.ad secundum c.fin.24.q.3. ibi Ideò diuina prouidentia multos diuersi erroris Hęreticos esse permittit, vt cum interrogant nos ea, quę nescimus,sic discutiamus pigritiam,et diuinam scripturam capiamus. Propterea Apost. ait.1.Cor.11. Oportet hęreses esse,vt probati manifesti fiant; intentio aūt infidelū est corrūpere fidem,quorum propositum tollitur disputando cum eis, eosque conuincendo authoritatibus,et rationibus.Greg.2.Past.c.2.Sicut incauta loquutio in errorē protrahit,ità indiscretum silentium eos,qui erudiri poterant, in errore derelinquit, Ideò Saulus inualescebat, et confundebat Iudeos,loquebatur Gentibus, et disputabat cum Gręcis. Act.9. quod etsi factū

fuerit

fuerit à pluribus grauiſsimis ſcriptoribus, qui plurima volumina aduerſus omnes infideles ſcripſerunt; nihilominus, quia gaudent breuitate moderni Gloſ. l. 1. ff. Quod metus cauſa, in animum induxi meum in hac Summa eorum dicta ſummatim ad confutandos errores infidelium, et ad exercitium fidelium pro viribus referre, vt docet S. Thom. 2. 2. q. 10. Art. 7. et inuocato diuino Trinitatis præſidio, quo conſequamur bonum initium, melius medium, et optimum finem. l. Deo nobis C. de Epiſcopis et Cleric. quia ordo eſt figura ſubſtātię cuiuſlibet rei, dixi in Proem. de leg. et ſtat. n. 8. diuidā totam Summam in partes tres; diuiſio. n. animū legentis incitat, mentem intelligentis prępărat, memoriā artificioſè reformat Gl. §. Igitur ver. Partiri. in proem. Inſt. In prima ponam primò de hęreſi in genere, cum à generalioribus ſit initium ſumendum §. His igitur inſt. de Iuſt. et Iure, deinde de pluribus ſpeciebus eius, non quidem de ſingulis; quia ſi diſtinguantur infidelitatis ſpecies ſecundum errorem in diuerſis, quæ ad fidem pertinent, tunc non ſunt determinatæ infidelitatis ſpecies, quia poſſunt errores in infinitum multiplicari S. Thom. 2. 2. q. 10. Art. 5. In altera verò partę primò dicam de ſchiſmaticis, deinde de hæreticis. Hæreſes. n. ſuam ad originem reuocaſse refutaſse eſt. In vltima, quia poſt hęreſim ſequitur Idolatria, primò tractabitur de Idolis, deinde de ſacrificijs eorū; quibus expletis completa erit Summa omnium hęreſum.

SVMMA OMNIVM HÆRESVM.

AVCTORE SEBASTIANO
Medice Florentino Doctore.

Hæresis quid sit. Quæst. I.

PRIMO' quæro quid sit hæresis? Resp. hæresis est dogma falsum fidei orthodoxæ repugnans; exempl. in eo, qui furatur, qui dicitur hæreticus, si credat furtum non esse peccatum, secus si credat illud esse peccatum; si quis tamen deprehensus fuerit in exercitio iudaicæ cæremonię, aut alicuius ritus Saracenorum, vt puta, quia Sabbatum obseruat, aut agnum Paschalem comedit, velut hæreticus punietur, quia vehemens est suspicio, quod in huiuscemodi rebus voluntas regatur ab intellectu, ita vt quod faciat, sic credat esse faciendum; dicitur.n. Mat.7. A fructibus eorum cognoscetis eos, et qualis est vnusquisque, talia dicit, et operatur: Ecclesia.n. de his, quæ foris sunt iudicat, quæ si solent fieri

ſolum ab hæreticis, tamquam hæretici puniuntur qui talia agunt; præcepta.n. cæremonialia ſunt iam ſublata. An autem intellectus ſit concors operi nec ne, Deus nouit, qui intuetur. Cor. Alph. lib. 1. c. 1. hæreſis autem dicitur tribus modis, primo ab eligo eligis vnde hæreticus quaſi electiuus c. hæreſis 24. q. 3. ſecundo dicitur ab adhęreo adhęres, vnde hęreticus quaſi adhæſiuus, tertio ab excidor excideris, qđ idem eſt quod diuido diuidis, vnde hæreticus quaſi diuiſiuus à communi vita, direct. Inq. 2. p. q. 1. de hac defin. dixi in Summa pec. Cap. p. 1. tit. 2. quęſt. 32.

Scripturæ canonicæ quæ ſint, quibus hæreſes reuincendæ ſunt. Quæſt. II.

SECVNDO quęro, quæ ſunt canonicæ ſcripturæ, quibus hæreſes reuincendæ ſunt. Reſp. primo quod eſt ipſa ſcriptura, quam Deus manibus hominum ſcripſit. Pſal. 44. ibi lingua mea tanquam calamus ſcribę velociter ſcribentis, et Luc. 1. ibi loquutus Dominus per os ſanctorum, qui à ſeculo ſunt Prophetarum eius, et ad Hębr. 1. Multifariam multiſque modis olim loquens Deus patribus in Prophetis, nouiſsimè diebus iſtis loquutus eſt nobis in filio et 2. Pet. 1. non.n. voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirante loquuti ſunt ſancti Deĭ homines, et Mat. 10. non.n. vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus

spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis, et hæc sacra scriptura dicitur quæ continetur in libris veteris, ac noui testamenti, de quibus in Concil. Florentino, et Concil. Trid. sess. 4. dicens in fine, si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt, pro sacris, et canonicis non susceperit, Anathæma sit, de his doctissimè tractat. Hosius Cardin. Varmiensis in libr. de expresso Dei verbo. Post talem scripturam veteris, et noui testamenti non est alia scriptura, quæ diuina mereatur appellari, nam quamuis multæ sint, quæ magnam habeant authoritatem, multo tamen prænumeratis imparem, cuius scripturæ sacræ solus sensus literalis est efficax ad hæreticos vincendos, sicuti solus est ad aliquod dogma destruendum, aut fulciendum; sensus tamen Mysticus si ex alijs scripturæ locis apertè constare poterit, quod iuxta Germanam interpretationem sit, erit ad comprobationem dogmatis alicuius admittendus; sicuti Paulus volens probare Galatis per aduentum legis Euangelicæ esse abrogatam legē Mosaycam, adducit illud quod dixit Deus ad Abraam: Eijce Ancillam, et filium eius, non erit hæres filius Ancillæ cum filio Liberæ, per Liberam intelligit legem nouam, per Ancillam autem legem veterem, quę sunt per allegoriam dicta, ad Gal. 4. et not. quod sensus literalis aliquando sumitur ex ipsarum vocum nuda significatione, aliquando capitur nō ab ipsis vo-

cibus, sed à re per voces significata; vbicunque .n. Metaphora, aut translatio, aut figurata aliqua loquutio inuenitur, ibi non est dicendus sensus literæ, is quem voces prima significatione exprimunt, sed is, qui ducitur ex similitudine, quam res vocibus significata cum alia re habet; alioquin sequeretur absurdum, si iuxta nudam vocum significationem caperetur, vt cum in scriptura Deus dicitur Leo, Agnus Petra, Vitis etc. est igitur literalis sensus, quem voces, aut res vocibus expresè signant, nec tamen omnis talis, sed ille solus, quem spiritus sanctus intendit, vnde sacrarum scripturarum interpretatio, quam quisque fidelis amplecti tenetur, ad solam Ecclesiam pertinet; alioquin, si cuique liceat pro suo arbitratu scripturam interpretari, nulla patet via conuincendi hæreticum, Ecclesia igitur interpretabitur scripturam, quæ errare non potest, cum sit edocta à spiritu sancto, Iohan. 14. Alium paracletum dabo vobis, qui suggeret vobis omnem veritatem, et Mat. 27. ero vbiscum vsque ad consummationem seculi, neq; est admittendum, quod dicit Lutherus in lib. de cap. Babilonica, dicens cum de Sacramento Eucharistiæ dixerit: verbis diuinis non est facienda vis, neque per hominem, neque per Angelum, sed quantum fieri potest, in simplicissima significatione seruanda sunt etc. nam si hoc verum esset, sequeretur absurdum, et fouerentur multæ hæreses: nam Iohan. 14. dicitur. Pater maior me est, si

nulla

nulla alia adhiberetur interpretatio, vtique foueretur hæresis Arriana, si autem quæro quæ sit interpretatio Ecclesiæ dicas, quod non semper est conuocandum Concilium, sed recurrendum est ad sensum, quem tenuit, et tenet Sanct. Romana Ecclesia seu quẽ tenuit, et tenet com. opin. doct. ita Concil. Trid. sess. 4. c. 2. §. præterea; scriptura igitur sacra veteris, et noui testamenti interpretata ab Ecclesia iuxta sensum literalem, quem voces, aut res vocibus expressè significãt, erit primum telum ad cõuincendum hæreticos, secundò sunt traditiones vniuersales ecclesiæ, aut definitiones in his, quæ fidem spectant, quæ etiã si aperta scriptura in earum comprobationem desit, nõ minoris sunt authoritatis, quàm ipsa sacra scriptura; ratio est, quia non minus efficax est ad docendum fidem, et mores vox docentis, quàm scriptura, immo longè efficacior, teste Hyeron. scribente ad Paulinum dicens, quid prohibet diuinum spiritum astare Ecclesiæ loquenti, perinde ac Euangelistæ scribenti, cũ ipse dicat Apost. Mat. 10. non estis vos, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis, nec destituit Deus iam Ecclesiam suã spiritu suo, et per os eius loqui, cum dixerit Mat. 28. Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi, si credimus scripturæ diuinæ, per manum Euangelistarum, cur non credimus voci diuinę per os Ecclesiæ prolatæ? præterea, si credimus hoc Euangelium esse Mathęi, illud Lucæ, quia Ec-

cleſia hoc teſtatur, cur nō credimus eidem eccleſiæ dicenti reliqua, et ſi ſcripturis ea minimè confirmet? Præterea non legimus Chriſtum aliquid ſcripſiſſe, ſed ſolum verbo docuiſſe, ex cuius verbis multa præterierunt Euangeliſtæ, quorum nullam prorſus fecerunt mentionem; vnde Iohan. vlt. cap. ſunt, et alia multa quæ fecit Ieſus, quæ ſi ſcriberentur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt libros: Præterea multa fuerunt Apoſtolorum dogmata, et præcepta de Regimine Eccleſiæ, quæ ſcripto minimè fuerunt mandata act. Apoſt. c. 16. Præterea Paulus 2. ad Theſal. ibi itaque fratres ſtate, et tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam noſtram. 2. ad Tim. 2. ibi, tu ergo fili mi confortare in gratia, quæ eſt in Chriſto Ieſu, et quæ audiſti à me per multos teſtes, hæc cōmenda fidelibus hominibus. Preterea præceptum pendet ab animo obligandi, non autem à ſcriptura, præterea in ore duorum vel trium ſtat omne verbum, ergò eccleſiæ credendum eſt, quod dicit, quia conſtat ex omnibus fidelibus. Præterea eccleſiæ authoritas fuit ſemper eadem, at in primordijs naſcentis Eccleſiæ non dum erat ſcriptura, et regebatur traditionibus, cur aūt, et hodie eodē modo non regeť? Prętерea adeſt in hoc com. opi. Patrū Aug. in Epiſt. 118. ad Ianuariū Ioan. Damaſc. de fide ortod. lib. 13. c. 4. Origen. Hom. 5. ſuper. Num. Irenęus. lib. 3. c. 4. aduerſ. hęreſes. Hoſius Card.

Var-

Varmiensis tit. de traditionib. c. 92. Præterea ad est definitio Ecclesiæ vt in Bulla Pij. 4. de ꝓfessione fidei et in Conc. Trid. sess. 4. Ecclesiæ traditionibus igit̃ est obediendum, ẽt in his, quæ scriptura nõ loquit̃, quia ipsa authoritatẽ scripturę tribuit. Tertio est authoritas Sedis Apostolicæ de qua dicam infra ver. Papa, et authoritas Conciliorũ authoritate summorum Pontificum congregatorum, et approbatorum, de qua dicam infra ver. Concilium; nulla quoque scriptura cuiuslibet hominis quantumlibet docti, et sancti est efficax ad hæresim conuincendam, nisi ex sacrę scripturę testimonio aut ex Ecclesiæ definitione id esse constiterit, nam id solum efficax erit ad reijciendum, quicquid illi rei clarè dignoscitur repugnare. Huiusmodi verò testimonium, quod nos alicui credulitati faciat obnoxios, oportet vt à tali persona habeatur, de qua constet eam nec posse falli, nec fallere velle, at dicit scriptura omnis homo mendax non est igitur conueniens, vt ei qui aut falli, aut fallere potest, qualis est, quiuis purus homo sub interminatione gehæmnę credere debeamus, non tamen ideo Illustrium virorum, et per multa secula prælatorum dicta sunt reijcienda, aut floccipenda; Nam hoc esset maximè audacię, quia habenda est ratio vitæ, perindè ac doctrinę, nam anima viri sancti enunciat aliqñ vera, magis quã septem circum spectores sedentes in excelso ad speculandum, si ergò vni viro docto, ac sancto tantum tribuendum

est, quantum erit tribuendum omnibus alijs in eadem re consentientibus? Tunc certè temerarium erit aduersus omnes sentire, cum inter omnes de eadem re conuenit. Nam et si errare et labi in aliquibus potuerunt, vt homines; in rebus tamen arduis ad fidem spectantibus vt concorditer errauerint, nunquam credendum est, nam Ioan. 14. dicitur et ego rogabo patrem et alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis: et infra; Paracletus autem spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis, quæ verba intelligi debent, non solum de Apostolis, sed etiam de alijs doctoribus Ecclesię, quorum concors sententia valida est ad conuincendam hęresim, et Conc. Trid. sess. 4. docet interpretandum esse scripturam iuxta vnanimẽ cõsensum patrum, quod idem firmat Pius 4. in Bulla de professione fidei, quoniam nullo pacto credibile est, vt Deus illos oẽs errare permittat, immò non est credibile eos in vnam eandem veniisse sententiam; nisi à spiritu sancto vno eorum omnium magistro fuissent edocti Aug. lib. 10. de ciuit. dei cap. 41. vndè qui contra communem interpretatur, potest dici vt in Genes. 16. Manus eius contra omnes manus omnium contra ipsum, ideò dicitur Deut. 32. interroga patrem tuum, et annunciabit tibi, maiores tuos, et dicent tibi, et Iob. 8. interroga generationem pristinã, et diligenter inuestiga

patrum

patrum memoriam, vndè Concil. Tolet. 4. c. 9. citat Cyprianum et Hylarium in suę sententię comprobationem, et Concil. Constantinop. quod sexta Synodus appellatur condemnans opin. Mach. Episcopi Antiochęni citat Athan. Ambr. Cyprianum et Aug. et sic succedit quarto loco com. opinio. doct. ad conuincendā hęresim. Paulinus lib. 4. c. 1. de Conc. Eccl.

Sola sedes Apost. aut generale Concil. de hæresi censet. Quæst. III.

TERTIO quæro, ad quem spectet de hęresi censere? Resp. quod cum vna sit fides omnium vbique terrarum existentium, ad vnā solam Ecclesiam Romanā Catholicam, et Apostolicam pertinet eius difinitio: nam causa fidei tangit vniuersam Ecclesiam, quod autem omnium interest ab omnibus approbari debet, vel ab eo, qui omnium loco præest. c. maiores de Bapt. c. maiores. 17. dist. non obst. quod dicit Lutherus verum iudicem esse sacram scripturam: nam Resp. quod in veteri lege, lex ipsa nō erat iudex, sed sacerdotes Leuitici Deut. 17. Prętera si de ipsa scriptura est contentio, quarè ipsa scriptura erit iudex? Prętera Saluator Noster misit nos ad scripturas, vt ab illis peteremus testimonium, non iudicium Ioan. 5. ibi scrutamini scripturas, quia illę testimonium perhibent de me: caueant igitur hæreticę prauitatis Inquisitores, ne facile de hęresi pronuncient.

cient. si hęresis est etiam olim damnata, aut euidentissimis scripturę testimonijs deprehenditur et non humano ratiocinio, cui possit obuiari, tunc executores sunt, vt exequantur id quod citra hęreticos decreta Pontificum fieri iubēt. Si autem res est dubia an sit hęresis à non, non est eorum munus sententiam ferre, nec possunt censere de hęresi, cū hoc solius sit summi Pontificis, et nota quòd quamuis Apostolica Sedes, aut generale Concilium de hęresi censere possit, non tamen ideò assertio aliqua erit hęresis, quia Ecclesia definiuit, sed quia fidei Catholicæ repugnat, sed solum facit, vt nunc nobis pateat illud esse hęresim, quod antea nos latebat; quemadmodum .n. in lite super debitum, iudex ferens iustā sententiam, non facit eum debitorem, cum antea verè fuisset debitor; sed iudex facit, vt pateat esse debitum, quod prius fortè latebat, sicuti dicitur de Paulo act. Apost. 17. quod nouorum dęmoniorum annunciator esset, noua dicuntur, eo quod à Paulo essent nouiter prædicata.

Hæreticus quis sit dicendus, & quis hæresiarca
Quæst. IIII.

QVARTO quęro qui sit dicendus hęreticus? Resp. quod ad hoc vt dicatur hęreticus, plura requiruntur, primo vt fidem Catholicam semel in Bapt. susceperit, secundò post fidem susceptam requiritur error in fide,

Tertio

Tertio quod cum errore adsit pertinacia; sed an dubius in fide dici possit hereticus? Resp. quod sic, ideò Thomę dictum fuit Ioan. 20. noli esse incredulus, sed fidelis, quod intellige de eo, qui pertinaciter dubitat, non autem de illo, qui ex infirmitate dubitaret, vel ex ignorantia, paratus assentire, cum fuerit ab ecclesia monitus, non erit talis dicendus hereticus, hęc Alphons. c. 9. et 10. dixi in Summa pec. Capit. p. 1. q. 32. hęresiarcæ verò dicuntur qui errorem in fide inuenerunt, confinxerunt, aliosque docuerunt et magistri erroris effecti sunt c. qui aliorum 24. q. 3. direct. Inq. p. 2. q. 39.

Causæ quibus hæreses nascuntur
Quæst. V.

QVINTO quęro quibus ex causis hęreses nascuntur? Resp. ex pluribus, et prima omnium hęresum causa est immodicus amor sui. 2. Tim. 3. ibi in nouissimis diebus instabũt tempora periculosa, et erunt homines se ipsos amantes etc. Secunda est glorię cupiditas, ita Gregor. sup. 6. Iob. et Aug. in lib. de vtil. cred. ex qua sicuti oritur pertinacia, ita et iudicij etiam fallacia Esa. 6. excęcauit oculos eorum, et indurauit cor eorum, vt non videant oculis, et intelligant corde, et ad Ephes. 4. obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes etiam se sapientes stulti facti sunt. Tertia, non solum propter solã iniquitatem propriã permittit Deus homi-

hominem decipi, sed etiam propter peccatum interrogantis, seu discentis, doctorem alioquin bonũ Deus permittit falli, vt inquirentem iniquum decipiat Ezech. 24. ibi iuxta iniquitatem interrogantis fuit iniquitas Prophetæ, quarta causa est peculiaris alicuius vitij; inest .n. singulis hominibus à natura pronitas quędam ad aliquod vitium, et si non omnibus ad idem, nam alius ambitione, alius auaritia, alius luxuria detinetur, vnde in eo ad quod procliuis est facile labitur, vnde Cherintus, qui carnis delicias sperans dixit habituras in illa promissa beatitudine: quinta causa est assidua in libris prophanorum hominum, nempè gentilium lectio, et hoc maximè si illis ab infantia, sine illa rerum discretione imbutus est, vndè Hyerem. 13. ibi si mutare potest Etiops pellem suam, et pardus varietates suas, et vos poteritis benefacere cum didiceritis malum, tam .n. efficax est consuetudo, vt transeat in naturam: vndè ad Col. 1. videte, ne quis vos decipiat per philosopham, et inanem fallaciam, et Tert. de prescr. hęret. ibi ipsę denique hęreses à philosofia sub ordinantur; non sunt tamen omnino libri gentilium tollendi, quoniam in multis nos docere possumus, quorum cognitio est admodum necessaria ad sacrorum librorum intelligentiam; definitiones, et diuisiones habemus à Logica, et Metaphisica rerum causas origines, et proprietates ostendit Phisicus, ex quarum cognitione multa in scripturis abscondita nobis reuelantur,

tur, de Moyse dicitur quod doctus fuerit in omni sapientia Ægiptiorum act. Apost. 7. Aug. lib. 2. de doct. Christiana c. 28. sexta causa hęresum est Zelus, sed non secundum iustitiam, et discretionem, secundum quam lapsus est Ioan. Hus. et Mart. Luther. qui Zelo, et odio malę vitę clericorum, et quorundam Monachorum, cæperunt debacchari in clerum, in Pontificem Romanum, in ecclesiasticos ordines, et in Monachos omnes, cui morbo aliter obuiandum erat; admonendus .n. erat clerus, atque corripiendus, non tamen tollendus, malè quidem medetur, qui infirmum iugulat; etiam si de salute desperet, de quibus dicit Paulus ad Rom. 10. testimonium .n. perhibeo illis, quod æmulationem quidem Dei habent, sed non secundum scientiam; ignorãtes .n. iustitiam Dei, et suam volentes statuere, iustitię Dei non sunt subiecti; veri autem Catholici zelum habent multò certè ardentiorem, tamen secundum scientiam, quia cognoscentes iustitiam Dei, et suã nequaquam quęrentes statuere, iustitię Dei subijciuntur, quę non permittit minus malum per quoddam aliud maius tolli, septima causa est prelatorum negligentia, prelatorum munus est vigilare super gregem sibi commissum, ne scilicet aliquid superueniat, quod gregi possit nocere; vndè cum Christus verus, et bonus omnium Pastor nascitur dicit Luc. 2. quod Pastores erant in regione eadẽ vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum, et

Paulus

Paulus act. Apost. 20. ait, attendite vobis, et gregi vestro, in quo vos spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo, vnde Episcopus dicitur custos, et superintendens, et ideò tenemur illis obedire, quia ipsi inuigilant pro nobis, ad Hebr. 13. vnde Mat. 13. dum dormirent homines inimicus homo superseminauit zizania in medio tritici. Octaua causa est defectus prædicationis verbi Dei, quod .n. populus careat prædicatione verbi Dei, culpa est prælatorum, quibus dicitur Mat. vltimo prædicate Euangelium omni creaturæ, et Ioan. 21. ibi pasce oues meas et 1. Pet. 5. pascite qui in vobis est gregem, ne procedat, quod dicit Hyer. Tren. 4. paruuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis, ad prælatos .n. spectat illuminare populum, qui in tenebris ignorantiæ iacet Psal. 118. lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis, et infra, declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat paruulis; oportet .n. prius credere, et postea intelligere Esa. 6. nisi credideritis, non intelligetis; credere autem sine prædicatione non est possibile, Paulus ad Rom. 10. quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicatione? et infra, ergò fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei. Nona causa hæresis est sacrarum literarum in linguam vulgarem translatio, vnde euenit, vt ab hominibus sine vllo personarum discrimine legãtur; hæresis .n.

nun-

nunquam ex sacris literis, sed ex illarum peruersa intelligentia oritur: vndè 2. Pet. 3. loquens de Epistolis Pauli dixit, in quibus sunt quedam intellectu difficilia, quę indocti, et instabiles deprauant, sicut et cęteras scripturas ad suam ipsorum perditionem, et de his loquẽs Paulus. 1. Tim. 1. dicit eos non intelligere, neque quę loquuntur, neque de quibus affirmant, qualiter autem vulgus sciet cognoscere parabolas, qualiter aptabit similitudines, qualiter distinguet figuras locutionis, qualiter rerum proprietates considerabit, quo pacto sciet conferre prędecedentia sequentibus et media vtriusque. Decima causa hęresis est indifferens prędicatio verbi Dei per quoscunque sine vllo discrimine, et sine vlla examinatione; nam cum duo sint maximè necessaria ad prędicandum, bonitas videlicet, et doctrina, multi sunt prędicatores, quibus horum alterum deest, multi quibus deest vtrunque, est .n. maximè necessaria in predicatore doctrina, cum ad hoc tendere debeat, nempè docere populum, nec sat est, quod sit doctus, sed requiritur etiam quod sit bonus, cum sępè sint potentiora exempla, quã verba. Saluator .n. Noster prius cępit facere, deindè docere act. Apost. 1. et Dauid petijt prius sibi dari spiritum rectum, sanctum, et principalem Psal. 50. Postea dicit, docebo iniquos vias tuas; et impij ad te conuertentur, nam vt ait Gregor. cuius vita despicitur, restat vt eius prędicatio contemnatur. Vndecima

hęre-

hęresum causa est multorum Episcoporum, et aliorum sacerdotum indignitas, vt cum etiã suarum animarum curam habeant, nam Eccl. 14. qui sibi nequam est, cui vnquã bonus erit? vndè Paulus ad Titum. 1. oportet Episcopum sine crimine esse, et ad Rom. 2. inquo .n. iudicas alterum, te ipsum condemnas, et Prou. 28. dux indigens prudentia multos opprimet per calumniam et Eccl. 10. Rex insipiens perdet populum suum, et Mat. 15. Si cęcus cęco ducatum pręstat, ambo in foueam cadunt, et Hyere. 10. quia stultè egerunt Pastores, et dominum non quę sierunt, prętera non intellexerunt, et omnis grex eorum dispersus est. Duodecima, et vltima causa ex qua oritur hęresis est, superbia, auaritia, luxuria; de superbis dicitur ad Rom. 1. obscuratum est cor insipiens eorum dicentes .n. se esse sapientes stulti facti sunt, de auaritia dicit idem Paulus. 1. Tim. 6. qui volunt diuites fieri incidunt intentationem; et in laqueum diaboli, et desideria multa, et nociua, quę mergunt hominem in interitum, et perditionem. Radix .n. omnium malorum cupiditas, quam quidem appetentes errauerunt à fide, et inseruerunt se doloribus multis, de luxuria verò dicitur ad Ephes. 4. ibi hoc igitur dico, et testificor in Domino, vt iam non ambuletis, sicut et gentes ambulant, in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cęcitatem cordis ipsorum,

qui

qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitię in operationem immunditię omnis.

Hæretici qualiter agnoscantur.
Quæst. VI.

SEXTO quero quomodo agnoscatur hereticus? Resp. quod cognoscitur hereticus tripliciter. Prima coniectura est velle res nouas, et quę parum conducunt, prędicare, aut docere; signum .n. est quod se ipsum prędicare velit; non autem Iesum Christum, Ioan. 7. qui à semetipso loquitur gloriam propriam querit et 1. Tim. 6. ò Timothee depositum custodi, deuitans prophanas vocum nouitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidem promittentes circa fidem exciderunt; hanc nouitatem induxit Lutherus, cum dixit oēs Christianos esse sacerdotes, et ad Eucharistię sumptionem non esse necessariam confessionē, et hominem non habere liberum arbitrium, nullaque bona opera esse necessaria ad salutem. Secunda coniectura est nimia libertas in pronunciando, ad quam sunt aliqui adeò procliues, vt non dubitent, quicquid in buccam venerit asserere, cōtra quod dicit Iac. 1. Si quis putat se religiosum esse non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum huius vana est religio, et Iac. 3. Lingua inquietum malum plena veneno mortifero. Tertia coniectura est, vt si quis eum correxerit, vt ab errore suo reuocet, ostendat

illico impatientiam, quę si correxeris non emen datur sed deterior efficitur. 1. Tim. 4. Mali homines, et seductores proficient in peius in errorem mittentes, et ipsi errantes.

Differentia quarundam propositionum hæreticarum, erronearum, scandalosarum, & similium. Quæst. VII.

SEPTIMO quero, de differentia quarundam propositionum, et primo videamus quę sit propositio erronea; et dicas quod propositio erronea dicitur propositio falsa, quę est, non solum quando aliquid enuntiatur aliter esse, quàm est, sed etiam quando aliquis aliter assentit, quàm deberet, vt puta quia firmius, aut certius, quàm deberet, vndè Aug. in Enchirid. ad Laurent. c. 17. dicit Errare est approbare falsa pro ueris, aut improbare vera pro falsis, aut habere incerta pro certis, aut certa pro incertis, not. quod propositio erronea, genus est, quod sub se continet hęresim tanquam suam speciem, quia omnis hęresis est propositio erronea; non tamen vice versa omnis propositio erronea est hęresis dicenda, propositio hęresim sapiens est, quę ex ui suorum verborum parata est hęreticum sensum reddere, perindè ac catholicum, vt sunt istę propositiones, pater maior est filio, Christus est creatura. Tres sũt dij. Philosophi, gentiles in sola lege naturę saluari potuerunt, vndè hęc vltima pro eo hęresim sapit,

pit, quia si fidem excludit, est hęretica, si fidē de Deo non excludit est vera, et ideò sic nudę prolatę hęresim sapere videntur, et expositione indigent, et ideò ita præferendę sunt, ne aliquis ex eis scandalizetur. Absolute tamē propositio est hęretica, quando nudè prolata aliter non potest intelligi vt purgatoriū non esse, sacramenta non conferre gratiam, et similia.

Propositio scandolosa est, aut piarum auriū offensiua, quę auditoribus pijs occasionem ruinæ præbet; exempl. Hæretici sunt tollerandi, non occidendi, nam hæc viam latissimam aperit ad hæreses quascunque inducendas; quoniam facilitas veniæ incentiuum præbet delinquendi aliud exempl. Maioris meriti esse eleemosynam pauperi elargiri, quàm eleemosynam pro missæ sacrificio offerre.

Propositio temeraria est illa, quæ omni prorsus caret authoritate, aut ratione, exempl. dies iudicij erit infra annum; Discipuli Ioan. Bapt. dixerunt Tolle, Tolle crucifigge eum, plures fœmmæ saluantur, quàm viri, et similes; ab hac tamen nota liberatur propositio, et illius assertor, quamuis authoritate, et ratione careat, quā do aliqua vtilitas, ex illa assertione oriri potest, vt sunt multa, quæ viri contemplatiui gesta fuisse verisimiliter immaginantur, et populo narrata, optimos per illa suscitare possunt effectus. Talia sunt quædam iniuriosa verba, quæ à satellitibus Christo dicta sunt in facie; si tamen omni careant verisimilitudine, quantum

libet illa proficere sperent, temeraria meritò censebuntur; non .n. sunt facienda mala, vt indè veniant bona, neque Deus indiget mendacio nostro.

Propositio schismatica, et seditiosa est, quæ vnionē membrorum Ecclesię, aut vniuersaliter aut particulariter quomodolibet tollit. Exempl. Episcopus non est simplici sacerdote superior, Papa non est superior Episcopis, malo prælato non est obediendum, et similes propositiones.

Propositio iniuriosa est, quæ alicui fidelium statui, vel alicui Illustri personæ detrahit. Exē pl. Religiosus redditur inhabilior ad obseruationem mandatorum Dei, omnes de ordine mendicantium sunt hæretici, Ecclesia Romana est synagoga Sathanæ, Papa est Antichristus, cardinales sūt ministri Antichristi: oēs iste propositiones sūt iniuriosæ dicēdæ, qa apertissimas statibus inferunt iniurias: et not. qđ eadē assertio multis potest notis maculari: exempl. Religiosi viuentes in religionibus priuatis non sunt de religione Christiana. Hæc propositio est hæretica, quia contra vniuersalem est Ecclesiæ definitionem. Scandolosa, quia homines ab ingressu religionum auertit, et professis, vt vota, quæ domino vouerunt non reddant suadet. Temeraria. quia nulla prorsus ratione, aut authoritate fulcitur sed omnium sanctorum virorum opinioni contradicit. Schismatica. quia ecclesiæ vnitatem diuidit, cum religiosos ab

illa

illa separat. Iniurioſa, quia ſtatui religioſorum detrahit.

Pertinax quis dicatur.
Quæſt. VIII.

OCTAVO quæro, quis ſit pertinax dicendus? Reſp. per quatuor regulas. Quarum prima ſit talis, quiſquis ſcit aſſertionem ſuam eſſe contra ſacram ſcripturam, aut alicuius Concilij generalis decretum, aut Papæ legittimam definitionem, aut contra com. omnium Catholicorum doctorum ſententiam, aut contra tacitum totius eccleſiæ conſenſum, errat, et peccat, et ſi à peccato liberari cupit tenetur ſtatim errorem ſuum reuocare; is igitur, qui ſic ſciens errat ſtatim ſine vlla vlteriori monitione eſt pertinax cenſendus, quoniam ſacra ſcriptura, aut Eccleſiæ definitio, quam optimè nouit, pluſquam pro centum, nedum pro duabus aut tribus monitionibus valet. Secunda regula ſit, quiſquis contra fidem, quam Eccleſia Catholica tenet, per ignorantiam errat, ſi legittimè admonitus fuerit, tenetur errorem ſuũ reuocare, et ſi non fecerit eſt pertinax, et hęreticus cenſendus, et intelligo, quod ſit legitimè admonitus, vt ſi quis in hęreſim apertè damnatam inciderit, vt errorem ſuum reuocet, admonendus eſt per expreſſam hęreſis ſuæ damnationem, oſtendendo illi expreſſam Eccleſiæ definitionem, aut contradictoriam illius hæ-

resis ostendendo in sacra scriptura, aut cõtradictoriam illius euidenti, et immediata consequentia deducendo ex alijs in sacra scriptura contentis, et sufficit quod semel fiat admonitio, quod si errorem suum non reuocat, erit pertinax, et hæreticus censendus. Tertia regula sit quod omnis, qui per ignorantiam in fide errat, postquam fuerit, quamuis non legitimè, admonitus de errore suo, tenetur diligenter veritatem inquirere, et viros doctos, et Catholicos de ea reconsulere animo amplectendi eam doctrinam, quæ ab illis sibi fuerit ostensa; alioquin esset pertinax et hæreticus. Quarta regula sit, quod omnis, qui contra fidem, quam Catholica tenet Ecclesia, per ignorantiam errat, et iurat, se nunquam assertionem suam deserturum, statim absque vlla præuia admonitione est pertinax et hæreticus censendus, quia quisquis non est paratus corrigi est pertinax censendus. Sed qui iurat se non discessurum ab ea sententia, quam tenet, non est paratus corrigi, ergo ille est pertinax censensus, et not. quod protestatio generalis de fide, et conditionalis de hæresi reuocatio, si verè ex animo fiant, excusant coram Deo ab hæresis crimine eum, qui per ignorantiam in aliquam lapsus est hæresim, similiter qui nesciens errat in fide circa ea, quæ scire non obligatur, excusatus est ab Ecclesia per talem generalem protestationem, qui verò nesciens errat in fide circa ea, quæ scire obligatur per generalem fidei veram protestationem;

tionem ; et si coram Deo excusetur, non tamen excusatur apud homines, nisi fortè ignorantiam suam probare potuerit, quia quamuis nesciat, Ecclesia tamen præsumit eum scire, similiter quisquis asserit aliquid contra id quod scit esse Ecclesiæ Catholicæ fidem, aut dubitat de illo, quamuis generalem fidei protestationem fecerit, nullo modo talis fidei protestatio illi suffragari poterit, quin sit ab Ecclesia pro hæretico reputandus; est .n. protestatio contraria facto. Direct. Inq. 2. p. q. 40. Alph. de Castr. lib. 1. de iusta hær. pun. cap. 9.

Delicta quæ sapiunt hæresim quæ dicantur. Quæst. VIIII.

NONO quæro quæ delicta dicantur, quæ sapiunt hæresim? Resp. plura videlicet primo Blasphemia, quando scilicet profertur contra articulos fidei, vt potè quia Dei omnipotentiam infringit dicens, Deum non posse facibilia facere, quod est contra primum articulum fidei, qui est credere in Deum omnipotentem, et talis dicitur Blasphemia hæreticalis, et tunc talis Blasphemans, si in talibus verbis hæreticalibus vult stare pertinaciter, et illa defendere hæreticus est. si autem ad arbitrium iudicis fidei velit cum effectu illas hæreses reuocare, tunc si constet eum habuisse errorem in mente, ita vt aliqua crediderit fidei contraria eorum, quæ ore protulit, tenetur hæ-

sim abiurare c. ad abolendam de hæreticis, quod si relabatur, pœna relapsi debita puniatur c. accusatus de hæret. 6. si autem non constat clarè de mala sua intentione sed in ludo et extra ludum, vel frequenter Blasphemat debet arctari ad abiurandum vt vehementer suspectus. d. c. accusatus, si verò non frequenter, sed rarò in ludo, vel in ira tantum, tunc abiurabit tanquam leuiter suspectus, opus Iud. Inq. ver. Blasphemia num. 3. Direct. Inquis. 2. p. q. 41. Alber. de Agnosc. assert. hæret. q. 6. num. 25. q. 27. nu. 17. Simanca de Catholicis inst. tit. 8. Roias de hæret. p. 2. Assert. 12. doct. com. c. 2. de maled. Alphons. de Castr. lib. 1. c. 12. de iusta hæret. pun. Conradus lib. 5. de hæret. c. 20. Franc. tract. de fide Cath. c. 16. Secundum deli ctum est sortilegium, quod si per illud honor dabitur Dęmoni latriæ, vel duliæ, puerum rebaptizans, imaginem Baptizans, et sacramentis vtens et sacramentalibus, vel similia faciens, et hoc pro diuinando futura, vel cordis intima penetrando, quę sapiant hæresim manifestè, tales sortilegi, seu diuinatores, iudicium Inquisitionis non euadunt, sed hæreticorum legibus puniuntur c. accusatus de hæret. 6. quod si voluerit pęnitere sunt per iudices fidei ad abiurationem admittendi, aliàs si noluerint vt hæretici impœnitentes tradendi sunt curiæ seculari animaduersione debita puniendi. c. ad abolendam. §. præsenti de hæret. non quia sortilegi, vel diuinatores sint, sed quia hæreticalia in illis admi-

admiſcuerunt, et ſunt iudicandi manifeſtè, vel non ſecundum probationes, et indicia, in quibus deprehenduntur, ad hoc vt abiurent de manifeſta, ſeu de vehementi, vel leui, ſeu indicatur illis purgatio canonica, pro ut exactis colligi potuerit. Direct. Inq. p. 2. q. 42. opus iud. Inq. ver. ſortilegia, et ver. diuinatio Alph. de Caſt. lib. 1. c. 13. de iuſta hær. pun. Zanca tract. de hær. c. 22. Tab. ver. Inquiſitor. §. 1. Sylu. ver. hæreſis. 2. q. 3. Repert. Inquiſ. ver. ſortilegia, Albert. tract. de agn. aſſert. hær. q. 11. num. 3. Comenſis in lucerna Inquiſ. ver. ſortilegi doct. com. rubr. c. 1. et ſeq. de ſortileg. Simanca in Cath. inſt. tit. 62. n. 3. Tertiũ delictum eſt inuocatio dæmonum, quæ fit tripliciter.

Primò quibus manifeſtè exhibent honorem latriæ eis ſacrificando, adorando, orationes execrabiles effundendo, illis deuouendo, obedientiam promittendo, et alia illis ſimilia offerendo.

Secundò illis honorem duliæ exhibent, vt potè nomina dæmonum inter nomina ſpirituũ beatorum, vel ſanctorum in ſuis quibuſdam nefarijs orationibus miſcendo, mediatores in illis orationibus à Deo exaudiendis ponendo, cereos accendendo, et Deum per eorum nomina, vel merita obſecrando.

Tertiò quidam inuocant dęmones, ſed non apparet expreſsè de adoratione latriæ, vel duliæ, vt quando circulum in terra deſcribunt, puerum in eo ponunt, enſem, amphoram, vel aliud

aliud coram puero ſtatuens, librum negromanticum legens, dęmonem inuocans, per hæc et ſimilia; omnibus autem ſupra dictis modis, ſi fuerint inuocati dęmones, et inuocans quoquo modo ſit conuictus, vel confeſſus iudicialiter, tales non vt ſortilegi, ſed vt hæretici iudicio eccleſiæ ſunt habendi, et per conſequens ſi reſipiſcant, hæreſi primum abiurata, ſunt vt pœnitentes hæretici perpetuo immurandi, ſi autem noluerint deſiſtere vel ſi dixerint ſe velle deſiſtere et pœnitere, tamen noluerint abiurare, vel ſi abiurauerint, et poſtmodum relabantur, ſeculari ſunt iudicio relinquendi, vltimo ſupplicio puniendi, per omnia ſicuti de alijs hæreticis iudicant canonicæ ſanctiones; aduertendum tamen eſt ad tertium modum inuocandi dęmones circa petitionem, quæ fit à dęmone: nam ſi petitur quod excedit dęmonis facultatem, vt ſunt futura à Dei, vel hominis arbitrio merè dependentia, vel voluntate; tunc ex huiuſmodi petitione hæretici iudicantur; quia ſe proteſtantur dęmonem fore Deum, et in omnibus eſt apoſtaſia à fide, propter pactum initum cum dęmone, vel verbo tenus, ſi inuocatio interſit; vel facto aliquo, etiam ſi ſacrificia deſint; non.n. poteſt homo duobus Dominis ſeruire Marc. 8. hæc latè dicuntur in Direct. Inq. p.2.q.43. S.Thom.2. ſent. diſtin. 7. vbi Albert.Magn.artic.fin. et S.Bonau.Ioan.And. c.accuſatus.§.ſanè de hær.6.Arch.c.1.26.q.4. S.Thom.2. 2.q.96. per totam c. Epiſcopi 26. q.5.

q.5. Alph. de Cast. lib. 1. c. 14. & iusta hær. pun. Repert. Inq. ver. dæmon, Zanch. tract. de hær. c. 22. Albert. tract. de agn. assert. q. 11. nu. 4. Simanca in lib. Cat. inst. tit. 21. Quartum delictũ est. maleficiũ, quod cum exercetur per commixtionem alicuius sacramenti, aut rei sacramentalis, reddit ipsum operantem de hæresi suspectum; quoniam nisi ille crederet illa habere virtutem ad maleficiorum operationem, illa nõ adhibuisset, vt cum datur poculum amatorium seu fiunt ligaturę cum admistione rerum sacrarum ad consequendum aliquod intentum illicitum, Alph. de Castr. lib. 1. cap. 15. de iuxta hær. pun. Quintum delictum fraternizat cum præcedentibus, nempè strigarũ, et lamiarum, quæ in pluribus sunt apostatæ à fide c. qui sine 26. q. 2. coram Diabolo. n. Christum abnegarunt, Ecclesiæ sacramenta, et sacramentalia conculcarunt, ideò tanquam Diabolum adorantes dicuntur hæreticæ, et ab Inquisitore puniri possunt, opus iud. Inq. ver. lamiæ Alph. à Castr. lib. 1. c. 16. de iusta hær. pun. Simanca de Cath. inst. c. 37. Sextum delictum est quando Christiani transeunt ad ritum iudæorum, et conuersi ex iudæis effecti Christiani, ad dictum execrabilem ritum reuertuntur, hæretici sunt habendi; ideò si volunt redire, et sectam iudęorum abiurare, vt pęnitentes hęretici sunt ad misericordiam admittendi, sin minus iudici seculari sunt tradendi c. contra de hæret. 6. Direct. Inq. 2. p. q. 44. idem est dicendum de transeun-

seuntibus, vel redeuntibus ad ritum Sarraceno rum, seu alterum contra fidem Catholicã ibid. q.45.et q.49. Septimum delictum est si pertinaciter per annum steterit in excommunicatione; nam excommunicatus quicunque si post legitimas monitiones non resipuerit, non solum ad sacramenta, et communionem fidelium ac familiaritatem non recipiatur: sed si obdurato animo censuris annexus, in illis per annum insorduerit; etiam contra eum, tamqnam de hæresi suspectum procedi possit c.3. sess.25. de reform. Concil. Trid. si verò fuerit excommunicatus in causa fidei, vt quia noluerit obedire inquisitori, vel impedierit eius officium, seu receptauerit, et fautor fuerit hæreticorum, tunc si per annum steterit in tali excommunica tione, non vt suspectus de hæresi tantum, sed vt hæreticus est condemnandus, Direct. Inq.2. p. q.7. Zanca tract. de hær. c.9. n.3. opus iud. Inq. ver. excom. n.2. Repert. Inq. ver. excom. Octauum delictum est schisma, quãdo scilicet sunt diuisi, non solum quo ad obedientiam ab Ecclesia, verum etiam quo ad credentiam, quia nolunt credere determinationi Ecclesiæ, Direct. p.2.q.45.n.4. Nonum delictum est credere hæreticis, illisque fauere, eosque recipere, et defendere; nam credentes erroribus hæreticorum sunt excommunicati c. excõmunicamus il.1.§. credentes de hæret. et tales dicuntur hęretici c. excommunicamus il.2. eod. tit. credere autem hæreticorum erroribus dicitur verbis, et fa-

et factis, verbis confessione propria, dicendo se credere erroribus tantum, factis si quis aliquid ab eis receperit, quod spectet ad ipsorum ritum Direct. 2. p. q. 50. similiter receptantes hæreticos scienter nempè illos esse in errore, et latenter eos retinent, ne ad manum Ecclesiæ perueniant, tales receptatores suspecti vehementer de tali hæresum credentia habendi sunt c. excommunicamus. §. credentes de hæret. et est eis abiuratio indicenda, Direct. Inquis. 2. p. q. 51. hoc idem est dicendum de defensoribus, qui defendunt eorũ errores hæretici sunt, immo hæresiarcę dici possunt, c. qui aliorum 24. q. 3. alij non defendunt errores, sed personã errantem, ne ad manus iudicis perueniat, tales non hęretici sunt, sed bene suspecti vehementer, vel leuiter secundum quod defensionem fecerunt, et debent abiurare, doct. c. accusatus de hæret. 6. Repert. Inquis. ver. defensores Direct. 2. p. q. 52. hoc idẽ dicendum est de fautoribus eorũ, qui si ommittendo, vel cõmittendo in causa fuerunt, quo minus ad iudicem Ecclesiasticum non deuenerunt, quando tenebantur excommunicantẽ ipso facto, et incurrunt in pęnas, de quibus in c. excõmunicamus il. 1. §. credentes de hæret. dixi ommittendo cũ negligunt ea facere quæ debent, nempè vt capiantur, et iudici Ecclesiastico tradantur; cõmittendo vt si captos huiusmodi absque iudicis Ecclesiastici licentia è carcere liberant, vel processum directè, siue indirectè impediunt, et dicuntur impe-

impedientes officij Inquisitionis Direct. 2. p. q. 53. et seq. latè per totam.

Suspecti de hæresi qui dicantur esse.
Quæst. X.

DECIMO quæro, qui dicantur esse de hæresi suspecti? Resp. quod triplex est suspitio. Prima dicitur suspicio leuis, c. accusatus in princ. de hæret. 6. vt si aliqui reperiantur occulta conuenticula celebrantes, vel vita, ac moribus à communi conuersatione fidelium deuiantes c. excommunicamus il. 1. in fine de hær. Secunda suspicio dicitur vehemens c. accusatus in princ. de hær. 6. vt si aliqui reperiantur, qui eos, quos sciunt hæreticos fore, occultet, fauorem impendant, associent, visitent, munera offerant, recipiant, defensent. Tertia dicitur maxima, quæ in iure vocatur violenta c. cum contumacia de hæret. 6. vt potè si aliqui reperiantur, qui hæreticos adorauerint, seu eis reuerentiam suo more exhibuerint, consolationem, seu communionem ab eis receperint, et similia: tales. n. violenta suspicione de hæresi, et hæreticorum credentia sunt conuicti, doct. c. accusatus de hær. 6. Primis indicitur purgatio canonica, seu abiuratio de leui; secundis autem abiuratio de vehementi, quod si facere recusauerint excommunicantur, et si per annum contumaces permanserint, veluti hæretici puniuntur c. excommunicamus. §. qui verò de hæret. suspectus

de

de leui si post purgationem, vel abiurationem relabatur, quamuis ex hoc sit grauiter puniendus; non tamen debet in hæresim relapsorum pœna puniri c. accusatus de hæret. 6. suspectus autem de vehementi si postmodum relabatur, in tribus casibus erit puniendus, primo quãdo relabitur in eandem hæresim, de qua suspectus habitus fuerat vehementer, secundo quando hæresim generaliter, vel simpliciter abiurauit, et relabitur in aliam hæresim, esto quod de ea antea nunquam fuisset suspectus, neque delatus, tertio quando hæreticos receptat, et eos deducit, eisque fauorem impendit c. accusatus. §. eum verò de hær. 6. suspecti autem de violenta pro conuictis de hæresi, ac vt hæretici sunt habendi, et sicut de deprehenso in hæresi, est de eo per omnia iudicandum c. excommunicamus il. 1. §. qui verò de hær. qui si voluerit redire est ad misericordiã recipiendus, sin minus tradendus est brachio seculari c. ad abolendam. §. 1. de hæret. quod si relabatur punietur vt relapsus vt dicam inferius; sed quero quot sunt casus, in quibus incidentes suspecti de hæresi vehementer habendi sunt? Resp. quod sunt plures Primus quando citatus non vult comparere c. contumacia de hær. 6. Secundus quando quis scienter directè, vel indirectè impedit Inquisitionis officium c. vt Inquisitionis. §. fin. de hær. 6. Tertius præstantibus auxilium, vel fauorem, et consilium impedientibus Inquisitionis negocium d. c. vt Inquisitionis. Quartus quicunque

instru-

instruxerit hæreticos citatos, quod subticeant veritatem, seu falsitatem dicant c. accusatus. §. fin. de hær. 6. Quintus quando excommunicatus per annum steterit obdurato animo post legitimas monitiones c. 3. sess. 25. Conc. Trid. de reform. Sextus est hæreticorum fautor, defensor et receptator c. excommunicamus il. 1. §. credentes de hær. Septimus propter agnitorum hæreticorum familiaritatem, si est diffamatus, ratione d. familiaritatis dicetur suspectus c. inter de purg. canonica. Octauus quando aliquis, quos scit hæreticos visitat, associat, eisque munera donat, c. accusatus. §. ille de hær. 6. Nonus quando in causa fidei iudicialiter confessus, si negat dixisse, quod antea affirmauit, et quod asseruit mendacium, dicitur vehementer suspectus c. literas de præsumpt. potest etiam poni casus de his, qui publice sint de hæresi diffamati, qui licèt non sint habendi suspecti de vehementi; erunt tamen habendi suspecti de leui, et talibus est purgatio canonica indicenda, c. inter de purg. can. Direct. Inq. 2. p. q. 55. 56. et 57. Decimus quãdo scienter reperiuntur libri prohibiti penes aliquem, qui eos intelligat, ex quibus resultaret suspicio iuxta qualitatẽ illorum an scilicet esset leuis, vel vehemens schol. j. in 2. p. Direct. §. sed alter casus et tandẽ de hæresi suspectus inspecta qualitate causę personarum, et circunstantiarum, de quibus non est certa determinata regula tradita schol. 62. 2. p. Direct. Inq.

Relapsi

Relapsi qui dicantur. Quæst. XI.

VNDECIMO quæro qui dicantur proprie relapsi? Respon. quod illi proprie dicuntur relapsi, qui primo fuerunt lapsi; relapsi .n. quasi iterum lapsi dicuntur: labi .n. est dupliciter; nam aliqui labuntur in hæresim, aliqui in fautoriam hæresis; relapsi in hæresim dicuntur quatuor modis. Primo quando quis incidit in illam hæresim, quam antea abiurauerat, vt deprehensus in eadē c. ad abolendam. §. præsenti de hær. Secundo quando quis non est deprehensus, sed est vehementer suspectus de aliqua hæresi, et abiurat eandem, tanquam vehementer suspectus, si post talem abiurationem in eādem abiuratam heresim inciderit, relapsus dicetur c. accusatus de hær. 6. Tertio quando suspectus de vehementi abiurat aliquam hæresim particularem, postea simpliciter et generaliter abiurat omnem aliam, postea deprehenditur in aliquam, et tunc dicetur relapsus c. accusatus. §. eum verò de hær. 6. Quarto quando post abiurationem de vehementi defendit associat, atque receptat hæreticos d. c. accusatus. §. ille quoque: et omnes isti relapsi, siue pœniteant, siue non, sunt tradendi brachio seculari, quod si non pœniteant sunt tradendi vt hæretici pertinaces, si autem pœniteant sacramenta pœnitentiæ, et Eucharistiæ non sunt eis deneganda c. super eo de hær. 6. Relapsi verò in fautoriam,

vt potè quia in illam abiurant, et postea in abiu ratam relabũtur relapsi habentur Direct. Inq. 2.p.q.fin. per totam.

Quibus modis procedatur contra Hæret.
Quæst. XII.

DVODECIMO quęro quibus modis pro cedatur contra hęreticum? Resp. tribus modis. Primo per accusationem, quam prę cedere debet inscriptio. Secundo per denunciationem, quam præcedere debet caritatiua monitio. Tertio per Inquisitionem, quam prę cedere debet clamosa insinuatio c. qualiter et quando de accusat. Primus modus est quando aliquis accusat aliquem de crimine hęresis, vel fautoriæ, et hoc coram Inquisitore offerendo illud se probaturum, et inscribit se ad pœnam talionis, nisi probet. Secundus modus est quan do aliquis denunciat aliquem de hęresi, vel fautoria, vel alijs ad fidem pertinentibus ipsi Inqui sitori, sine hoc quod hoc offerat se probaturũ, nec vult facere partem, sed dicit quod denuntiat ratione sententię excommunicationis, seu zelo fidei, et tali casu procedet Inquisitor ex officio, non ad instantiam partis. Tertius modus quando non est aliquis accusator, vel denuntiator: sed fama laborat in aliquo loco per psonas fide dignas q̃ aliquis dixit vel fecit con tra fidẽ, et clamor ad aures Inquisitoris peruenit pluries publica fama deferente, et clamosa

insinua-

insinuatione procedente, et tunc Inquisitor inquirat ex officio, qui modi continuantur, et terminantur prout 3.p. Direct.n.71.et seq.

Pœnæ quibus hæretici plectantur.
Quæst. XIII.

DECIMOTERTIO quero, quibus pœnis hæretici plectantur? Resp. pluribus, videlicet quędam sunt spirituales pœnæ, quę animā solam respiciunt, alię corporales, quę corpus affligunt. Primo dicemus de corporalibus deindè de spiritualibus, prima corporalis pœna est bonorum omnium proscriptio et confiscatio c. excommunicamus il.1.6. damnati de hęres. quæ amittit à die commissi criminis; sed antè iudiçis declarationē fiscus ea non apprehēdit Alph. de Castr. lib.2. de iusta hær. pun. c.5. et 6. Secunda pœna est priuatio cuiuslibet dominij super quoscunque subditos doct. com. c. fin. de hæret. Tertia pœna corporalis est infamia c. infames 6.q.1. Alph.d.loco c.9.schol. 3. ad 1.p. Direct. Inquis. quæ infamia extenditur etiam ad filios Alphonsus d. loco q.10. doct.com.c.vergentis de hæret. nisi filij parentes de crimine isto accusauerint Alph. d. loco c.26. nam tunc liberantur à pœnis, quæ sunt illis à iure inflictæ propter parentum hæresim. Quarta pœna est quod hæretici impęnitentes, siue relapsi pœna mortis feriuntur, siue mors fuerit gladio, siue igne, siue alio quouis modo

Alphonsus.d.loco c.12.doct.com.c.ad abolendam de hæret. Quinta pœna est quod contra hæreticos iuste moueri potest bellum, et bonis spoliari, et in seruitutem redigi, et occidi si pœnitere noluerint Alph.d. loco c.13.doct.com. c.ad abolendam de hæret. Sexta pœna est quod non solum hæretici debẽt bonis spoliari, et vita vt dixi priuari, sed eorum memoria debet damnari et deleri, ipsorumque libri sunt prohibendi, ex quibus toti Reip. Christianæ nocere possunt Alph.lib.2.c.15.de iusta hær.punit. et c. seq. c. fraternitatis de hæret. et damnantur etiam tales libri multa contineant bona, et damnato authore eo ipso censentur damnati libri scholia 1.2.p. Direct. Inquis. pœnæ autem hæreticorum, quæ animam respiciunt sunt hæc videlicet, prima est excommunicatio c.excommunicamus il.1. et 2.de hær.et in Bulla Cœnę Domini n.1. Secunda pœna est priuatio sepulturæ, quę concomitatur excõmunicationem, nullus .n. in excommunicatione notoria decedens potest in loco sacro sepelliri clem.1. de sepultur. dixi ego in tract.de sep.p. 1.q.11.n.14.c. quicunque de hæret.6. Quæ pœna inflingitur illis ex Iure diuino Paul.3. hæreticum hominem post vnam, et secundam monitionem deuita, sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, et delinquit, cum sit proprio delicto condemnatus, et 2. Ioan. si quis venit ad uos, et hanc doctrinãm non affert, nolite recipere eũ in domum, nec Aue ei dixeritis; qui .n.

dicit

dicit ei Aue, communicat operibus eius malignis, et 2. Tes. 3. denuntiamus autem vobis fratres in nomine Domini Nostri Iesu Christi, vt subtrahatis uos ab omni fratre ambulante inordinate, et non secundum traditionem, quam acceperunt à nobis, refert Alph. lib. 2. de iusta hæret. punit. c. 18. Ampl. vt etiam post mortem declarari possit hæreticus excõmunicatus, nam ipse ante iudicis declarationem, postquam hæresim, quam mente hæretici conceperunt foris quomodolibet manifestabunt ipso iure excommunicati dicuntur Alph. d. c. 18. et seq. Tertia pœna spiritualis est quod clericus, vel Episcopus effectus hæreticus priuatur potestate iurisditionis, non autem ordinis Alphons. d. loco c. 21. et seq. Quam quidem eo ipso amittere dicimus ibid. c. 24.

ABSOLVTIO I.

CIRCA absolutionem, quæ in Sacramento pœnitentię peccatoribus confessis impenditur.

Prima est hæresis, quæ asserit, quod credens se absolutum, absolutus est quantumlibet contritio desit, et quod absolutio censenda est efficax; non quia fit, à quocunque tandem fiat, erret, vel non erret, sed quia creditur.

Huius erroris Dux, atque magister factus est Martinus Lutherus; contra, quia dum dicit solam fidem iustificare; quia hoc debet intelligi de fide formata; nam Iacob. 3. dicit, Dęmones credunt, et contremiscunt; Prętera sacerdos absoluit, et remittit peccata per potestatē sibi à Deo collatam; non ergo per solam fidem est pœnitens absolutus, patet Ioan. c. 20. Quorum remiseritis peccata remissa erunt; et quorum retinueritis retenta sunt; Præterea hoc patet per illa verba, quæ profert sacerdos quando dicit; Ego te absoluo, Conc. S. Ambr. lib. j. de pœnit. cap. 7. et S. Ioan. Chrisostomus in Homelia 85. super Ioannem. S. Cyprianus lib. de lapsis dicit remissionem fieri per sacerdotē; Prętera contra id, quod dicit Lutherus illum videlicet esse absolutum. 1. à peccato liberum, qui credit se à peccato liberatum, quod falsum

est

est per id quod dicit Paulus. 1. Cor. 4. Nihil mihi conscius sum, sed neque in hoc iustificatus sum; non. n. ex eo q̃ aliquis credit se esse sine peccato, ideò oportet vt sit sine peccato.

Vltimo contra hanc hæresim adest dispositio Concilij Tridentini Can. 9. sess. 14.

Alia est hæresis, quæ dicit, Absoluere à peccatis, nec Papam posse, nec alium quenquam de Romana Ecclesia Direct. Inquis. p. 2. q. 13. hæres. 7.

Alia, quæ asserit In Catholica Ecclesia non esse verè, et propriè pœnitentiæ sacramentum, quod damnatur in Concil. Trid. sess. 14. Can. 1. hoc idem si quis dixerit ipsum Baptismum pœnitentię sacramentum esse ibidē Can. 2. similiter Si quis negauerit confessionem sacramentalem, vel institutam, vel saltem necessariam esse iure diuino ibidem Can. 6.

Secunda de hac re hæresis est, quę dicit puerum, ac mulierem æquè absoluere vt Papam.

Huius erroris Author est Martinus Lutherus dicens.

In sacramento pœnitentiæ, ac remissione culpæ, non plus facit Papa, Episcopus, quàm infimus sacerdos, imò vbi non est sacerdos æquè tantum quilibet Christianus, etiam si mulier aut puer esset.

Duo his verbis miscet Lutherus. Primò quidem in pœnitentis absolutione omnes sacerdotes esse pares. Secundò dicit, omnes Christianos posse absoluere etiam si fœmina sit.

De hac re tractant S.Thom. et S.Bonau. et alij com.doct. in 4. sent. distin.19. et Concil. Trid.sess.14. per totam.

Contra primum dicendum est, quòd ad hoc, vt quis possit absoluere, duo requiruntur in eo, potestas scilicet ordinis, et potestas iurisditionis; respectu potestatis ordinis tantum absoluit à culpa simplex sacerdos, quantum Papa; Quandò autem sacerdos non absoluit, non est ex defectu potestatis ordinis; sed iurisditionis; quia videlicet pœnitens non est sibi subiectus; sententia.n. lata à non suo iudice, nulla est. Papa ergo cum habeat latiorem potestatem, quia plures habet subditos; ideò omnes à culpa absoluere poterit; similiter Papa potest vel partem, vel totam pœnam relaxare, sicuti circunstantia se offert; simplex autem sacerdos vltra absolutionem à culpa, nunquam propria authoritate potest in vniuersum à pœna absoluere, vt dicam infer. ver. Indulgentia: Hæc Alphons.d.loco.

Addo, quòd hęc hæresis damnatur à Concil. Trid.sess.14.cap.7.et Can.11.in d.c.7. dicitur quòd nulla reseruatio sit in articulo mortis; ideò omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusuis peccatis, et cēsuris absoluere posse.

Contra secundam assertionem Lutheri, qua habetur Omnem Christianum, etiam si mulier sit, posse absoluere in absentia sacerdotis.

Primò Ioan. c.20. ibi, quorum remiseritis peccata, remissa erunt; et quorum retinueritis, reten-

retencta sunt, vbi apparet, quòd talis potestas fuit data discipulis, non autem mulieribus. Secundò hoc idem facit Math. cap. 18. ibi, quæcunque ligaueris super terram erunt ligata et in cœlo, vbi soli erant Apostoli, atque Discipuli Domini; Quòd si ad omnes Christianos esset referenda, oporteret fateri mulierem etiã posse consecrare Corpus Christi, Cum dixit Discipulis, hoc facite in meam commemorationem, quod esset omninò absurdum, similiter oporteret concedere posse prędicare, cum dixerit, ite prædicate Euangelium omni creaturæ; et tamen Paulus. 1. Timot. 2. dicit, se non permittere mulierem prędicare; Prętera Lutherus dicit, Omnes Christianos esse sacerdotes, non est ergò possibile, vt mulier sit, vbi sacerdos non est. Hanc hęresim damnat Concil. Trid. sess. 14. Canone. 10. et sess. 7. Canon. 10. Hęc Alphonsus. d. loco: Hosius tit. de confessione cap. 47.

ADAM ET EVA. II.

PRIMA hęresis est, asserens primò parentes esse damnatione perpetua in infernum detrusos propter eorum primum inobedientię peccatum.

Huius erroris Author fuit Tatianus quidam Discipulus Iustini Martyris, temporibus Antonini Imperatoris.

Contra quam; quamuis nulla sit pro hoc er-

rore

rore refellendo aperta scriptura; non ideò non est censenda talis assertio heretica; quoniam efficacissimum est testimonium omnium sacrorum doctorum concors de aliqua re sententia; impossibile .n. est, quòd omnes concorditer errent, qui vt nos non erraremus, à Deo missi sunt; Paulus ad Ephesios.4. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios verò Pastores, et Doctores ad cõsummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatem fidei: vt iam non simus Paruuli fluctuantes, et circumferamus omni vento doctrinę in nequitia hominum, in astutia ad circunuentionem erroris.

Addo ad hoc quod dicit Concil. Trid. sess. 4. cap. 2. de canonicis scripturis, vbi inter alia docet, Sacram scripturam interpretandam esse iuxta vnanimen consensum patrum, quod idem iubet Pius 4. in Bulla de professione fidei in principio, et dixi supra in q. 2.

Doctores autem, qui contra hanc hęresim scripserunt, sunt isti videlicet; Primò Ireneus lib. 1. cap. 31. aduers. hęreses. Secundò Eusebius Cesarienſis lib. 4. Eccl. Hist. Tertiò Philaster lib. de hęresibus. Quartò S. Augustl. lib. de hęresibus c. 25. Quintò Guido Carmelita in lib. de hęresibus. Sextò idem Ireneus lib. 3. aduersus hęreses.

Vltra authoritatem doctorum facit ratio; quia

quia non est æquum, vt qui primò captus est, adhuc in captiuitate maneat; Prę terea qualiter diceret Paul. 1. Cor. 15. vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus? Prę terea facit pro hoc punitio, quam subijt Adam et Eua.

Vltimo facit scriptura Sap. 10. Hæc illum, qui primus formatus est à Deo, Pater orbis terrarum cum solus esset creatus, custodiuit, et eduxit illum à delicto suo.

Secundus de hac re ortus est error, asserens Adam post peccatum perdidisse imaginẽ Dei.

Huius erroris Author est Origenes; contra facit Paulus. 1. Cor. 9. vir non debet velare caput, quia Imago, et Gloria Dei est, nota quod imaginis nomen non solum capitur in literis sacris iuxta id, quod in natura situm est; sed etiam aliquando capitur iuxta quasdam animę qualitates, Primo modo accepta nunquam perditur; quoniam etiam in Dęmonibus, quorum peccatum fuit longè grauius, naturalia in eis integra manserunt; vt dicit Dionisyus Areopagita, et contrarium sentiens erraret. Secundo modo accepta bene dici potest, quod fuerit amissa.

Tertius error in hac materia exortus est, quo docẽt Adam, et Euam, si permansissent in iustitia, non coituros vnquam; nec humanam speciem per conmixtionem propagandam.

Huius erroris Authores fuerunt Armeni vt testatur Guido Carmelita in Summa de hęresibus.

Contram hanc hęresim est textus Apert. 2. Genes.

Geneſ. ibi Hoc nunc os de oſsibus meis, et Caro de Carne mea eſt, hęc vocabit virago, quoniam de viro ſumpta eſt. quamobrem relinquet homo patrem ſuum, et matrem ſuam, et adhęrebit vxori ſuæ, et erũt duo in carne vna Conc. Math. cap. 19. Paul. 1. Cor. 9. Huic errori conſentit quidam Almaricus, qui alium errorem ſeminans dicit ſexuum differentiam nullam fuiſſe futuram; contra quem errorem eſt text. apert. Math. cap. 19. non legiſtis, quia qui fecit ab initio maſculum et fœminam creauit eos.

Quartus reperitur error, quòd Adam foret mortuus, etiam ſi non peccaſſet, et quod mortuus eſt non ex culpæ demerito, ſed ex conditione naturæ.

Huius erroris Author eſt Pelagius, contra facit. Primo Geneſ. cap. 2. ibi In quacunque die commedetis, morte moriemini. Secundo ad Rom. 5. ſicut per vnum hominem peccatum in trauit in mundum, et per peccatum mors, ita et in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt; Tertio ad Rom. 8. Corpus mortuũ eſt propter peccatum; Quarto Sap. 1. Deus qui mortem non fecit, nec lętatur in perditione viuorum, creauit hominem inexterminabilem, et ad Imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum. Quintò Geneſ. 3. Quia puluis es, et in puluerem reuerteris. Sexto, et vltimo contra hanc hęreſim adeſt Concilium Mileuitanum ſub Innocentio Primo cap. 1. ibi, quicunq; dicit Adam primum hominem mortalem factum,

ita

ita vt siue peccaret, siue non peccaret, moreretur incorpore, hoc est de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturę, Anathema sit.

Quinta hęresis est Adam, et Euam fuisse cęcos ante peccatum, ac tunc primum eos videre cępisse, quum de cibo ligni uetiti commederunt.

Huius hęresis quis sit Author ignoratur; contra hanc hęresim est text. Apertus Genes. 3. nam antequam illi peccassent, de muliere loquitur. Vidit igitur mulier, quòd bonum esset lignum ad uescendum, et pulchrum oculis, aspectuq; delectabile, et tulit de fructu illius, et comedit; quòd si cęca fuisset; vtique lignum videre non potuisset; et licèt scriptura dicat oculos eorũ fuisse apertos August. lib. 14. cap. 16. de Ciuit. Dei dicit: Patebant oculi eorum; sed adhuc non erant aperti, hoc est non attenti, vt cognoscerent, quod eis indumento gratiæ præstaretur, quando membra eorum voluntati repugnare nesciebant, Conc. Chrys. in Commentar. super Genes.

Sexta est hæresis, quæ docet Euam cunctarum gentium matrem non esse è costa Adæ formatam, sed simul eodem puncto de limo terræ, quo Adam, formata fuit.

Huius hæresis Author, et primus inuentor fuit Thomas de vio caietanus, mouetur authoritate scripturæ dicentis, Masculum, et fęminã creauit eos cap. 1. Genes.

Con-

Contra hanc hæresim facit. Primo textus cap.2.Genes. Tulit vnam de costis eius, et repleuit Carnem pro ea, et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in Mulierem, et adduxit eam ad Adam. Secundo Sap.1. Hæc illum, qui primus formatus est à Deo Patre orbis terrarum, cum solus esset creatus custodiuit, et eduxit illum à delicto suo. Tertio Paulus.1.Thim.2. Adam primò formatus est, deinde Eua; Quarto act. Apost.17. ibi, fecit que ex vno omne genus hominum; vbi Patet Euam ex Adam ortam esse. Quinto 1.Cor.11. Mulier gloria viri est: non .n. vir ex muliere est, sed mulier ex viro. Sexto Eccl.17.Creauit ex ipso adiutorium sibi; Septimo Tob.8. Tu fecisti Adã de limo terræ, dedisti q; ei adiutoriũ Euã. Octauo Sap.10. eduxit illũ de limo terræ, et dedit illi virtutẽ continendi omnia; de Eua autem nihil dicit scriptura, quòd facta fuerit de limo terræ. Nono Genes.cap.8. Hæc (inquit ille) vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Decimo est com. opinio doctorum Aug.lib.9.cap.19. super Genes.et lib.12.c.21. de Ciuit. Dei Chrysost. Homel.15. super Genes. Greg. lib.30. Moral.c.24. Theophilactus super Paul. ad Ephes.5. et 1. ad Cor.11. Anselmus d.loco Eucherius super Genes.cap.20. doct. omnes 2.sent.distin.18. Hieron. in Epistola ad Philemonẽ. Vndecimo in c. Gaudemus de diuortijs, vbi Innocentius.3. hoc expresit Aug.lib.6. super Genesim.

ADORA-

ADORATIO. III.

ADORATIO. hæresis est, quę adstruit Crucem Dominicam nullo pacto esse adorandam.

Author huius hæresis fuit Claudius Taurinensis Episcopus; contra quam Psal. 98. Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est. Quid autẽ verius scabellum Christi, quàm Crux? cui pedes illius affisi sunt; quod ita ibidem Hieronymus explicat. Secundo probat Psal. 131. Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius; vbi Cassiodorus interpretatur hanc esse Sanctam Crucem, in qua stetisse recte dicitur, vbi corpus eius infixum fuisse monstratur, Conc. Damascenus lib. 4. de fide orthodoxa cap. 12. de Crucis Dominicæ ligno differens sic ait; ꝙ autem ipsum nimirum precio sum, et perquã vere venerandum, in quo semetipsum in hostiam pro nobis Christus obtulit, vt santificatum tactu sancti corporis, et sanguinis decenter adorandum, clauique, et lancea, et indumenta, et sacra ipsius tabernacula, quæ sunt præsepe, spelunca, Golgota, Saluatoris viuificum sepulcrum, Sion Ecclesiarum propugnaculum, et similia, vt ait Dauid. Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius. quòd autem Crucem dicat, ostendit quod sequitur. Resurge Domine in requiem

quiem tuam. Sequitur .n. Crucem resurrectio. Tertio hanc ipsam adorationem confirmat totius vniuersalis Ecclesię ritus, et consuetudo, quæ statuit, vt in feria sexta Parasceuæ eleuetur Crux à sacerdote, vt à populo adoretur. Ecclesiæ autem vniuersalis traditio tanti est ponderis, vt qui illi obstet, non minus censeatur hæreticus, quàm si expresè scripturæ contradiceret, præcipuè in rebus grauibus, et in quibus errare magnũ esset periculum; conc. etiam Aug. super Ioan. tract. 36. Chrisost. super Math. cap. 24. Tunc apparebit signum filij hominis in Cœlo, Crucem dicens ex mente Damasceni d. loco dicens, Adorandum est igitur signum Christi; vbi .n. fuerit signum eius, illic et ipse erit: materia autem, ex qua figura crucis exprimitur, siue sit aurum, siue lapides precioſi, aut alia quęuis materia post figuratio nem, si contingit dissolui, non est adoranda: omnia igitur quæ Deo adiacuerunt adoramus, ipsi reuerentiam, pietatisque cultum exhibemus. In hoc tamen omnes Reliquiæ ab illa, in qua Christus pependit, superantur, q illa contactu Carnis, et sanguinis Christi quodammodo sanctificata fuit: nec tamen ideò aliæ adorandæ non sunt. Vnde Damascenus d. loco dicit, Adoramus etiam figuram precioſæ, et viuificæ Crucis, tametsi ex alia materia facta est, non materiam venerantes, (absit .n.) sed figuram, tanquam Christi signum cap. 1. Conc. etiam Aug. lib. de visit. infirm. cap. 3. et Theophyl. super

Math.

Math. c.24. ait, Crux tunc apparebit in cœlo supra solem fulgens ad arguendos Iudæos etc. Conc. Cyrillus. lib.6. contra Iulianum, respondens illi irridenti christianos, quòd crucis lignum adorant, postquam enumeranit beneficia à Christo nobis in cruce exhibita, ait: Hæc omnia recordari nos facit salutare lignum, et suadet, vt cogitemus, quod dicit Paulus, vnus pro omnibus mortuus est, et resurrexit. Contra hanc hæresim scripsit Thomas Valdensis lib. de sacramentalibus tit.20. Nec tamen ex hoc Idolatriæ scrupulus vrgere debet, quia adoratio ipsa, etsi coram cruce fit, mens tamen nostra ad id solum fertur, quod crux repręsentat, Dei scilicet filium olim in cruce pendentem. Hæc Alphonsus ver. adoratio. Ad quem addo quintum fundamẽtum quod adducit S. Thom. 3.p.q.25. Art.4. et sequitur S. Ant. 3.p.tit.12. cap.9.§.5. et cæteri cõmuniter dicentes, quòd crux Christi duplici modo adoratur, vno modo scilicet in quantum repręsentat nobis figuram Christi extensi in ea, alio modo ex contactu ad membra Christi, et ex hoc, quòd eius sanguine est perfusa. Vndè vtroque modo adoratur eadem adoratione cum Christo, scilicet adoratione latriæ. Et propter hoc etiam crucem alloquimur, et deprecamur quasi ipsum crucifixum: si verò loquamur de effigie crucis Christi in quacumq; alia materia (puta lapidis, vel ligni, argenti, vel auri) sic veneramur crucem tantum, vt imaginem Christi, quam vene-

ramur adoratione latriæ; q̃ si materia prædicta contingat post figurationem dissolui, non est adoranda, vt inquit ipsemet Alphons. d. loco ver. materia autem; innititur autem hoc quintum fundamentum super eo, quod dicit Ecclesia in Hymno de Dominica Passionis Domini per illa verba.

O Crux Aue spes vnica
Hoc passionis tempore
Auge pys iustitiam
Reisque dona veniam.

Et quod dictum est de cruce Christi, multo magis dicas procedere in humanitate, et in imagine ipsius Christi S. Thom. 3. p. q. 25. Art. 1. 2. 3. ex authoritate Cõcilij Generalis. 5. Can. 9. et Damasc. lib. 4. c. 17. de fide orthodoxa, vt dicetur inferius. ver. Imago. Et quãtum quidem ad rationem contactus membrorum Christi, adoramus non solum crucem, sed omnia quæ sunt Christi, vt clauos, Lanceam, vestimenta, et sacra eius tabernacula, vt dicit Damasc. sed quia non repręsentant imaginem Christi crucifixi, sicuti crux, quæ dicitur signum filij hominis Math. cap. 24. hinc est, quòd imaginem crucis veneramur in quacunque materia; non autem imaginem clauorum et huiusmodi S. Ant. 3. p. tit. 12. cap. 9. in fine S. Bonau. 3. sent. distin. 9. Art. 1. q. 4. Alex. de Ales. 3. p. q. 30. memb. 3. Art. 3. §. 1. S. Thom. 3. sent. distin. 9. q. 4. Tab. ver. adoration. 12. Arm. n. 7. Ang. n. 6.

Filiar-

Filiarcus in Man. conf. §. adoratio pag. 183. Hosius tit. de signo crucis c. 10. et seq.

Secunda de hoc orta est hæresis asserens sacratissimam Eucharistiam non esse vllo pacto adorandam, crimem Idolatriæ impingens cuicumque eam adoranti.

Huius hæresis Author est Ioannes Oecolampadius, natione Germanus.

Contra hanc hæresim faciunt quæ dicam inferius ver. Eucharistia; præterea facit Psa. 96. ibi Adorate eum omnes Angeli eius. Vnde Paulus ad Hebr. 1. de Christi persona intelligenda docet esse, non quidem de sola eius diuinitate, sed de tota persona in duabus naturis existēte. Secundò facit Psal. 98. Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est, vbi Hier. Corpus Dominicum præ cęteris omnibus meritò scabellum dici potest: quoniam in eo maiestas diuinitatis, tanquam super scabellum stetit, conc. cum eo ibidem Augustinus, vbi colligitur mens Augustini Christi carnem in Eucharistia contineri, et adorandam carnem ipsam ostendit dicens; Nemo illam carnem manducat, nisi prius adorauerit, quòd si adorare recusat, minimè christianus dicetur, sed hæreticus, conc. ibidem Cassiodorus. Tertio facit Psal. 5. Introibo in domum tuam et adorabo ad templum sanctum tuum, ibi Cassiodorus. Templum sanctum est Corpus Domini Saluatoris, qđ iure adorat Ecclesia, per quod meruit esse reuerenda. Quarto facit Psal. 21. Manduca-

cauerunt, et adorauerunt omnes pingues terræ, vbi Aug. manducauerunt Corpus humilitatis Domini sui, etiam diuites terræ, nec sicut pauperes saturati sunt ad immitationem; sed adorauerunt, conc. Alex. 1. in Epistol. ad fideles de sacrificio missæ, dicens: nihil .n. in sacrificijs maius esse potest, quàm Corpus et sanguis Christi, nec vlla oblatio hac potior est, et pura mente sumenda, atque ab omnibus venerãda; et sicut potior est cęteris, ita potius excoli; et venerari debet, conc. Aug. lib. 3. de Doctrina Christiana.

Quinto et vltimo contra hanc hæresim est aperta Catholicę Ecclesię definitio in Concil. Trid. sess. 13. cap. 5. et antea in clem. si Dominum de Reliq. et vener. sanct.

Tertia hęresis est, licere adorare creaturas cultu latriæ, ẽt si sint Dęmones in quãtum sunt repręsentatione sui creatoris; Direct. Inquisitorum p. 2. q. 10. hęr. 2. et seq. doct. 3. sent. distin. 9. S. Thom. 2. 2. q. 84. Art. 1. et q. 103. art. 3.

Quarta hęresis est, quòd absque peccato posſunt adorari Dęmones dulia, et melius excusatur ab Idolatria sacrificans dęmoni, quàm adorans imaginem Christi, et sanctorum, Direct. Inquisit. p. 2. q. 10. hęr. 4. et seq. gl. clem. si Dominum de reliq. et ven. sanct. gl. c. venerabiles de conſ. distin. 3.

Quinta hęresis est, quòd de iure naturę adoratio, et sacrificium debentur dęmonibus Directorum Inquiſ. p. 2. q. 10. hęr. 6.

ADVL-

ADVLTERIVM. IIII.

VNA tantum hæresis de hac re orta est, quę docet matrimonium legitimè contractum et perfectè consummatum, posse dissolui propter coniugis adulterium; non solum quantum ad thori separationem; ita vt is, qui in matrimonium fuit liber à culpa consummati et perpetrati adulterij, possit alterum coniugem adulterum prorsus dimittere, et cum alio verum, et legitimum matrimonium contrahere, et illi absque peccato copulari; de qua hæresi dicam in feriis tit. de nuptijs.

ANGELVS. V.

VNVS est error circa Angelos, quo habetur, qui asserit Angelos non esse creatos à Deo, siue bonos, siue malos.

Huius erroris Author fuit Hermanus Rissuic.

Contra quem facit primo Iob. c. 4. ibi, Ecce Behemoth, quem feci tecum, quem dęmonem intelligunt. Hieronym. et Gregor. Secundo ibidem cap. 3. ibi Ipse est principium viarum Dei, vbi Gregor. exponit de dęmone. Tertio Ezech. 31. ibi Quoniam speciosum fecit eum in multis condensisque frondibus. Quarto de omnibus Angelis dicitur Psal. 103. qui fecit Angelos suos spiritus. Quinto Paulus ad Hebr. 1. ibi,

qui fecit Angelos suos spiritus et ministros suos flammam ignis. Sexto 1. Ioan. ibi, omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil; aut ergo Angelos esse factos à Deo concedat, aut ipsos esse nihil fateatur oportet. Septimo et vltimo contra hanc hæresim est determinatio Ecclesię cap. firmiter de summa trin. et fide Cath. ibi, de nihilo condidit creaturam spiritualem, et corporalem Angelicam videlicet, et mundanam.

Secunda hæresis docet Angelos creatores esse corporum, non autem Deum Direct. Inquis. 2. p. q. 4. n. 1. S. Ant. 4. p. tit. 11. c. 5. §. 1.

ANIMA. VI.

PRIMVS error est, qui negat animam rationalem esse formam corporis humani, non absolute, sed in quantum rationalis est.

Huius erroris patronus esse dicitur Petrus Ioannes; contra hanc hæresim adest dispositio Ecclesię clem. vnica de summa trin. et fide Cathol. §. Porrò, ibi, qui temerè defendere præsumpserit, quod anima rationalis, seu intellectiua, non sit forma Corporis humani per se essentialiter, tamquam hęreticus sit censendus. Direct. Inq. p. 2. q. 7. hęr. 3.

Secundus error (sed verè error nuncupari non debet) est docens spiraculũ, quod Deus spirauit in Adam, esse ipsam animam; Sed potius contraria opinio esset hæretica.

Hęc

Hęc assertio nominatur à Philostrato inter hæreses.

Contra quem tenet Aug. lib. 13. cap. 24. de ciuit. Dei, irridens eos, qui credunt spiraculum quod spirauit Deus in faciem Adę, esse quandam gratiam animę Adę collatam, et nõ potius ipsam animam.

Tertia est hæresis docens hominis animam esse prius formatam, quàm corpus.

Huius erroris est Author Ioannes Episcopus Hierosolimitanus.

Contra hanc hæresim est textus apert. c. 2. Genes. ibi Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, et inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viuentem; vbi clarè constat, prius corpus, quàm animam esse factum; contra hunc tenuit S. Hierony. in Epist. ad Pamachium aduersus errorem præfacti Ioannis, Idem Leo Papa in Epistola. 71. ad Astorigensem Episcopum.

Quartus est error, qui asserit animam esse aut Dei substantiam, aut ex Dei substantia.

Huius erroris Author est Carpocrates, vt testatur Irenęus lib. 1. cap. 24. Aduersus hæreses.

Contra hanc hæresim est. Primo text. c. 2. Genes. Formauit Deus hominem de limo terræ, et spirauit in eo spiraculum vitæ, quod spiraculum ostendimus supra fuisse animam; non est ergo Dei substantia, quemadmodum flatus

ex ore hominum prodiens non est de substantia hominis, sed de aere isto circumfuso; Præterea si animam Deus ex sua substantia fecisset, haberet easdem proprietates, quas Deus habet consequens est falsum, ergo et antecedens; Deus n. est immutabilis Iac. cap. 1. Ego Deus et non mutor, et alibi Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio; anima verò nostra nunquam in eodem statu permanet Iob. cap. 13. Tertio et vltimo est determinatio Ecclesiæ Concil. Bracharense. 1. c. 5. ibi Si quis animas humanas, vel Angelos ex Dei credit substantia extitisse, Anathema sit: vndè credendum est animas à Deo ex nihilo creatas esse conc. Leo Papa in Epistola 72. cap. 5.

Quintus error est, qui docet animas non creari à Deo.

Hic autem error adhuc diuisus est; nam quidam dicunt animas fuisse factas ab Angelis, qđ tenuit Seleucus; alij dicunt animam fieri ab anima patris, quemadmodum corpus ex corpore, et dicunt animam corpoream esse, quamuis immortalem; Huius erroris est Author Tertullianus.

Contra hanc quintam hæresim est. Primo Sap. 1. creauit Deus, vt essent omnia. Secundo et Paulus ad Hebr. 13. Qui omnia creauit Deus est. Tertio Apocal. 4. Quia tu creasti omnia. Quarto et vltimo est determinatio Ecclesiæ Leo Papa ad Toribium affricanum, animæ hominum priusquã suis inspirentur corporibus;

non

bonfuere, nec ab illo incorporantur, nisi ab opifice Deo, qui et ipsarum est Creator, et Corporum, conc. Symbolum ibi Factorē in visibilium et cap. 1. de Summa trin. et fide Cath.

Sexta hæresis est, quæ asserit, animas sceleratorum hominum post mortem conuerti in dęmones, et in quęcunque animalia bruta suis meritis congrua.

Huius erroris est Author Tertullianus, contra est textus apertus Math. cap. 25. ibi Ite male dicti in ignem æternum, qui prępparatus est Diabolo, et Angelis eius; ex quibus verbis apparet discrimen esse inter animas malorum hominum et dęmones. Direct. Inquis. 2. p. q. 6. n. 60. q. cap. fin. 24. q. 4.

Septima hæresis est, quæ dicit, animam hominis simul cum corpore in morte hominis corrumpi. Hæc in duas Sectas diuisa est; nam quidam, animas simul cum corpore interire, sed postmodum in resurrectione iterum cum corporibus suscitari; alij autem dicunt, animam sic in morte hominis cum corpore perire, vt nusquam posteà redeat, quo facto videntur etiam hi negare resurrectionem, de hac secunda dicam inferius ver. Resurrectio.

Contra hanc hæresim facit. Primo Math. cap. 25. Ibunt iusti in vitam æternam, illi autem .i. Peccatores in ignem æternum.

Æternum autem esse non pōt, quod aliquando finietur. Secundo Sap. 5. Spes illorum immortalitate plena est. Tertio Sap. 11. Deus

creauit

creauit hominem inexterminabilem etc. vbi colligitur animam esse incorruptibilem. Quarto Sap. 3. Iustorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum malitiæ, visi sunt oculis insipientium mori, ipsi autem sunt in pace. Quinto Apoc. 6. Vidi sub Altare animas interfectorũ propter verbum Dei. Sexto Apoc. 7. Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.

Septimo anima Lazari deportatur ab Angelis Luc. cap. 16. Math. 10. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Octauo Exod. 3. Non Deus mortuorum, sed Deus viuentium; anima ergo mortuo quãtumlibet corpore, viuit, nec simul cum corpore perit.

Nono contra hanc hæresim est definitio Ecclesiæ in Concilio lateranense sub Leone Decimo in decreto, quod incipit Leo Episcopus. Direct. Inq. p. 2. q. 6. n. 59. c. fin. 24. q. 3. S. Ant. 4. p. tit. 11. c. 7. Turre Crem. in Summa lib. 4. cap. 34. et d. c. fin. ver. Arabici.

Octaua hæresis est, quæ asserit, animas transire de corpore in corpus, ita vt post vnius hominis mortem anima illius ad aliud corpus vegetandum, atque fouendum transeat.

Huius hæresis sunt Authores Albanenses, et Albigenses hæretici.

Contra quam facit quod dicit Athanasius de beatitudine filij Dei lib. 6. Regulas fidei ostendens ait. Si quis confitetur animas hominum

in reuo-

in reuolutionem rursus in mundo, aut in hominibus, aut in pecùdibus, aut in serpentibus verti Anathema sit.

Nona et vltima hæresis est, quæ asserit, animas antè infusionem corporis peccasse, et in pœnam peccati in corpora, tanquam in carcerem fuisse inclusas.

Huius erroris Author est Origenes contra facit 1. Cor. 15. In resurrectione mortale hoc corpus induet immortalitatem, vt corpus sicut anima congruum suis meritis præmium accipiat; quod non esset si corpus esset datum animæ in carcerem illius. Secundo est Concilium Braccarense primum cap. 6. ibi Si quis animas humanas dicit prius in cœlesti habitatione peccasse, et pro hoc in corpora humana in terram deiectas, sicut Priscillianus dixit, Anathema sit. Direct. Inq. p. 2. q. 6. n. 40. c. fin. 23. q. 4. S. Ant. 4. p. tit. 11. c. 7. Turre crem. lib. 4. Summæ c. 34. et d. c. fin. ver. origeniari. Decima animã imaginem Dei negat cap. fin. in fine 24. q. 3. Direct. 2. p. q. 6. n. 70. in fine S. Ant. 4. p. tit. 11. cap. 7. Turre crem. lib. 4. c. 34. summæ.

ANNVS. VII.

PHILASTER ait in lib. de hæresibus, hæresim esse asserere incertum esse numerum Annorum ab origine mundi; Nulla tamen est hæresis hoc asserere cum nunquam de hac re Ecclesia definierit.

APO-

APOSTATA. VIII.

APOSTATAS pœnitentes non esse recipiendos hæresis est Direct. Inquis. 2. p. q. 6. n. 34. c. fin. 24. q. 3. S. Ant. 4. p. tit. 11. c. 7. Turre crem. lib. 4. Summæ cap. 34. et d. c. fin. ver. Nouitiani.

APOSTOLI. VIIII.

PRIMA est hæresis, quæ asserit Apostolos non prædicasse Euangelium Christi, iuxta spiritualem intelligentiam; sed tantum secundum literam.

Huius erroris est Author Abbas Ioachim; contra hanc hæresim facit Ioan. cap. 15. ibi Omnia, quæ habui à patre meo, nota feci vobis. Secundo Luc. cap. 8. Vobis datum est nosse Mysterium Regni Dei. Tertio 1. Cor. 12. vbi Paulus vidit Arcana Dei, quæ non licet homini loqui. Quarto 1. ad Galat. Improperans Iudæis, qui solum literæ cortici adhærentes literę spiritum non tenerent. Quinto Paulus. 2. Cor. 3. Nos vero omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur, tanquam à Domini spiritu. Sexto Ioan. c. 14. Paracletus autem, quem mittet pater in nomine meo, ille; vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis. Septimo 2. Cor. 3. Idoneos nos fecit ministros noui testa-

testamenti, non litera, sed spiritu. litera .n. occidit, spiritus autem viuificat.

Secunda hæresis est, quæ asserit, Apostolos nec habuisse, nec recepisse pecuniam, neque aliquid in crastinum seruasse. Et (quod peius est) docet etiam hæc hæresis nihil horum Apostolis licuisse; quapropter spem salutis tollit omnibus pecuniam recipientibus, aut aliquid in crastinum seruantibus.

Huius hæresis Authores fuerunt quidam dicti Pseudoapostoli, quorum Dux fuit quidam Gerardus Sagarellus de Parma, qui captus in errore damnatus, et combustus fuit.

Contra facit. Primo Ioan.4. Discipuli eius abierunt in ciuitatem, vt cibos emerent. Secundo Ioan.6. Colligite, quæ superauerunt fragmenta, ne pereant; vbi apparet hic aliquid seruatum. Tertio Multa procurata sunt necessaria indigentiæ fratrum propter famem instantem Act.11. Quarto aliquid alimenti pro uia Paulum recepisse testantur Acta Apost.25. nõ obst.cap.10. Math. Nolite portare aurum, et argentum, et Math.6. Nolite solliciti esse in crastinum; nam ad primum Resp. ibi esse temporariam prohibitionem ad aliquod certum tempus restrictam; ad secundum Resp. ibi non prohiberi prouidentiam, sed nimiam tantùm solicitudinem, ne separet nos à Deo, cui seruire debemus. Direct. Inq.2.p.q.15.n.3. et seq.

AQVA. X.

PRIMA hæresis est, aquam non esse creatam à Deo, sed esse illi coæternam.

Huius hęresis Author est incertus, contra facit 1. Psal. 88. Tui sunt Cęli, et tua est terra; orbem terræ, et plenitudinem eius tu fundasti, Aquilonem, et Mare tu creasti. Secundo Psal. 134. Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in Cœlo, et in terra, in Mari, et in omnibus abyssis. Tertio, et vltimo est determinatio Ecclesiæ nempè c. 1. de Summa Trin. et fide Cath. quibus in locis apparet Deum esse omnium Creatorem visibilium et inuisibilium c. fin. 24. q. 3. in fine. Direct. 2. q. 6. n. 70. S. Ant. 4. tit. 11. cap. 7. Turre crem. 4. lib. summæ cap. 34. in fine.

Secunda hæresis est, quæ dicit, Aquam benedictam nihil plus habere virtutis, aut efficacię, quàm non benedictam.

Huius erroris Authores primi fuerunt quidam Flagellantes nuncupati. Dicunt. n. quòd nos non possumus benedictionibus nostris res facere meliores, quàm Deus ipsas per naturam condiderit.

Contra facit. Primo Numer. cap. 5. ibi Assumentq; Aquam sanctam in vase fictili, et pauxillum terræ de pauimento tabernaculi mittet in eam. Secundo adest determinatio Ecclesiæ cap. Aquam de consecr. distin. 3. ibi Aquam

sale

sale conspersam populis benedicimus, vt ea cuncti aspersi sanctificentur, ac purificentur, quod et omnibus sacerdotibus faciendum esse mandamus. Ad rationem, quam dicunt hæretici. Resp. Res meliores fiunt, non tamen à benedicente, aut orante, sed à Deo propter merita benedictionum et orationum præcedentium, quæ plus possùt, quàm natura, Hosius Card. Varm. tit. de Sacram. Euchar. c. 39. Quòd idem dicendum esset de benedictione aliarum rerum. Turrianus lib. 3. cap. 6. et lib. 5. cap. 4.

Tertia hæresis aquam solam in Calice offerendam esse Direct. 2. p. q. 6. n. 23. cap. fin. 24. q. 3. S. Ant. 4. p. tit. 11. c. 7. Turre crem. lib. 4. cap. 34. ver. Aquarij.

ARCANGELI. XI.

ARCANGELORVM opus esse rerum conditarum vniuersitatem hæresis, Direct. 2. p. q. 6. n. 13.

BAPTISMVS. XII.

PRIMA hæresis est, quæ errat in materia; non. n. baptizant in aqua, sed in igne.

Hic error est Seleuci, Hermiæ Galatarum; per illum textum, Ipse vos baptizabit in Aqua, et igne Math. cap. 3. qui locus intelligitur, quia Spiritus sanctus est ignis, vel quia hic baptizamur in spiritu, et aqua; in futuro autem baptizabimur

zabimur igne, iuxta dictum Pauli 2. Cor. 3. vnius cuiusq; opus quale sit, ignis probabit, ita ibi intelligit Hieronymus, et Hylarius.

Contra hanc hæresim facit. Primo Math. c. 18. ibi Baptizantes eos in nomine Patris, et filij et spiritus sancti; Baptizare autem significat lauare, quod fit tantum per aquam. Secundo ad Ephes. 5. Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. Tertio Math. 3. Iesus Christus in Iordane baptizatus est à Ioanne vt contactu suæ mundissimæ carnis aquas sanctificaret. Quarto Zachar. cap. 13. In die illa erit fons patens domui Dauid, et habitãtibus Hyerusalem, in ablutionem peccatoris. Quinto Ezech. 30. Effundam super vos aquam mundam et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris et ab vniuersis idolis vestris mundabo vos. Sexto adest Concilium Florentinum sub Eugenio 4. Materia huius sacramenti est aqua naturalis, nec refert, an sit calida. S. Thom. et S. Bonau. et doct. com. in 4. sent. distin. 3. S. Thom. 3. p. q. 66. et seq. Alex. de Ales. 3. p. q. 8. per totam Concil. Trid. sess. 7. tit. de Bapt. Summistæ omnes ver. Baptismus Hosius tit. de Bapt. cap. 34. et seq. Concil. Trid. Can. 2. sess. 7.

Secunda hæresis est circa formam, quoniam non vtitur ea, qua Catholica vtitur Ecclesia, quæ forma est expressa Math. cap. fin. ibi.

Baptizantes eos in nomine Patris, et filij et spiritus sancti conc. c. 1. de Baptismo, idem in Can. Apost. 49. et in Canone 50. Tria .n. sunt

necessa-

necessaria in hac forma, Primo expressa Trinitatis pronuntiatio, verbum exprimens actum ipsum baptismi, et vox exprimens personam baptizatam, non obst. act. Apost. 8. vbi Apostoli in nomine Christi baptizabant; Nam Resp. illud factum esse ex dispensatione diuina, propter exaltationem nominis Iesu Christi, quod Iudæis erat scandalum, gentibus autem stultitia; permittitur tamen Græcis vti alia forma, quæ est talis, Baptizetur seruus Christi in nomine Patris, et filij, et spiritus sancti, quod approbat Ecclesia, vt in Concilio Florentino sub Eugenio 4. disponitur, vt in Concilio Niceno habetur, quod baptizatus absque debita forma sit iterum baptizandus.

Tertia hæresis est, quæ respicit personam baptizatam: sunt. n. qui mortuos baptizant, et isti sunt Cataphryges, authoritate Pauli. 1. ad Cor. 15. ibi, Alioquin quid faciunt qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt, vt quid et baptizantur pro illis? Ambrosius in tantum ratam, et stabilem vult ostendere resurrectionem mortuorum, vt exemplum det illorum, qui tam securi erant de futura resurrectione, vt etiã pro mortuis baptizarentur, si quem fortè mors præueniisset, timentes ne aut malè, aut non resurgerent, aut qui baptizatus non fuerat viuus nomine mortui tingebatur: vndè subiecit: quid et baptizantur pro illis? exemplo hoc non factum illorum probat; sed fixam fidem in resurrectionem ostendit.

Contra hanc hæresim facit. Primo Math. vltimo, Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, et filij et spiritu sancti. Secundo Marc. vlt. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, saluus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur. Tertio et vltimo definitio Ecclesiæ Concil. Cartag. 3. cap. 6. ibi Item placuit, vt corporibus defunctorum Eucharistia non detur. Dictum est. n. à Domino accipite, et edite; cadauera autem nec accipere, neque edere possunt: cauendum est etiam, ne mortuos baptizari posse fratrum infirmitas credat, quibus nec Eucharistiam dari licitum est.

Quarta hæresis est circa baptismi vim, ac potestatem, quam quidem sic minuere conantur, vt nullam baptismo virtutem tribuant.

Huius hæresis Authores fuere Psalliani, qui Orantes dicti sunt; quam hæresim tenuit Martinus Lutherus in libro de Captiuitate Babilonica, ibi Hæretica est sed vsitata sententia, sacramenta nouę legis conferre gratiam ijs, qui non ponunt obicem.

Contra hanc hæresim facit. Primo Math. cap. vltimo. Qui crediderit, et baptizatus fuerit saluus erit. Secundo 1. Petr. cap. 3. ibi Quod et vos similis formæ saluos facit baptisma. Tertio Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et spiritu sancto nō potest introire in Regnum Dei. Quarto Act. Apost. 2. Baptizetur vnusquisque vestrum, in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum

num Spiritus sancti. Quinto Galat. 3. Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Sexto Paul. ad Tit. 3. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, et renouationis Spiritus sancti. Contra hãc hæresim septimo est definitio Ecclesiæ in Symbolo, ibi Credo vnum baptisma in remissionem peccatorum, et decretum Concilij Florentini, sub Eugenio 4. de Sacramento Baptismi, loquens ait, Huius sacramenti effectus est remissio omnis culpæ Originalis, et actualis, omnis quoque pœnæ, quæ pro ipsa culpa debetur. Direct. Inq. 2. p. q. 7. hær. 4. et seq. clem. fidei de Summa Trin. et fide Cath.

Quinta hæresis est Paruulis vsu rationis carentibus, nihil prodesse baptisma; quia ipsi nõ possunt habere fidem, nec credere verbo Dei illis prædicato, cui Resp. quòd paruuli aliena fide nempè Ecclesiæ accedunt ad Dominum, sicuti paruuli alienis pedibus ad Dominum accedebant.

Huius pestiferę hæresis Author fuit Petrus de Bruis Gallus.

Contra hanc hæresim facit. Primo Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto non potest intrare in regnum cœlorum; fateri igitur oportet, infantes esse capaces baptismi, aut esse incapaces Regni Cœlorum. Secundo Math. 19. Sinite paruulos venire ad me, et nolite eos prohibere; talium est .n. Regnum Cœlorum. Tertio Math. 11. Venite ad me om-

nes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiã vos, vbi nullum excipit. Quarto Luc. 18. Afferebant ad illũ infantes, vt eos tangeret. Quinto ex figuris baptismi 1. Petr. cap. 3. In Arca Noe pauci. i. octo. Animæ saluæ factæ sunt per aquam, quod et vos nunc similis formæ facit baptisma. Sexto 1. Cor. 10. Omnes in Moyse baptizati sunt in nube, et in mari, vbi neminem excipit, sed omnes concluſit paruulos perinde atque adultos. Septimo circumcisio erat figura baptismi, et tamen infantes circuncidebantur Paulus ad Colos. 2. et Genes. 17. Infans octo dierum circumcidetur in vobis. Octauo com. opi. doct. S. Bernard. in Epist. 77. ad Vgonem, Aug. lib. 3. de lib. arb. Dionysius Areopagita cap. fin. Ecclesiasticę Hierarchiæ Cipran. lib. 3. Epistol. 8. Nono facit definitio Ecclesiæ c. firmiter de Summa Trin. et fide Cath. clem. 1. de Summa Trin. et fide Cath. Concil. Trid. Can. 4. sess. 5. et Can. 13. sess. 7. non obst. quod paruuli credere non possint, et qui non crediderit condemnabitur Math. cap. 16. nam illa verba intelliguntur de illis, quibus prædicabatur Euangelium, qui non sunt nisi adulti, qui ante baptismum hac ratione prius catechizantur. i. in fide Catholica instruuntur. Præterea paruuli quamuis ante susceptum baptismum non habeant fidem, habent tamen illam postquam baptizati sunt S. Bernar. super Cant. cap. 66. Aug. lib. de baptismo paruulorum. cap. Filius Dei de consecr. distin. 4.

Sexta

Sexta hæresis est circa vnitatem baptismi: sunt .n. aliqui, qui rebaptizant eos, qui iam semel baptismum susceperunt.

Horum Sectæ variæ fuerunt, nempè Donatistæ, et alij multi.

Contra hanc hæresim, quod scilicet baptisma non sit iterandum etiam collatum à malo ministro, siue Iudęo, siue Pagano, siue Hęretico, dummodo vtatur debita forma, materia, et intentione, qua vtitur Ecclesia; Primo Ioan. 4. vbi Discipuli baptizabant, inter quos erat Iudas. Secundo Paulus 1. Cor. 3. Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Tertio cap. à quodam de consecr. distin. 4. peccat tamen adultus, qui à talibus sciens baptizatur extra casum necessitatis, et licèt recipiat sacramentum, non tamen recipit gratiam c. quomodo de consecr. distin. 4.

Contra impios Anabaptistas. 1. facit Paulus ad Ephes. 4. vnum baptisma. Secundo ad Rom. 6. Consepulti .n. sumus cum illo per baptismum in morte; at Christus semel tantum mortuus est, ita et nos semel tantum baptizari debemus. Tertio ad Heb. 6. qui secundò baptizat, secundò etiam Christum cruci affigit. Quarto est definitio Ecclesiæ, vt in Symbolo Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum, et Concil. Cartagin. 1. cap. 1. ibi Illicitas esse sancimus rebaptizationes clem. fidei de Summa Trin. et fide Cath. et Concil. Florent. sub Eugenio 4. Conc. Trid. sess. 7. Can. 11.

Septima est hæresis, quæ dicit, non posse conferri baptismum alicui, nisi eidem conferatur Eucharistiæ sacramentum.

Altera est, quæ dicit Chrisma adeò esse exactum ad verum baptismum perficiendum, vt nisi baptizatus Chrismate vngatur, non sit baptizatus.

Harum hæresum Authores sunt Armeni.

Contra has hæreses facit, quia Christus instituens baptisma, nullum de his præceptum dedit, et baptismus fuit institutus ante Eucharistiam Ioan. 4. vbi Discipuli baptizabant, et licèt Chrisma exigatur in baptismo; non tamen illud exigit baptismum; sed Ecclesia illud exigit à ministro conficiente baptismum; ita vt si Chrisma non adhiberetur, extrema necessitate secluſa, minister peccaret; baptismus nihilominus esset perfectus.

Octaua est hæresis Vualdensium, quæ dicit Baptismũ Aquæ, nulla interiecta sacri olei mixtura', fore recipiendum.

Contra hanc heresim est in contrarium consuetudo vniuersalis Ecclesiæ, cui standum est maximè in sacramentis administrandis. Conc. Damasc. lib. 4. de fide Orthodoxa c. 10. S. Ambr. lib. 1. de sacramentis, Dionysius Areopag. lib. 2. Eccl. Hyerarch.

Nona hæresis est asserens Pueros non egere baptismo ad deletionem peccati Originalis; quia videlicet negat, pueros ante baptismum vllum peccatum originale habere.

Hic

Hic est error Pelagij, de quo dicemus in ferius, cum de peccato originali tractabimus.

Alia est hæresis, quæ dicit paruulos posse sine baptismo aquæ per fidem, et orationes parentum suorum saluari, quando baptismus aliter haberi non potuit.

Huius erroris Author est Ioannes Vuiclef; Ioannes Gerson sequitur vnà cum Thoma de Vio Caietano.

Contra hanc hæresim facit. Primo Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei; oportet .n. ergo nasci prius, quàm quis renascatur, Aug. lib. de baptismo paruulorum c. 13. et intelligas natum, qui quouis modo prodijt in lucem, aut totus integer, aut membrorũ aliquod illius viuum, cap. filius Dei de consecr. dist. 4. Secundo Paulus ad Titum 3. Benignitas, ac humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos; sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, et renouationis Spiritu sancti, quem effudit in nos abundè per Iesum Saluatorem nostrum: vbi apparet salutem spiritualem nobis datam à Deo, non ex nostris meritis; sed ex meritis Christi. Tertio Paulus ad Ephes. 5. dicens, Christum dilexisse Ecclesiam, et se ipsum tradidisse pro ea, vt illam sanctificaret, mundando illam lauacro aquæ in verbo vitæ. Quarto 1. Ioan. 5. Hic est qui venit per aquam, et sanguinem Iesus Christus;

non in aqua solum, sed in aqua, et sanguine, et spiritus est, qui testificatur; quoniam Christus est veritas: quoniam tres sunt, qui dant testimoniũ in cœlo. Pater, Verbum, et Spiritus sanctus, et hi tres vnum sunt: et tres sunt, qui testimonium dant in terra Spiritus, Aqua, et Sanguis, et hi tres vnum sunt. Quinto facit ratio, quia nullus potest mereri alteri primam gratiam, aut primam iustificationem, sine proprio aliquo voluntatis motu, aut affectu ipsius iustificati; nam aliàs amens in peccato mortali existens posset sine vlla sua pœnitentia iustificari. Contra Euang. Luc. 13. Nisi pœnitentiã egeritis, omnes simul peribitis. not. c. Maiores. §. verũ de baptismo. Sexto facit com. opinio doct. Dionys. c. vltimo de Eccl. Hyerarch. Ciprian. Epist. 8. lib. 3. August. Epist. 23. Bernard. serm. 66. super Cantica. Aug. lib. 6. Hypognosticum contra Pelagium, Beda lib. 1. super Cantica. Septimo adest definitio Ecclesiæ in Conc. Flor. sub Eug. 4. et Concil. Trid. sess. 6. in cap. 4. conc. c. Maiores de baptismo; Martyrium tamen propter Christum idem operaretur in illis, quod operatur aquæ baptismus, si eis fuisset exhibitus.

Decima est hæresis pugnans ex diametro precedenti; quia baptismi necessitatem tantam esse asserit, et adultum hominem, qui non propter contemptum, sed propter impossibilitatem sine baptismo ab hac vita migrauit, saluari non posse contendat; quamuis tunc optauerit baptizari,

ptizari, et toto fuerit corde tunc ad Deum conuersus.

Contra hanc hęresim facit. Primo Ezech. 33. Impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua. Secundo Zacchar. 2. Conuertimini ad me, et conuertar ad vos. Tertio Paul. ad Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem; vbi intelligitur de fide, quæ per dilectionem operatur. Quarto 2. Cor. 8. Si enim voluntas prompta est secundum id quod habet, accepta est, non secundum id quod non habet: vbi not. quòd voluntas pro facto reputatur quando quis nō potest opere perficere id quod voluntas appetit. Quinto est com. opin. doct. S. Ambr. lib. de morte Valentiniani S. Aug. lib. 4. de bapt. contra Donatistas cap. 22. et q. 84. in quæst. super leuiticum Isid. lib. 2. cap. 24. de offic. Eccles. vbi not. tria genera baptismi fluminis, flaminis, et sanguinis S. Bernard. Epist. 77. ad Vgonem, Mag. sent. et ibi doct. in 4. sent. distin. 4. Sexto defin. Ecclesiæ cap. Apostolicam de presbitero non bapt. Conc. Trid. sess. 6. cap. de iustificatione.

Vndecima hæresis est continens duos errores, Primus, qui asserit baptismum non delere omne peccatum, Secundus docet concupiscentiam carnis esse peccatum, contra illud præceptum Non concupisces.

Horum errorum Author fuit primus impius Martinus Lutherus.

Contra

Contra primum facit. Primo Michęas Prophet. 7. Deponet iniquitates vestras, et proijciet in profundum maris omnia peccata; vbi loquitur de baptismo, per id quod dicit Paul. 1. Cor. 10. Patres nostri omnes mare transierunt, et omnes in mari baptizati sunt. Secundo Ezech. 36. Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris; quæ aqua ab omnibus doctoribus pro baptismo suscipitur. Tertio Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Quarto Paul. ad Titum. 3. postquam baptismum appellauit lauacrum regenerationis, statim addidit, et renouationis, quæ est talis, vt vetustatem deponat, et nouitatem inducat. Quinto Paul. ad Rom. 5. Sicut regnauit peccatum in morte, ita gratia regnet per iustitiam. Sexto Rom. 6. Quicumq; baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus; consepulti .n. sumus cum illo per baptismum in mortem, vnde ille mortuus est corpore, nos autem morimur peccato; caro illius mortua est in cruce, et peccatum nostrum moritur in baptismate, vt inquit Chrisostomus. Septimo Paulus ad Rom. 6. Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vbi Chrisostomus Serm. 11. Qui baptizatus est in baptismate, peccato mortuus est, idem intelligens ibi dem Theophil. et Anselm. Octauo Paulus ad Rom. 8. Nihil nunc damnationis est his, qui

sunt

sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant: lex .n. spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati, et mortis: in quibus verbis confutantur ambo dicti errores. Nono Paulus ad Galat. 3. Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis; qui .n. Christum induit, peccatum damnabile non habet Sap. 1. In maleuolam animam non introibit sapientia, et 2. Cor. 6. Quæ .n. societas lucis ad tenebras, aut quæ conuentio Christi ad Belial? Decimo Paulus 1. Cor. 6. Abluti estis, sanctificati estis, iustificati estis: quæ omnia conuenire non possunt habenti peccatum damnabile. Vndecimo com. opm. doct. nam vltra Chrisostom. Theophil. et Anselm. dicit hoc idem Cyprian. in sermone de ablutione pedum Aug. lib. 6. Contra Iulianum cap. 5. vbi concludit contra Lutherum Concupiscentiam non esse peccatum, sed pœnam, quę malum appellatur, conc. Cassiod. in Psal. 50. Duodecimo adest definitio Ecclesiæ in Concil. Trid. sess. 5. Can. vltimo non obest Paul. ad Rom. 7. Non .n. quod volo bonum hoc facio, sed quod malum nolo hoc ago; nam Resp. quod ibi intelligitur de pena peccati, seu quia sępè est causa peccati, et sępè solicitat ad ipsum, sicuti illud ad Rom. 7. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ etc.

Duodecima est hæresis, quæ dicit, baptismum aquę iam cessasse, mutatumque esse in baptismum sanguinis.

Huius

Huius erroris Authores fuerunt Flagellantes.

Contra hanc hæresim facit, quia qui crediderit et baptizatus fuerit, saluus erit, non dixit qui crediderit et flagellatus fuerit; Præterea sanguinis effusio ad hoc vt vim baptismi obtineat, debet esse talis, vt ab alio sit illata, quam ipse patienter tolerans efficit, vt baptismi vicem tenere possit; q̃ si quis sibi inuicem mortẽ intulerit, non solum non tenet baptismi vicem, sed valet ad Gehennam.

Tertiadecima heresis est Baptismũ Ioan. bapt. habuisse candẽ vim cũ baptismo Xp̃i Conc. Trid. sess. 7. Can. 1. 14. dicens, aquam non esse materiam huius sacramenti ibid. Can. 2. 15. In Eccl. Rom. non esse veram doctrinam huius sacr. Can. 3. 16. Negans Bapt. datum ab hæreticis in forma Eccl. et cum eius intentione ibid. Can. 4. 17. Si quis dixerit non esse necessarium, sed liberum ibid. Can. 5. 18. asserens baptizatum non posse gratiam amittere, dummodo credat ibid. Can. 6. 19. dicens baptizatum tantùm fieri debitorem fidei, non legis ibid. Can. 7. 8. 20. dicens vota facta post baptismũ esse nulla ibid. Can. 9. 21. dicens peccata omnia, quę fiunt post baptismum, sola recordatione susceptibaptismi remitti ibid. Can. 10. 22. Dicens Neminem baptizandũ esse nisi in ætate, qua baptizatus est Christus, seu in mortis articulo ibid. Can. 12. 23. Dicens Paruulos factos adultos esse interrogandos an ratum habere velint, quod eorum

Patrini

Patrini polliciti sunt eorum nomine ibid. Can. 14. et vbi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos ibid. Can. 14. 24. asserens paruulos post susceptum baptismum non esse fideles, ac factos adultos esse rebaptizãdos ibid. Can. 13.

BEATITVDO. XIII.

PRIMA hæresis est Armenorum asserentium Beatos nõ videre essentiam Dei; Sed claritatem quandam illius essentiæ; in qua visione dicunt beatitudinem consistere.

Contra hanc hæresim facit. Primo Paul. 1. ad Corin. 3. Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem. Secundo Apocal. 22. Et serui eius seruient illi, et videbunt faciem eius. Tertio Math. 18. Dico. n. vobis, quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris mei, qui in cęlis est, et Math. 22. In resurrectione. n. neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicuti Angeli Dei in cœlo. Quarto Psal. 79. Ostende faciem tuam et salui erimus. Quinto Exod. 34. Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, vt videam te; non obst. quod dicitur Exod. 34. Non videbit me homo, et viuet. Iob. 28. Abscondita est ab oculis omnium videntium, et Paul. 1. Tim. 6. Qui lucem habitat inaccesibilem, quem nullus hominum vidit, nec videre potest et 1. Ioan. 4. Deum nemo vidit vnquam;

nam

nam Resp. istas authoritates loqui Deum in hac vita mortali à nemine videri; immo nec ét videri posse: Paulus tamen vidit 2. ad Cor. 12. Quando anima erat separata à ministerio sensus; alij autem, qui dicti sunt in scriptura Deū vidisse, viderunt quosdam Angelos claritate magna fulgentes; qui cum à Deo missi essent, dicebant se Deum vidisse: ita vidit Iacob, Genes. 32. et Moyses Exod. 38. S. Thom. in addit. 3. p. Summæ q. 92. art. 1. et seq.

Secunda hæresis est, quæ asserit, beatitudinē consistere in carnis delitijs, quem errorem dixit Cerintus.

Contra hanc hæresim facit ratio, quia veri catholici, et fideles suam beatitudinem ponunt in Dei cognitione, et amore, quæ nihil magis impedit, quàm per delitias carnales, vt primo probat Paulus 2. Cor. 6. Neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Secundo 1. Cor. 15. sicut portauimus imaginem terreni, portemus imaginem cœlestis. Hoc autem dico fratres, quia caro, et sanguis regnum Dei possidere nō possunt. Tertio Paulus ad Gal. 5. Postquam numerauit opera carnis, subdit postea; qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Quinto In resurrectione neque nubent neq; nubentur Math. 22. Sexto Psalm. 32. Gustate et videte quàm suauis est Dominus. Septimo Isa. 45.

Serui

Serui mei comedent; vos autem esurietis; serui mei bibent, vos autem sitietis; tunc .n. satiabuntur (inquit Psal. 16.) cum apparuerit gloria Domini.

Tertia hæresis est, quæ asserit Nec beatitudinem, nec miseriam esse perpetuam.

Huius hæresis Author est Origenes.

Contra hanc hæresim Math. cap. 6. Nolite thesaurizare vobis Thesauros in terra vbi ærugo, et tinea demolitur, et vbi fures effodiunt, et furantur etc. Secundo Sap. 3. Iustorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. Tertio Sap. 5. Iusti autem in perpetuum viuent, et apud Dominum est merces eorum. Quarto Daniel 12. ibi Alij in vitã æternam, alij in opprobrium, vt videant semper; qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates; de damnatis autem est scriptura aperta dicens Math. 25. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, et Angelis eius; et Luc. 16. Inter vos et nos chaos magnum firmatum est; et hi; qui volunt hinc transire ad vos non possint, nec indè huc transmeare. Contra hanc scripsit S. Aug. lib. 12. cap. 20. de ciuit. Dei Gregor. in Moral. Iob. cap. 40.

Quarta hæresis est, hominem in hac vita posse consequi finalem beatitudinem secundum omnem gradum perfectionis, quem habebit in patria.

Huius

Huius hæresis Authores fuerunt Begardi homines sic dicti, et Beguinę mulieres sic nuncupatæ.

Contra hãc hęresim facit 1. Psal. 12. Satiabor cum apparuerit gloria tua; Beatitudo .n. non habetur, nisi satiata voluntate, et repleto desiderio; at desiderium nostrum in bonis nullus potest replere, nisi solus Deus: Deum autem nemo habet, nisi qui eũ perfectè amat. 1. Ioan. 4. Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo; Deus autem non potest perfectè amari in hac vita, quia non potest in ea perfectè cognosci, ergo etc. Secundo Iob. 7. Militia quædam est vita hominis super terram; ergo inquietudo, et non beatitudo. Tertio Iob. 13. Homo natus de muliere breui viuens tempore, repletur multis miserijs. Quarto definitio Ecclesiæ clem. ad nostram de hæreticis. Direct. Inq. 2. p.q. 7. hær. 4. S. Ant. 4. p. tit. 11. c. 7. §. 4.

Quinta est hæresis dictorum Begardorum et Beguinarum, quæ docet Omnem intellectualem naturam se ipsa naturaliter esse beatam.

Contra hanc hæresim. Primo Paulus ad Hebr. 6. Gratia Dei vita æterna. Secundo 3. Rom. Iustificati gratis per gratiã Dei. Tertio Rom. 9. Non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis; non ergo de sui natura naturaliter est beata. Quarto facit clem. ad nostram de hæret.

Sexta hæresis est, quæ docet Nullam animam ante diem iudicij esse beatam; Quoniam (vt ait) nulla anima ante illum diem videt Deum.

Huius

Huius hæresis Authores fuerunt Armeni, quam tuentur Græci, sicuti sunt Irenęus, Theophilact. et S. Bernardus.

Contra hanc hæresim facit. Primo Esaia 68. ibi Ascendisti in altum, cœpisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus. Secundo Luc. 23. Hodie mecũ eris in Paradiso. Tertio 2. Cor. 5. Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam, sed æternam in cœlis. Quarto Philip. 1. Cupio dissolui et esse cum Christo. Quinto Apocalip. 6. Et beatæ sunt illis singulæ stolæ albæ. Sexto Leuit. 19. Non morabitur apud te opus mercenarij; omnes autem iusti mercenarij sunt, quasi in vinea Domini laborantes. Septimo Prou. 3. Spes, quæ differtur, affligit animum, quo fieret vt animæ quantumlibet sanctæ, et in expectatione futuræ beatitudinis suspensæ, sint in continua afflictione. Octauo Iob. 21. Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt et Luc. 16. Mortuus est diues, et sepultus est in inferno; si peccatoribus dignam statim infligit Deus pœnam, non est verisimile, vt iustis non statim debitum reddat præmium. Nono de Ecclesiasticis dogmatibus est dogma septuagesimum octauum ad hanc rem pertinens, et c. ad Apostolicam de presbitero non bapt. et Benedictus Vndecimus in extr. quæ incipit Benedictus Deus, et Concilium Flor. sub Eug. 4. Contra hanc hæresim clare

expresit, cõtra quam scripsit Guglielmus. p. 2. Dialog. tract. 1. S. Thom. in opusculo Contra Græcos cap. 9. non obst. quod dicunt de Paulo ad Hebr. 11. Enumeratis pluribus sanctis, qui per fidem subdit, et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem: nam ibi loquitur de resurrectione corporum; animarum tamen gloriam acceperunt. Vnde idem Paulus ad Hebr. 11. Per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones. Secundo non obst. 1. Ioan. 1. Nunc Filij Dei sumus; sed nondum apparuit quod erimus: scimus autem quoniam cum apparuerit, similes ei erimus; quia videbimus eum sicuti est, at ante iudicij diem non apparebit, quid erimus: Ergo ante illum diem non videbimus Deum sicuti est; nam Resp. quod licèt Ioannes dicat Nos futuros esse similes Deo, et visuros illum cum apparuerit quid erimus, non tamẽ dicit, nos non visuros illum ante quã appareat quid erimus.

Septima est hæresis, quæ asserit Omnes Beatos esse pares in gloria, neque illam esse in cœlis prẽmiorum differentiam, quoniam nullam esse ait meritorum in hac vita disparitatem; sed omnes iustos pares esse asserit, in meritis et in prœmijs: et omnes peccatores pares etiam esse dicit in peccatis, et in pœnis.

Huius erroris Author fuit Iouinianus; Contra hanc hæresim facit. Primo Ioan. 14. In domo Patris mei mansiones multæ sunt, domum

mum Patris dixit regnum cœleſte Baruch.3. O Iſrael quàm magna eſt domus tua. Secundo 1.Cor.15. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes viuificabuntur; vnuſquiſque autem in ſuo ordine; et in eodem loco; Stella .n. à Stella differt in claritate: ſic et reſurrectio mortuorum. Tertio 2.Cor.9. Qui parcè ſeminat, parcè et metet, et qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. Quarto Luc.17. Domine adauge nobis fidem ſi vna eſt omnium fidei menſura, quomodo orant Apoſtoli augeri ſuam fidem? Quinto Math.11. Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta. Sexto Math.5. Qui ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, minimus vocabitur in Regno Cœlorum; qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Cœlorum: vbi eſt magnus, et minimus, oportet vt nõ omnes eadem menſura mentiantur. Septimo Hyer.31. Omnes .n. cognoſcent me, à minimo vſque ad maximum; quod non eſſet verum, ſi omnes eſſent æquales. Octauo 2.Cor.5. Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt recipiat vnuſquiſque propria corporis, pro ut geſsit, ſiue bonum ſiue malum; Nono Eſa.56. Dabo eis in domo mea, et in muris meis locum, et nomen melius à filijs et filiabus, et nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit. Decimo adeſt Concil. Telenſe, et Concil. Flor. contra hanc hæreſim ſtatuentia, non obſt. quòd æqua merces fuerit

data à iusto Patrefamilias Math. cap. 20. nam Resp. illum denarium significare vitam æternam, stella tamen à stella differt in claritate; nã si cœlum significaretur illud denarium, non ne in Cœlo esse omnibus est commune syderibus et tamen alia est gloria solis, alia lunæ, alia stellarum Aug. lib. de sancta virg. c. 26.

BELLVM. XIIII.

PRIMA hæresis est Manicheorum dicentium Nullo pacto licere gerere bellum.

Contra facit. Primo Luc. 3. Interrogabant autem milites dicentes, quid faciemus et nos? Et ait illis, Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, et contenti estote stipendijs vestris; vbi non prohibuit bellum, sed calumniã tantum abiecit. Secundo Math. 8. Et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites; et dico huic vade et vadit, et alij veni, et venit, et seruo meo fac hoc et facit. Christus hæc audiens, fidem Centurionis laudauit: Militiæ verò desertionem non imperauit. Tertio Math. 22. Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo. Hac autem de causa tributa redduntur, vt inde militi ad pacis conseruationem necessariò stipendium soluatur, vt inquit Paulus ad Rom. 13. Quarto ibidem Paulus, Si autem malum feceris, time. Non .n. sine causa gladium portat; Dei .n. minister est, vindex in iram eius, qui malum agit,

non

non obst. quod dicitur Math. 5. Ego autem dico vobis non resistere malo, sed si quis percusserit te in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram; nam Resp. Aug. Illud non esse operis præceptum, sed affectus, vt videlicet animus noster ita patienter toleret vnius maxillę percussionem, vt paratus sit, si in alia iterum percuteretur, patienter etiã ferre. Secundo Resp. illud non esse præceptum, sed consilium, vt patet ibidem ex sequentibus verbis. Et ei, qui vult tecum in iudicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium; non obst. etiam quod christianus debeat præliare orationibus; nam Resp. iustum bellatorem debere orationibus præliari 1. Mach. 4. Non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est: Nec tamen ideò abstinendum est à bello, quoniam Moyse orante in Monte Amalec vincitur gladio Iosue, Exod. 17. De hoc dixi in Summa pec. cap. p. 1. Tit. 4. q. 74. et seq. not. c. 1. et seq. 25. q. 1.

Secunda hæresis est Martini Lutheri, qui asserit, Non licere christianis bellare in Turcas; quoniam (vt dicit) est repugnare voluntati Dei visitanti, et corrigenti iniquitates nostras per illos.

Contra hanc hæresim adest definitio Ecclesiæ Concil. apud clarum Montem sub vrb. 2. et Concil. Later. sub Calisto. 2. et Lucius. 3. in Concilio habito Veronæ; non obst. ratio adducta in contrarium; nam licèt Deus visitet nos

per Turchas; non tamen inhibet defensionem, alioquin nullam prouisionem liceret facere cõtra famem, et pestem, quibus visitamur à Domino; causa tamen bellandi debet esse iustitia, et conseruatio eius; non .n. quæritur pax, vt bellum exerceatur, sed bellum geritur, vt pax acquiratur Aug. in Epist. ad Bonifacium.

BENEDICTIO. XV.

OMNES beneditiones, quas Ecclesia facit, aut dicit, super vinum, panem, aquam, oleum, sal, ceram, incensum, arbores oliuarum, palmarum vestimenta, Calices, aut alias quascunque res, Vualdenses irrident dicentes, illas nullius esse momenti, de quibus dixi supra ver. Aqua, et dicam inferius verb. Exorcismus. Turrianus lib. 3. cap. 6.

Secunda hæresis est Megdaburgesium negantium benedictiones nuptiarum.

Contra facit. Primo Genes. 1. ibi Benedixit què illis, et ait crescite, et multiplicamini. Secundo facit vniuersalis Ecclesiæ traditio Concil. Trid. sess. 24. cap. 1. de reform. matr. Turrianus lib. 5. cap. 3.

BESTIA ET BRVTVM. XVI.

VNA est hæresis Gnosticorum seu Manichęorum, quæ asserit Bestias omnes rationis esse capaces, omniaque bruta animalia æque

vt

vt hominem non solum sentire, verum etiam intelligere.

Contra hanc hæresim facit. Primo Psal.31. Nolite fieri sicut equus et Mulus, quibus non est intellectus. Secundo Psal.43. Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis; In quo autem similis factus sit declarauit, cum dixit eum non intellexisse; per hoc.n. quod nõ intellexit, assimilatus est iumentis; quoniam illa non intelligunt, si bruta intelligunt, in quo quę so assimilatus est iumentis, cum honorem, in quo eum Deus constituit, non agnouit? ex quibus duobus scripturę testimonijs apertissimè conuincimus bestias non esse rationis capaces.

CAIN. XVII.

CAIN adorandum esse hæresis est, Direct. Inquis.2.p.q.6.n.15.cap. fin. vbi Turrecrem.ver.Caniani.24.q.3. S.Ant.4.p. Tit.11. cap.7. Turre crem.lib.4.Summę cap.34.

CALCEAMENTVM. XVIII.

DE hac re vna est hæresis, quæ docet non licere homini Calceamenta portare, à quo opere Discalceati sunt nominati.

Qui non damnantur veluti hæretici, quia calceamentis non vtuntur; nam hoc est bonum ad afflictionem carnis, et ad castigationem cor-

poris; sed ideò damnantur, quia credunt non licere illis vti.

Contra hanc hæresim facit. Primo Exod. 12. Calceamenta habebitis in pedibus vestris. Secundo Ezech. 24. Calceamenta tua erunt in pedibus tuis. Tertio Math. 6. Christus Apostolos suos misit binos ante faciē suā, misit illos calceatos sandalijs, nō obst. Math. 10. Nō perā in via, neq; duas tunicas, neq; calceamenta, neq; virgā; vbi calceamenta prohibentur; nam Resp. qđ illa prohibitio fuit pro nunc ad locum, et tempus, quo mittebantur, vt dixi supra ver. Apostoli Hæresi. 2. nam Ioan. 22. Sed nunc, qui habet sacculum, tollat similiter et peram; et qui non habet, vendat tunicam suam, et emat gladium. Direct. Inquis. p. 2. q. 6. n. 70. S. Ant. 4. p. Tit. 11. cap. 7. cap. fin. vbi Turre crem. in fine 24. q. 3. Idem lib. 4. Summæ cap. 34. in fine.

CANTVS. XIX.

VNA tantum de hac re inuenitur hæresis, quæ irridet Cantus, qui dicuntur in Ecclesia.

Huius hæresis Author est quidam Hylarius, quem secuti sunt Valdenses, et Ioannes Vuicleph Anglicus.

Contra hanc hæresim dicas duplicem esse orationem. Vnam priuatam, quæ fit à singulari persona. Aliam publicam, quæ ab hominum conuentu in vnum congregato fit; Primam magis

magis expedit esse cum silentio, quàm cum clamore 1. Reg. 1. Vbi laudatur Anna Samuelis mater, quæ loquebatur in corde suo, tantumq; labia illius mouebantur, et vox penitus non audiebatur; potest tamen et priuatus alios non perturbans, sed ad orandum incitans clamare Psal. 19. Ad Dominum cum tribularer clamaui, et exaudiuit me, et Ioan. 11. Christus voce magna clamauit Lazare veni foras, et Math. 27. Et circa horam nonam clamauit Iesus voce magna dicens Heli, Heli, lamazabathani, et Paulus ad Hebr. 5. Qui in diebus carnis suæ preces, suplicationesque ad illum, qui posset eũ saluum facere à morte cum clamore valido, et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia; de oratione vero publica facit. Primo Esa. 6. Duo namque Seraphim clamabant alter ad alterum Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Plena est omnis terra gloria tua; ad quorum similitudinem duo Chori in Ecclesia fiunt. Secundo Psalm. 33. Benedicam Dominum in omni tempore; semper laus eius in ore meo. In Domino laudabitur anima mea, audiant mansueti et lętentur. Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen eius in idipsum. Tertio Psal. 32. Cantate ei canticum nouum, bene psallite ei in vociferatione. Quarto Luc. 2. Christo nato facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum, et dicentium, Gloria in Excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonę voluntatis. Quinto Luc. 19.

Cępe-

Cęperunt omnes turbæ discipulorum gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus, quas viderant virtutibus dicentes, Benedictus, qui venit Rex in nomine Domini, Pax in cœlo, et Gloria in Excelsis. Sexto Math. 26. Marc. 14. Post cœnam vltimam Hymno dicto cum discipulis suis exijt in Montem Oliueti. Septimo Acta. Apost. 16. Paulus et Silas adorãtes laudabant Dominum. Octauo adest com. opin. doct. Rabanus lib. de inst. cleric. cap. 17. Isid. lib. 1. de offic. cap. 6. Aug. lib. 9. Confess. c. 6. et seq. Socrates Constantinopolit. lib. 6. Hyst. Eccl. cap. 9. Eusebius Cæsar. lib. 2. Eccles. Hyst. cap. 17. Nono est definitio Ecclesiæ Concil. Agat. cap. 30. non obst. Math. 6. Tu tamen cum oraueris intra cubiculum tuum, et clauso ostio tuo ora patrem tuum in abscondito, et pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi: Resp. quòd Christus ibi non prohibuit opus, sed intentionem: Non .n. prohibuit publicè orare; sed prohibuit, ne hac intentione, et hoc animo aliquis oraret in publico, vt ab alijs videretur; Secundo non obst. 3. Reg. 18. Quod Helias ad Prophetas Baal ait: Deus .n. vester forsitan cum alio loquitur, aut in diuersorio est, aut in itinere, aut certè dormit vt excitetur: nam Resp. quod ibi reprehenditur, non hac sola ratione quod clamabant; sed quia clamantes credebant Deum altiores voces magis audire. Ideò Helias eorum errorem deridens, ait, clamate voce maiore etc. Sic Christus reprehen-

prehendit prolixitatem verborum in oratione, non simpliciter, et absolute, sed sicut Ethnici faciunt Math.6. Orantes autem nolite multum loqui, sicut Ethnici faciunt: putant.n. quòd in multiloquio suo exaudiantur, vndè prohibuit, ne crederemus Deum per multiloquium nostrum magis flectendum, sed per maiorem animi feruorem. Contra hanc hæresim scripsit Thom. Vald.lib. de sacramentalibus Tit.2. de Cantu in Ecclesia habendo est Concil.Trid. de reform.sess.24.cap.12.

CAPVT. XX.

VNVS est error dicens Non esse vnum Caput Ecclesiæ in terris videlicet Papam, de quo dicemus infra ver. Papa.

CARO ET CORPVS HVMANVM. XXI.

HIC est vnus error Manichęorum dicentium, corpus esse suapte natura malum, et ideo à malo principio factum; hunc errorem sequuti sunt Priscillianistæ, et Patriciani.

Contra facit 2.Genes. Creauit Deus hominem ad imaginem, et similitudinem suam, ad imaginem Dei creauit illum, masculum, et fœminam fecit eos; at hæc sexus distinctio non est in anima, sed in corpore. Secundo Psal.118. Manus tuæ Domine fecerunt me, et plasmauerunt

runt me; corpus .n. est de substantia hominis, sicut anima dicente Athanasio, Anima rationalis, et caro vnus est homo. Tertio Iob.10. expressè de corpore dixit: Sicut lac me coagulasti. Quarto Eccl.18. Deus de terra creauit hominem. Quinto Rom.6. vbi Paulus corpus arma iustitiæ appellat, conuincitur, quòd suaptè natura non sit malum, cum possit illud ad arma iustitiæ conuerti. Sexto facit ratio, quia Christus assumens nostram naturam factus est verus homo, sicut vnus ex nobis. Ioan.1. Verbum Caro factum est, et Paulus Rom.2. Factus est ex semine Dauid secundum carnem; quod non fecisset, si caro hominis suapte natura fuisset mala. Septimo et vlt. est definitio Ecclesiæ Leo Papa huius nominis primus Epistol.76.cap.8. et Concil. Brac.1. cap.3. Si quis dixerit creationem vniuersę carnis non opificium esse Dei, sed malorum Angelorum sicut Manichęus, et Priscillianus dixerunt Anathema sit.

Secunda hæresis est, quæ docet Imaginem Dei, ad quam homo à Deo conditus esse dicitur, esse in carne hominis sitam, non in anima; de qua dicam inferius ver. Imago.

CÆLIBATVS. XXII.

CÆLIBATVM damnans est Hæreticus, vide infra verb. Virginitas, Turrianus lib. 5.cap.12. et cap.14. et seq. et lib.1. cap.2. Ecchius tit.19.

CERTI-

CERTITVDO. XXIII.

DE hac re vna solum est hæresis Martini Lutheri, Philippi Melanctonis, Martini Butzeri, et Ioannes Caluini, et reliqui omnes, qui impio lutherano nomine censentur; docentes Omnem hominem iustum certitudine fidei scire se esse in gratia, et verè iustificatum. Et insuper addunt, Omnem hominem iustum esse obligatum ex regulis fidei, ad certò credendum se esse in gratia; quòd si non certò crediderit, ob hanc solam causam dicit illum non esse iustum.

Contra hanc hæresim dicam inferius ver. Gratia.

CHARACTER. XXIIII.

VNVS inter plures errores Lutheri reperitur, in nullo sacramento imprimi Characterem.

Contra facit. Primo Paulus ad Eph. 4. Nolite contristare Spiritum Dei Sanctum, in quo signati estis in die redemptionis; vbi Hyer. de Baptismo dicit: signati autem sumus Spiritu Dei Sancto, vt spiritus noster, et anima imprimantur signaculo Dei Conc. Aug. lib. 1. c. 30. contra Crescentium, et cõtra Donatistas lib. 6. cap. 1. idem Innocentius 1. scribens Decentio Eugulino cap. 3. Greg. lib. 2. Regist ri cap. 32.

vltimo

vltimo adest definitio Ecclesiæ cap. non licet de consecr. distin. 4. c. dictum de consecr. distin. 5. Concil. Flor. sub Eugenio 4. et Concil. Trid. sess. 7. can. 9. Si quis dixerit in tribus sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione, et ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale, et indelebile, vnde ea iterari non possint Anathema sit: character .n. est figura, quam Deus animæ imprimit in signaculum, quo suũ gregem discernit ab alijs; per baptismum gratiã recipimus, et inter oues dominicas connumeramur, et ouile eius intramus, et vt à non baptizatis distinguamur, charactere à Deo signamur in anima, grandiores effecti sacramentum confirmationis accipimus in quo gratia nobis præstatur, qua roboremur in militia, et fortiores simus in prælio; militia .n. est vita hominis super terram Iob. 7. Ideo dux noster Christus nos charactere suæ militiæ notat. Qui vero recipit sacramentum ordinis, ad altiorem quendam statum extollitur, et veluti ex plebeio ad nobilium statum euehitur, quapropter quasi quoddam sui status signum tunc à Deo illi imprimitur Ecchius tit. 35. de charactere.

CHARITAS. XXV.

CHARITATEM eo vsque auctam fuisse, vt quæ sua natura sunt peccata, fieri possint sine peccato, Hæresis est Almerici, Direct.

rect.2.p.q.7.hær.4. Item charitatem, et alias virtutes à nullo viatore haberi posse, hæresis est. Direct.2.p.q.10.hær.15. Rursus charitate semota diligi posse Deum meritorie, et obtineri vitam æternam, hæresis est Direct.2.p.q.10. hær.16.

CHRISTVS. XXVI.

CHRISTVS nomen est vnius personæ duas naturas habentis, diuinam videlicet et humanam.

Prima hæresis est, quæ negat Christum fuisse Deum, sed solam naturam habuisse humanam.

Huius hæresis Author fuit Ebion quidam Apostolis coæuus. Direct.p.2.q.6.n.36.c.fin. vbi Turre crem.ver.Ebionitę 24.q.3.S.Ant.4. p.tit.11.cap.7.

Contra facit. Primo Math.3. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, et ibidem Petrus inquit Tu es Christus filius Dei viui. Secundo Marc.17. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite, Tertio Marc.14. Tu es Christus filius Dei viui? Iesus autem dixit Ego sum. Quarto Luc. 1. Dixit Gabriel Angelus. Hic erit magnus, et filius altissimi vocabitur, et inferius, et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei, et Elisabet ibidem dixit inferius: Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Et vnde mihi hoc vt veniat Mater Domini mei

ad

ad me, vbi Iesus adhuc in vtero dicitur Dominus. Quarto Ioan. 1. Deus erat verbum, deinde dicit Verbum caro factum est, et habitauit in nobis. Quinto Ioan. 8. Dixit eis Iesus: Amen Amen dico vobis antequam Abraam fieret Ego sum. Sexto Ioan. 11. Ego sum resurrectio et vita, qui credit in me etiam si mortuus fuerit viuet etc. Septimo Paul. ad Rom. 11. Quod ante promiserat per Prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo, et infra, qui prędestinatus est filius Dei in virtute. Octauo Rom. 2. Thesaurizas tibi iram in die iræ, et reuelationis iusti iudicij Dei. Nono Rom. 14. Oportet nos omnes manifestari ante tribunal Christi. Decimo Rom. 9. Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Vndecimo 1. Cor. 8. Et vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum. Duodecimo Philip. 2. Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset, nō rapinam arbitratus est esse sęqualem Deo. Tertiodecimo Tit. 2. vt doctrinam Saluatoris nostri Dei honorent in omnibus. Quartodecimo Hebr. 1. Filius meus es tu, ego hodie genui te, et rursum, ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium etc. Quintodecimo 1. Pet. 3. dicit Christum sedere in dextera Dei. Sesto decimo 2. Pet. 1. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, et hanc vocem audiuimus de cœlo allatam cum essemus cum ipso in monte sancto. Decimoseptimo 1. Ioan. 5. Et

scimus

scimus quoniam filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus Deum uerum, et simus in uero filio eius Iesu Christo. Decimo octauo Ioan.10. Opera, quæ ego facio in nomine patris mei, ipsa testimonium perhibent de me: vltra hæc adsunt alia, et Primo peccata dimittit Luc.c.5. Remittuntur tibi peccata tua. Secundo Cogitationes hominum cognoscit, Luc.5. Vt cognouit autem Iesus cogitationes eorum respondens dixit ad illos: Quid cogitatis in cordibus uestris? quas solus Deus cognoscit Psal.7. Scrutans corda, et renes Deus. Tertio Miraculorum claritas propria authoritate; nam aperuit oculos cæci nati Ioan.9. Suscitauit Lazarum mortuum. Et multos alios Ioan.6. Luc.7. et Math.9. Quarto Si in nomine Christi Petrus imperat, non ne multo melius Christus suo nomine imperare poterit? Act. Apost.3. et 9. Quinto, quia mittit Spiritum sanctum, qui et ipse Deus est ut dicetur inferius suo loco: De personis diuinis loquitur S. Thom.1.p. q.29. et seq. doct.com.1.sent.distin.23.et seq.

Secunda hæresis est, quæ negat Christum habuisse naturam humanam, sed vnam tantum in eo ponunt naturam videlicet diuinam, sicut et vnam personam. Direct.2.p.q.6.n.65.cap.fin. vbi Turre crem.ver. Euthichiani 24.q.3.S.Anto.4.p.tit.11.cap.7. Turre crem.lib.4.Summæ cap.34.

Huius erroris Author fuit Cerdon.

Contra facit. Primo Genes.22. Benedicen-

tur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ Paulus Gal.3. Non dicit et seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno, et semini tuo, qui est Christus: Secundo Rom.1. vocat Christum semẽ Dauid ibi Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem. Tertio Math.1. Liber Generationis Iesu Christi Filij Dauid, Filij Abraam, et infra, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. Quarto Luc.1. Ecce concipies, et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum. Quinto Gal.4. Cum venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum est muliere. Sexto sæpe Sanguis Christi nominatur in scriptura Eph.2. Vos qui eratis longè facti estis propè in Sanguine Christi, et ad Hebr.9. Quanto magis Sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundauit conscientias vestras, et prima Pet.cap.1. Sed precioso Sanguine, quasi agni incontaminati, et immaculati Christi, et 1.Ioan.1. Sanguis Iesu Christi Filij Dei emundat nos ab omni peccato: vbi.n. verus est sanguis, necesse est, vt uera sit caro. Septimo Math.16. Spiritus promptus est, caro autem infirma. Octauo post passionem suã in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, et hac de causa Thomæ dictum est Infer digitum tuum huc, et vide manus meas Ioan.cap.10. Nono 1.Ioan.4. Omnis spiritus, qui non confitetur Iesum Christum in carne veniſſe, ex Deo non est, et hic est Antichristus.

Deci-

Decimo adest definitio Ecclesiæ Concil. Nicen. sub Constantino, et Concil. Ephes. 1. et Concilium Ispalense 2. c. 13. non obst. 1. Cor. 15. Primus homo de terra terrenus, Secundus homo de cœlo cœlestis; nam Resp. quòd Christus dicitur cęlestis homo, quia secundum naturam diuinam cœlestis est: Quomodo Adam dictus est terrenus, quamuis anima eius, ex qua etiam sicut ex corpore componitur, sit cœlestis? Itaque Paulus Christo dedit nomen à principaliori natura cum vocauit eum cœlestem. Adæ verò dedit nomẽ à minus principali, uocans eum terrenum, non obst. etiam Gal. 4. In similitudinem hominum factus, et habitu inuentus vt homo; ergo Christus non est verus homo; nam Resp. quod sacra scriptura fundat similitudinẽ in substantia, Eccl. 22. Omne animal diligit sibi simile, et omnis caro ad simile sibi coniungitur; et expressius de homine Gen. 2. Faciamus adiutorium simile sibi, et Genes. 5. Genuit filium ad imaginem et similitudinem suam. Contra hanc hæresim scripsit Athan. vnum lib. de incarn. et S. Ambr. de sacramento incarnationis, et Beatus Cyrillus de recta fide ad Theodosium.

Tertia est hæresis, quæ dicit Duas esse personas in Christo, vnam diuinitatis, aliam humanitatis.

Huius erroris est Author Nestorius.

Contra hanc hæresim facit Luc. cap. 1. Spiritus sanctus superueniet in te, et virtus Altis-

simi obumbrabit tibi; Ideòque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei; vbi constat de duabus naturis in vna persona. Secundo Luc. ibidem cap. 1. Vndè hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me, vbi Elisabeth uocat Virginem gloriosam matrem Dei. Tertio Ioan. 3. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo Filius hominis, qui est in cœlis: Quibus verbis utranque naturam in vna persona expressit. Quarto Rom. 1. Quod ante promiserat per Prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid. Quinto Phil. 2. Hoc .n. sentite in vobis, quod et in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset nō rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, certum est illud pronomen, qui vnā Christi personam referre non duas, qui secundum naturam diuinam æqualis est Patri Ioan. 10. Ego, et Pater vnum sumus; secundum humanam naturam est minor Patre, Ioan. 14. Pater maior me est; secundum diuinam immortalis est Ioan. 11. Ego sum resurrectio, et uita; secundum humanam fit obediens vsque ad mortem, Mortem autem crucis. Math. 27. Sexto Gal. 4. At cum uenit plenitudo temporis misit Deus Filium suum factum ex muliere. Septimo Ioan. 1. Verbum Caro factum est. Octauo in symbol. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis, et incarnatus est, et homo factus est. Et Concil. Ephes. similiter dicitur Deus erat verbum, osten-

ostendens naturam diuinam, et Verbum Caro factum est, ostendens naturam humanã Ioan. 1. de eodem dicitur, factus ex muliere, quod est hominis, et Magi eum adorant, qđ soli Deo conuenit, item In Presepe reclinatum inueniunt, quod est hominis, Maiestas diuinitatis ostenditur vocibus Angelorum; qui lassus ex itinere uelut homo, sedit supra puteum, idem clamat, et dicit Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos; qui sitiens velut homo, petit à Sammaritana potum; idem velut Deus dicit Si scires domum Dei, qui esurit, velut homo; idem velut Deus, de quinque panibus et duobus piscibus satiauit quinque milia hominum; qui miserationis affectu velut homo deflet amicum mortuum; idem sublato lapide quatriduanæ sepulturæ velut Deus excitat rediuiuum. Is, qui velut homo cruci affixus erat, idem velut Deus Latroni Paradisum promittit, lucem in tenebras conuertit; et omnia elementa tremere fecit; in uno .n. corruscat miraculis, iuxta aliud succumbit iniurijs.

Contra hanc hæresim scripsit Cyrillus lib. de recta fide, Gelasius Papa lib. de duabus naturis, idem scripsit Ioannes Papa Gennadius, et Cassianus contra Nestorium.

Quarta hæresis est huic præcedenti omnino opposita, et quodammodo declinat ad secundam. Hæc autem dicit vnam tantum personam Christi, et vnam tantum naturam videlicet diuinam, et in ipso incarnationis momento car-

nem fuisse conuersam in diuinitatem.

Huius erroris Author fuit Euthiches.

Contra hanc hæresim, quæ dicit diuinitatem Christi passam esse. facit Primo Malac.3. Ego Deus, et non mutor: ergo nec pati dicetur. Secundo 1. Pet.4. Christo igitur passo pro nobis in carne, et vos eadem cogitatione armamini, carne passum dixit, non deitate. Tertio 2.Cor.14. Nam et si crucifixus est ex infirmitate, sed uiuit ex uirtute Dei etc. Quarto Psal. 21. Foderunt manus meas, et pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Quinto Esa.1. Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas uellentibus. Sexto Esa.64. Quarè rubrum est uestimentum tuum? nomine uestimenti carnem designans. Septimo est definitio Ecclesiæ Concil.Calced.et Conc.Ephes.Quæ tertia Synodus dicitur et Conc. Ispalense cap.13. Contra hanc hæresim scripsit, Gelas. Papa in lib. contra Nestorium, Boetius in lib. de duabus naturis, et Ioan.Damasc.lib.3.de fide Ortodoxa.

Quinta hæresis est, quæ asserit Christum solum corpus habuisse non animam.

Huius hæresis Author fuit Arrius.

Contra facit. Primo Math.26. Tristis est anima mea vsq; ad mortem. Secundo Ioan.10. Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam, et debet intelligi de anima rationali Luc.2. Iesus proficiebat sapientia et ætate, et gratia apud Deum, et homines.

Tertio

Tertio Christus totum hominem redemit, qui ait, totum hominem sanum feci in Sabbato. Ioan.7. Totum ergo hominem Christus assum psit; Nihil .n. profuisset nobis, solum carnem sine anima susc ipere; quia peccata nostra in anima erant, et non in carne, quæ peccare non potest. Quarto adest definitio Ecclesiæ Conc. Rom. sub Damaso, et Concil. Ephes. cap.13. et Conc. Calced. contra quam scripsit S. Amb. de incarnat. cap.7. per totum.

Sexta est hæresis, quæ asserit In Christo tantum unam fuisse uoluntatem, uidelicet diuinã.

Huius erroris Author fuit Macharius Antiochenus.

Contra facit primo ratio, quia si Christus non haberet uoluntatem duplicem, diuinam scilicet, et humanam, utique non haberet duplicem naturam, consequens est falsum; ergò et antecedens. Secundo Marc.7. Venit Iesus in partes Tyri et Sidonis, et ingressus domum, neminem voluit scire et non potuit latère; ubi constat secundum humanitatẽ non potuisse latère. Tertio Luc.22. Pater si uis transfer calicẽ istũ à me; veruntamen nõ mea uoluntas, sed tua fiat. Vbi sunt duæ uoluntates, humanitatis scilicet et diuinitatis. Quarto Phil.2. Factus est obediens usq; ad mortem, mortem aũt crucis; ubi secundum humanã naturam factus est obediens. Quinto est definitio Ecclesiæ Concil. Constant. quod sexta Synodus appellatur iuxta Ioan.3. Quia descendi de cœlo, non vt faciã

uoluntatem meam, sed eius qui misit me patris; suam propriam uoluntatem dicens, Quæ erat carnis conc. Mag. sent. in 3. dist in. 17.

Septima hæresis negat Christum crucifixum fuisse, sed Simonem Cyrenæum.

Huius erroris Author fuit impius Basilides tempore Apostolorum. Direct. 2. p. q. 6. n. 4. cap. fin. ver. Basilidiani 24. q. 3. S. Ant. 4. tit. 11. cap. 7. Turre crem. lib. 4. Summæ cap. 34.

Contra hanc hæresim facit totum testamentum uetus in figuris loquens et omnes Euangelistæ, et 1. Cor. 1. Nos. n. prædicamus Christum crucifixum et Act. Apost. 2. Certissimè sciat ergo omnis domus Israel, qui et Dominum eum, et Christum fecit Deus, hunc Iesum, quem uos crucifixistis; et 1. Cor. 1. Prædicare Iesum Christum crucifixum Iudeis est scandalum, Gentibus autem stultitia.

Octaua hæresis est negans redemptionem esse à Christo.

Huius hæresis Author est quidam Bassus, quem sequutus est Abailardus qui dixit Diabolum nullum ius habuisse in homine.

Contra hoc vltimum dictum facit. Primo Ioan. 14. Venit. n. Princeps mundi huius, et in me non habet quicquam, si non haberet potestatem in homine, quomodo diceretur Princeps mundi 2. Tim. 2. Ne quando det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam ueritatem, ut resipiscant à Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius uoluntatem; Contra primum

autem

autem errorem facit Math.1. Pariet filium, et uocabis nomen eius Iesum: ipse.n. saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Secundo Ioan.3. Non.n. misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum. Tertio Luc.20. Hoc est corpus meum, quod pro uobis tradetur, et hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro uobis effundetur. Quarto Gal.4. Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Quinto Ephes.2. Cõuiuificauit nos Christo, cuius gratia estis saluati. Sexto Colos.2. Et uos cum mortui essetis in delictis, et præputio carnis uestræ conuiuificauit cum illo donans uobis omnia delicta. Septimo 1.Pet.1. Redempti estis precioso sanguine, quasi agni incontaminati, et immaculati Christi. Octauo Apoc.5. Redemisti nos Deus in sanguine tuo. Nono definitio Ecclesiæ Conc. Nicen. et Constan. et Ephes. et symb. Eccl. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de cœlis. Contra hanc scripsit Bernard. in Epistola 190.

Nona hæresis negat in Christo fuisse spiritũ timoris Domini.

Huius erroris Author est Abailardus.

Contra facit. Primo Esay.11. Egredietur uirga de radice Iesse, et flos eius de radice eius ascendet, et requiescet super eum spiritus Domini,

mini, Spiritus sapientiæ, et intellectus, Spiritus consilij, et fortitudinis, Spiritus scientiæ, et pietatis, et repleuit eum Spiritus timoris Domini; et habebit illum timorem filialem, aut reuerentialem, de quo in Psal. 18. Timor Domini sanctus permanet in seculum seculi, non autem seruilis, de quo dicitur 1. Ioan. 4. Perfecta charitas foras emittit timorem.

Decima hæresis est asserens Christum sustinuisse vulnus lanceæ, cum adhuc viuus esset.

Huius erroris Author fuit Petr. Ioannes.

Contra facit. Primo Ioan. 19. Ad Iesum autem cum veniissent, vt viderunt eum iam mortuum non fregerunt eius crura; sed vnus militum lancea latus eius aperuit, et continuo exiuit sanguis, et aqua. Secundo adest definitio Ecclesiæ in Concil. Viennensi clem. 1. de Summa Trin. et fide catholica.

Vndecima hæresis negat Christum surrexisse.

Huius erroris magister est Cerintus.

Contra hanc hæresim faciunt omnes quatuor Euangelistæ, et Acta Apost. 1. Præbuit se ipsum viuum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, et loquens de Regno Dei, et 1. Cor. 1. Si Christus non surrexerit, inanis est prædicatio nostra, inanis est fides nostra, addo et definitionem Ecclesiæ in symbolo. Credo resurrectionem mortuorum.

Duodecima hæresis asserit Christum in cœ-

los

los sine carne ascendisse.

Hanc hæresim docuit Apelles.

Contra facit. Primo Ioan.20. Vbi Thomas vidit et palpauit Iesum. Secundo Luc.c.vlt. Videte manus meas, et pedes meos, quia ego sum. Palpate, et videte; quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me uidetis habere. Tertio Act.7. et 1.Ecce video cœlos apertos, et filium hominis stantem à dextris virtutis Dei; at filius Dei, si carnem secludas, non amplius dicetur filius hominis; et Angeli quando ascendit in cœlum, dixerunt Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. At Iesus in forma humana est iudicaturus; ergo, et in forma humana ascendit.

Tertiadecima est hęresis Christum non semper fuisse, sed à Maria sumpsisse initium, Direct.p.2.q.6.n.29.

Quartadecima est hæresis Christum ignorare diem iudicij, Direct.2.q.6.n.68. contra qđ dicit Esa.30. Dies iudicij in corde meo.

Quintadecima hæresis est, quæ Christi diuinitatem passibilem dicit cap.fin.24.q.3. in fin. Direct.2.p.q.6.n.70.cap.fin.24.q.3.

CIBVS. XXVII.

PRIMA est hæresis Tatiani asserentis, Non licere vesci carnibus; quam hæresim auxerunt Cathari dicentes Non licere comedere oua, caseum, lac, etiam si necessitas adsit. Direc-

to-

rectorium Inq.p.2.q 6.n.25.cap.fin. vbi Turre crem. verbo Tatiani 24. q.3. S.Ant.4.p.tit. 11.cap.7. Turre crem. lib.4. Summæ cap.34.

Contra hanc hæresim facit. Primo Exod.12. Decima die mensis huius tollat vnusquisque agnum per familias, et domos suas: sin autem minor est numerus, vt sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum, qui coniunctus est domui eius iuxta numerum animarum, quæ sufficere possint ad esum agni. Secundo Leuit.11. Hæc sunt animalia, quæ comedere debetis etc. Tertio Deut.14. Hoc est animal quod comedere debetis. Quarto Paul.1. Cor.8. Omnia quidem munda sunt, et malum est homini, qui per offendiculum manducat; hoc dicit quia propter vitandum scandalum in proximo debet homo à carnibus abstinere Roma.14. Si fratrem meum scandelizo, carnes non comedam in æternum. Quinto 1.Timot.4. In nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis Dęmoniorum, in hypocrisi loquẽtium mendacium, et cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, et his, qui cognouerunt veritatem; quia omnis creatura Dei bona est, et nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sexto Christus (ut omnes Euangelistæ testantur) comedit agnum paschalem. Septimo est definitio Ecclesiæ Concil.

cil. Brac. 1. cap. 14. Si quis immundos putat cibos carnium, quas Deus in vsu hominum dedit, et non propter afflictionem sui corporis, sed quia immunditiã putauerit, ita abstineat ab eis, ut nec olera cocta cum carnibus perguſtet, vt Manicheus, et Priscillianus docuerunt, Anathema sit; non obst. Act. Apost. 15. Vt abstinea tis ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, etc. nam Resp. quòd illa ab Apostolis pro tunc prohibita sunt, non quia ex se mala, sed propter Ethnicos, qui nouiter conuertebantur ad fidem, ne occasione cibi, quem horrebant, abstinerent se conuerti ad fidem.

Secunda est hæresis huic proximè opposita, quæ asserit, Quoslibet cibos quolibet etiam die omnibus sine omni discrimine esse licitos, quantumlibet per ecclesiasticas sanctiones fuerint prohibiti.

Hæc est hæresis Iouiniani, quem nostris temporibus sequuti sunt Lutherani.

Contra hanc hæresim facit. Primo Num. 6. Vir siuè mulier cum fecerit votum, vt sanctificentur, et se voluerint Domino consecrare, à vino et omne quod inebrare potest abstinebũt etc. Secundo Math. 3. Esca autem eius erant locustæ, et Mel syluestre: ecce iam vides Ioannem baptistam à carnibus abstinuisse. Tertio Act. Apost. 15. Visum est spiritui sancto et nobis nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hęc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione;

tione; à quibus custodientes vos bene agetis, si Apostoli hoc agere potuerunt, quare et Ecclesia idem facere non poterit? quæ ita definitur in Concil. Tolet. 8. cap. 9. ad quod addo tot. tit. de obseruatione ieiunij, et Concil. Trid. sess. 25. Tit. de delectu ciborum, ieiunijs, et diebus festis non obst. Luc. cap. 11. In eadem (inquit) domo manete, edentes, et bibentes, quæ apud illos sunt, et rursum in quamcumque ciuitatem intraueritis, et susceperint vos, manducate quę apponuntur vobis; nam Resp. illa verba ad Apostolos solum pertinere, pro illo dumtaxat tempore, quo ad illud iter mittebantur; quibus etiã tunc dicitur In viam gentium ne abieritis, et in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis; tamen postea dicitur Euntes in mundum vniuersum, prædicate euangelium omni creaturæ; seu dicas licitum erit vobis manducare de omnibus, quæ apponuntur vobis, vt intelligatis, nullum iam per me esse vobis prohibitum cibum, nisi vos ipsi prohibito ab eis abstinere volueritis, aut in posterum à meis successoribus vobis interdictum fuerit; non .n. illud est præceptum, sicuti nec præcipitur Leuit. 11. Omne animal, quod habet vngulam diuisam et ruminat, comedetis, alioquin Ioan. bapt. peccasset, quia iuxta præceptum non fecit, cum nullum tale animal comedit. Secundo non obst. Math. 15 Quod intrat in os non coinquinat hominem, sed quod exit de ore, id coinquinat hominem, ergo comedens carnes in quadragesi-

ma

ma nõ peccat: Resp. verum esse nullum cibum ex sua natura posse maculare animæ substantiã, sed voluntas deprauata, qua contra prçceptum ecclesiasticum carnes comedit, illa est, quæ coinquinat hominem: illa autem praua voluntas solicitans ad inobedientiam, est intima homini, et exit de corde, et inde peruenit ad os per praui operis executionem, ad hunc modum dicimus etiam vt ait Paulus, quod esca nos nõ commendat Deus: esca.n. ipsa nec meliores, nec peiores facit, sed obedientia, qua obedientes præcepto Ecclesiæ, abstinemus ab aliquibus cibis, cõmendat nos Deo, et meliores facit: inobedientia autem peiores, et non valet consequentia, Christus nullum docuit ciborum discrimen: ergo purioris christianismi erit, si nullus habeatur ciborum delectus; nam Resp. quòd ad hunc modum oporteret etiam colligere, quòd purior esset christianismus, si omnes procul ab Ecclesia abigerentur cęremoniæ, quoniam Christus aut nullas, aut pauciſsimas docuit cęremonias, quod non est dicendum vt inferius suis in locis latius dicetur. Turrianus lib.3.cap.16. et lib.5.cap.6. et infra ver. Ieiunium.

CIRCVMCISIO. XXVIII.

VNvs error asserens Adhuc in noua lege debere paruulos circumcidi; de quo dicemus infra ver. Lex. Direct. 2.p.q.6.n.8. cap. fin.

fin.24.q.3. vbi Turre crem. ver. Cerinthiani S.Ant.4.p.tit.11.cap.7.

COITVS. XXIX.

PRIMA hęresis est, quę docet Promiscuum fœminarum vsum esse licitum; ita vt quisque qua vellet vti sine peccato posset.

Huius erroris Author fuit Simon Magus.

Contra facit. 1. quia nullus Coitus dicitur licitus pręter eum, qui coniugio mediante inter uirum, et propriam vxorem habetur; Nam coitum cum iumento lex damnat Leuit.18. Cum omni pecore non coibis, nec maculaberis cum eo; et Leuit.20. Qui cum iumento et pecore coierit morte moriatur, pecus quoque occidite. Secundo, coitum cum masculo lex damnat Gen.19. Nam Deus propter hoc Sodomam, et Gomorrham ciuitates incendio destruxit, et Leuit.18. Cum masculo non commiscearis coitu fœmineo, quia abominatio est; et Leuit.20. Qui dormierit cum masculo coitu fœmineo, vterque operatus est nephas, morte moriatur, sit sanguis eorum super eos; et ad Rom.1. Propter hoc tradidit illos Deus in passiones ignominiæ; nam fœminæ eorum mutauerunt naturalem vsum in eum vsum, qui est contra naturam; similiter autem et masculi relicto naturali vsu fœminæ exarserunt in desiderijs suis inuicem, masculi in masculos turpitudinem operantes. Tertio lex damnat adulterium

terium Leuit.20. Si Mechatus quis fuerit cum vxore alterius, et adulterium perpetrauerit cũ vxore proximi sui morte moriatur et Mechus et adultera. Quarto prohibetur fornicatio Math. 15. De corde .n. exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta etc. et ad Gal.5. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt adulterium, fornicatio etc. et hic intelligas fornicationem, omnem concubitum cum soluta. Quinto prohibetur mollities 1. Cor.6. Nolite errare neque fornicari, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles etc. Regnũ Dei possidebunt. Direct.2.p.q.14. hær.16. Prateolus de sect. hæret.lib.14.c.13. Dixi in Summa pec.Cap.p.2.tit.8.q.1. et seq.

Secunda hæresis omnem coitum damnat contra dicam infra ver. Nuptiæ.

Tertia hæresis Beguinarum fuit Carnalem coitum vrente carnis libidine non esse peccatum; sed bene osculum.

Contra primum dictum est in prima hæresi huius tituli, contra secundum dictum facit ratio, si vxor exigat à viro osculum, vt coeat cum ea, et ut hoc debitum uxori præstet, non solum non est peccatũ tale osculum, sed uirtutis actus sicut et ipse licitus coitus est actus iustitiæ, cum uir reddat uxori, quod illius est: cuius .n. finis est bonus, ipsum quoque bonum est; cuius autem finis est malus, ipsum quoque malum est, contra hanc hæresim est definitio Eccl. clem. ad nostram de hæretic. de hac dixi late in Summa

pec. cap. p. 2. tit. 8. quæst. 1. et seq.

Quarta hæresis est Adulteria, et stupra ex charitate facta non esse peccatum, Directorium 2. p. q. 7. hær. 4. et seq. S. Anton. 4. p. tit. 11. c. 7. §. 2. Turre crem. lib. 4. Summę cap. 36.

COMMVNIS VITA. XXX.

COMMVNEM vitam Religiosorum damnans, est hæreticus: dicam infra ver. Monachus Turrianus lib. 5. cap. 2.

CONCILIVM. XXXI.

VNA est hæresis asserentis Concilium generale legitimè congregatum posse errare.

Huius erroris fuit Arrius, Nestorius, Martinus Lutherus, et ipsorum sequaces, non obst. quod obijciunt Ioan. 5. Scrutamini scripturas, quoniam ipsę perhibent testimonium de me, pe nes quas dicunt esse iudicium ad omnes conten tiones fidei dirimendas; nam Resp. quod Dominus non dixit, quoniam illę perhibent de me iudicium, sed quoniam illę perhibent testimonium de me, fatemur iuxta scripturæ testimonium ferendam sententiam, uerum opus est iudice, qui dicta testium inquirat. Nam Arrius et Athanasius contendunt de consubstantialitate filij; Arrius adfert pro se Ioan. 14. Pater maior me est, Athanasius adduxit illum Ego et

Pater

Pater vnum sumus, tunc opus est iudicio Ecclesiæ, vt talem controuersiam dirimat, alioquin ferè omnia dogmata essent confusa, et incerta. Echius tit.2.de Concilijs, Melchior Canus in locis Theologicis lib.5.c.4.Turre crem. lib.3. Summæ c.1. et seq. Hosius Tit.de Conc. cap.24.F.Paul.lib.2.cap.4.de Conc.Eccl.

Contra facit. Primo Math.18.Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à patre meo, qui in cœlis est; vbi .n. sunt duo uel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum, q̃ si hoc promissum est duobus, multo magis Concilio Generali. Secundo Act.15. Visum est Spiritui sancto, et nobis etc. Tertio Ioan.14. Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quęcunque dixero vobis; quę dicta sunt omnibus successoribus Apostolorum, quia dixit Math.18. Ero vobiscum vsque ad consumationem seculi. Christus .n. semper Ecclesiæ astat, sicuti sponsus sponsæ suę cohabitat. Cant.8. Vinea mea coram me est; quæ Ecclesia nõ potest errare Math.16. Portę inferi non prævalebunt aduersus eam, et Ioan.14. Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in ęternum, vndè Paul.ad Ephes.5. Viri diligite vxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ,

vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi; sed vt sit sancta, et immalata; ergo illam inficere non poterit hæresis labes, aut peccati macula. Quarto 1. Tim. 3. dicit Paulus Ecclesiam esse columnam, et firmamentum veritatis, vbi apparet ipsam errare non posse.

Dicimus autem Concilium tunc esse generale, et rectè congregatum; quando Pontificis summi authoritate conuocantur omnes, quorum interest de re illa definire, et in eo præsidet Pontifex, siue eius Legatus: nec oportet ad hoc quod Concilium dicatur Generale, quòd omnes christiani conuocentur, sed solum illi, ad quos spectat docere et regere, quales sunt maiores Ecclesiæ, et similes; nam Paul. 1. Cor. 12. dicit Nam et corpus non est vnum membrum, sed multa; et infra Nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores? vbi apparet quosdam esse in Ecclesia destinatos vt doceant, et definiant, vnde Deuth. 17. Si difficile et ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et non lepram, et iudicium intra portas tuas videris verba variari; surge et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, venienſque ad sacerdotes leuitici generis, et ad Iudicem, qui fuerit illo tempore, quærenſque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem, et facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, et docuerint te iuxta

legem

legem eius, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram; vbi Dominus mittit nos ad Sacerdotes ad amputandum dubitationis vulnus, non ad reges, neque ad Principes, et 1. Cor. 14. Si non fuerit interpres taceat in Ecclesia, sibi autem loquatur et Deo; Prophetæ autem duo, aut tres dicant, et cæteri dijudicent. Quod si alij reuelatum fuerit sedenti, prior taceat. Cum ergo omnes, quorum interest, conuocati sunt, et summi Pontificis authoritate congregati; tunc Concilium Generale rectè congregatum dicetur; quòd si omnes sic congregati, vnanimes, et concordes fuerint, aut eorum maior pars cum summo Pontifice consentiat, illa erit certa scientia, et pro infallibili Concilij Generalis definitione tenenda, quòd si absque authoritate Pontificis congregabitur vel congregatum recedat Legatus Apostolicus, nec à Pontifice fuerit confirmatum seu approbatum, erit prorsus nullum, prout fuit Ariminense factum ab Arrianis hæreticis, contradicente Liberio Papa, et damnatum à Damaso summo Pontifice, eadem ratione Concilium Constantinopolitanum sub Constantino, et Gregorio Tertio celebratum, inane est, et pestiferum; quia renitente Gregorio Tertio celebratum fuit, et contra illius mentem, et aliorum catholicorum lata est ibi Sententia de imaginibus omnino ab Ecclesia tollendis; et ideò in septima Synodo, quæ Nicena fuit, sub Nirene Imperatrice damnatum meritò fuit, si

tamen in aliqua persona talis potestas residet, ea est in solo summo Pontifice.

CONFESSIO. XXXII.

CIRCA Confessionem orti sunt infrascripti errores. Primus negat, eam esse à Deo institutam, sed dicit humana constitutione stabilitam: Secundus dicit, non esse necessarium confiteri sacerdoti, sed sufficit soli Deo peccata confiteri. Tertius dicit, confessionem esse superfluam, et inutilem si contritio adsit. Quartus dicit, non esse necessariam omnium peccatorum examinationem, nec esse mortalia omnia peccata confitenda; nam nihil ignoscendum relinqueretur misericordiæ Dei. Quintus omnino tollit confessionem. Sextus dicit, in confessione non conferri gratiam, qua homo iustificetur; et ita negat, confessionem posse dici sacramentum, quem errorem docet impius Lutherus. Septimus est error d. Lutheri dicentis Omnes christianos esse sacerdotes.

Contra primum errorem est Concil. Trid. sess. 14. Can. 6. contra 2. ibid. Can. 6. contra 3. ibid. Can. 4. contra 4. ibid. Can. 7. contra 5. ibid. Can. 2. et contra 6. ibid. Can. 1. contra 7. ibid. Can. 10.

Contra has hæreses facit. Primo Luc. 17. Ite ostendite vos sacerdotibus, loquens decem leprosis petentibus salutem. Secundo Math. 18. Dixit leproso, vade nemini dixeris, sed ostende

te

te sacerdoti, et offer munus tuum. Tertio Ioan. 2. Lazaro suscitato Christus dixit Apostolis, soluite eũ, et sinite abire. Quarto Ioan. 20. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt; primo dum dicitur quorum remiseritis peccata remittuntur eis. Istis verbis iuxta sententiam omnium sacrorum doctorum potestatem dedit sacerdotibus absoluendi homines à peccatis; at sacerdotes non possunt peccata remittere, nisi prius ea cognouerint, iuxta Prou. 12. Qui iudicat, quæ nouit, iudex iustitiæ est, qui .n. sacerdotibus potestatem remittendi peccata dedit, eisdem verbis peccatoribus obligationem confitendi sua peccata iunxit; nec potest dici quod sint verba Consilij, quia verba sequentia declarant esse præceptum ibi, quorum retinueritis. Nihil certè aliud est sacerdotes retinere peccata, nisi non remittere; sensus .n. literę est quorum non remiseritis peccata, illa non sunt remissa, si ergo ad hoc vt peccata sint remissa, oportet vt sacerdos remittat, ergo ad hoc vt peccata sint remissa, oportet etiã vt peccator illa sacerdoti manifestet, et sic ex illis verbis colligitur, confessionem esse necessariam, eamque fieri debere sacerdoti, qui absoluturus est pœnitentem à peccatis; secundo colligitur ex illis verbis quorum remiseritis peccata remissa erunt, quod gratia per absolutionem sacerdotis infunditur, et per cõsequens est sacramentum contra Lutherum; Quinto

Act. 19. Multi credentium veniebant confitentes, et annunciantes actus suos. Quinto adest com. sententia doctorum videlicet Leo Papa in Epist. 69. ad Theodorum Aug. lib. 50. Homil. in Homil. 49. S. Amb. lib. j. de pœn. cap. 7. Cyprian. sermone quinto de lapsis. Chrisost. Homil. 10. ad Rom. Cyrillus lib. 3. super Leuiticum, Chrisostom. Homil. 3. super Math. vlt. facit definitio Ecclesiæ Sixti Quarti, quæ incipit Sixtus Episcopus et Concil. Constantiense sess. 8. Concil. Flor. sub Eug. 4. ver. quartum sacramentum est pœnitentia et Concil. Trid. sess. 14. Can. 3. et Can. 6. et seq. cap. omnis de pœnit. et remis. Turrianus lib. 4. cap. 17. et seq. de sacram. pœnitentiæ tractat S. Thom. 3. p. q. 84. et seq. doct. com. in 4. sent. distin. 14. et seq. Hosius de sacram. pœn. cap. 44.

CONFIRMATIO. XXXIII.

HÆRESIS Græcorum est Confirmationem non esse sacramentum; quam tenuit etiam impius Lutherus.

Secunda hæresis est si quis dixerit iniurios esse spiritui sancto eos, qui Chrismati virtutem aliquam tribuunt Concil. Trid. sess. 7. Can. 2. Tertia si quis dixerit ordinarium eius ministrũ, non esse solum Episcopum, sed quemuis simplicem sacerdotem ibid. Can. 3.

Contra facit. Primo Act. Apost. 8. Cum Apostoli, qui erant Hierosolymis, audissent, quia

quia Samaria recepit Verbum Dei, per prædicationem Philippi Diaconi, miserunt ad eos Petrum, et Ioannem, qui cum venissent orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum sanctum: nondum .n. in quemquam illorum venerat; sed baptizati tantùm erant in nomine Domini Iesu; tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum: vbi ad impositionem manuum Apostolicarum Spiritum sanctum super iam baptizatos descendisse credimus, ex quo sequitur, quod sit sacramentum, et conferens gratiam, quod à solo Episcopo confertur, quia solum Apostoli hoc conferebant, certumque est Christum ita fuisse, vt confirmandus Chrismate vngeretur, et Apostolos ita fecisse testatur Fabianus Papa in Epist. ad Orientales Episcopos, et solum Episcopi hoc conferunt, ut testatur Damasus in Epist. de Episcopis, Innocen. in Epist. ad Eugubinum cap. 3. Leo 1. in Epist. ad Germanos, Melchiades in Epist. ad Hispaniæ Episc. Eusеb. Papa in Epist. 3. ad Episc. Thusciæ, Vrbanus Papa in Epist. de com. vita etc. Clemens Papa martir in 4. Epist. Conc. Concil. Hispalense secundum, et Concil. Constantiense in 28. art. et Concil. Trident. sess. 7. Can. j. et seq. et Concil. Flor. sub. Eug. 4. Concil. Cartag. 3. et 4. Tolet. j. cap. 20. Braccarense 1. cap. 37. quòd autẽ gratia per manuum impositionem conferatur Act. Apost. 19. ibi Illos vero baptismo in nomine Iesu baptizauit, quo facto imposuit illis manus, et venit Spiritus sanctus

ctus super eos, et loquebantur linguis, et prophetabant: non obstat quod dicit Hieronymus in lib. aduersus Luciferianos, esse magis propter honorem sacerdotij, quàm ex legis necessitate decretum, vt solus Episcopus per impositionem manus Spiritum sanctũ conferat; nam Resp. quod idem ad Damasum Papam scribens dicit se illam solam velle tenere fidem, quam illum Romanus Pontifex, et verus Petri successor docuerit, non obst. etiam quòd B. Gregorius scribens Ianuario Episcopo, permittat, vt presbiteri sacramentum confirmationis baptizatis conferant; nam Resp. ex eadem Epist. quã scribit, quòd illud fecit ad euitandum scandalum; nam fuit magis permissio, quàm concessio. Echius tit. 6 de confirm. Turrianus lib. 2. c. 18. et seq. S. Thom. 3. p. q. 72. Art. 1. et seq. doct. com. in 4. sent. dist. 7. et seq. Hosius Tit. de confirm. cap. 38. F. Paulinus cap. 2. lib. 5. de Conc. Eccl.

CONSILIVM. XXXIIII.

VNA est hæresis Martini Lutheri, dicentis Nullũ discrimen esse inter consilium, atq; præceptũ, de qua dicam infra ver. Præceptum.

CONTRITIO. XXXV.

DVo sunt errores Lutheri circa contritionem, vnus, qui damnat contritionem, quæ oritur

oritur ex consideratione, et odio gehennæ.

Alter, quo dicit, Non oportere ad parãdam veram contritionem, discutere, et colligere omnia peccata, recogitando grauitatem, multitudinem, et fœditatem eorum.

Contra primum; si ille timor seruilis Dei malus esset, quis est ille timor, qui est initium sapientiæ? Psal. 110. Secundo Dauid hoc timore fuit à somno peccati excitatus Psal. 17. Circundederunt me dolores mortis, et torrentes iniquitatis conturbauerunt me, dolores inferni circundederunt me, præoccupauerunt me laquei mortis. Tertio Esa. 26. Domine angustiæ requisierunt me in tribulatione murmuris doctrina tua eis etc. Quarto Psal. 7. Nisi conuersi fueritis gladium suum uibrauit, arcum suum tetendit, et parauit illum. Quinto Ioan. 3. Genimina viperarum quis ostendit vobis fugere à ventura ira? facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. Sexto Luc. 13. Nisi pœnitentiam egeritis omnes simul peribitis, Septimò exemplum de publicano, et de filio prodigo Luc. cap. 15. Octauo contra ambos errores Lutheri adest definitio Ecclesiæ Concil. Trident. sess. 6. Can. 8. et sess. 14. cap. 4. & illam uerò, contra hos errores Lutheri scripsit Ioannes Episcopus Roffensis in tract. contra captiuitatem Babilonicam, et Iacobus latomus in opere, quod pro assertione facultatis louanensis. Hosius Tit. de contrict. cap. 46.

COR-

CORPVS. XXXVI.

CORPORIS partes inferiores à Diabolo esse, hæresis est Paternianorum Direct. 2. p. q. 6. n. 58. c. fin. ver. Paterniani 24. q. 3. S. Anton. 4. p. tit. 11. cap. 7.

CORRECTIO. XXXVII.

VNVS est error dicens, quòd populares possunt ad suum arbitrium Dominos delinquentes corrigere, de quo dicam Tit. de Subditis. Dixi in Summa pec. cap. p. 1. quæst. 14. titul. 3.

CREATVRA. XXXVIII.

PRIMA de hac re hæresis est dicens Creaturas ab alio, quàm à Deo esse factas. Direct. p. 2. quæst. 6. n. 3. cap. fin. ver. Menandriani 23. quæst. 4.

Huius erroris Author fuit Simon Magus.

Contra facit. Primo Genes. 1. In principio creauit Deus cœlum et terram. Secundo Eccles. 13. Qui viuit in æternum creauit omnia simul. Tertio Malac. 2. Nunquid non Deus creauit nos? Quarto Ioan. 1. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil: deinde, In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, Quinto Paul. ad Hebr. 3. Qui autem

omnia

omnia creauit Deus est. Sexto 1. Timot. 4. Prohibẽt abstinere à cibis, quos creauit Deus. Septimo Apocalip. 4. Quia tu creasti omnia et propter uoluntatem tuã sunt, et creata sunt, et vltimo definitio Ecclesiæ in Symbolo dicit, credendum esse in Deum factorem cœli, et terræ conc. cap. 1. de Summa Trin. et fide catholica et Concil. Brac. 1. cap. 13.

Secunda hæresis est Manichęorum dicentiũ, Quòd creaturæ sunt malæ ex se, et generatione sua, quia dicunt à malo Deo creatas esse.

Contra facit. Primo Genes. 1. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona. Secundo Sapient. 2. Diligis Domine omnia, et nihil odisti eorum quæ fecisti. Tertio 1. Timot. 4. Omnis creatura Dei bona est. Quarto adest definitio Ecclesię Concil. Brach. 1. cap. 7. Aug. lib. 1. de libero arbitrio, et in libro secundo de moribus Ecclesiæ.

CRVX. XXXIX.

DE hac re unus est error, qui nullo pacto permittit crucem adorari de quo dixi ego supra ver. Adoratio.

DAMNARI. XXXX.

DAMNARI non posse qui defert habitum Beati Francisci hæresis est Arnaldi Direct. 2. p. q. 11. hær. 2.

DECI-

DECIMÆ. XXXXI.

DECIMAS non esse sacerdotibus soluendas quidam hæretici docuerunt Pseudo apostoli nuncupati, quorum Dux, et Magister fuit Gerardus Sagarellus de Parma, qui iudicio Ecclesiæ damnatus igni traditus est Anno 1260.

Contra facit. Primo Leuit. 7. Omnes decimæ terræ, siue de frugibus, siue de pomis arborum Domini sunt, et illi sanctificantur, ratio est vt sit cibus in domo Domini Malach. 3. et vt seruiant in templo, orentque Deum pro populo Num. 18. Dedi omnes decimas pro ministerio, quo seruiunt mihi in tabernaculo fœderis; vnde qui altari deseruiunt, cum altari participiant; alia ratio est, vt vacent legi Dei, et populum doceant 2. Paral. 31. Vnde Paulus 1. Cor. 9. Si seminamus vobis spiritualia, magnũ est si nos carnalia vestra metiamus; tertia ratio est pauperum egestas, quorum causa decimæ soluuntur; et quamuis aliqui sunt sacerdotes, qui in pauperes decimas non distribuant, nec vacent legi, et minus orent pro populo, nec eum doceant; non tamen illis sunt denegandæ decimæ, cum ipsi sint reddituri rationem sui superioribus, et prælatis, de hoc est definitio Ecclesiæ Concil. Constant. in 18. Art. Decimæ igitur debentur suo sacerdoti ex præcepto diuino; an autem talis decima sit verè decima totius

tius pars an non, parum refert. Echius tit.37. de decimis S.Thom.2.2.quæstio.87. art.1. et seq.Summistæ omnes ver.Decimæ,et toto Tit. de decimis.

DÆMONES. XXXXII.

DÆMONES adorari debere hæresis est Direct.2.p.q.10.hær.3. et seq. dixi supra ver.Adoratio.

DESPERATIO. XXXXIII.

DESPERATIONEM et nihil aliud posse impedire veniam peccatorum hær. Raymundi Direct.2.p.q.9. art.75.

DEVS. XXXXIIII.

PRIMA hæresis est, quæ asserit plures Deos; Gnostici dixerũt esse vnum bonum, et vnum malum, Cerdon autem dixit, duos esse Deos, sed non dixit vnum bonum, alterum malum.

Contra facit.Primo Deut.6.Audi Israel Dominus Deus tuus vnus est. Secundo ibid.27. Videte quòd ego sim solus, et non sit alius præter me. Tertio 4.Reg.4. Verè scio quod non sit alius Deus in vniuersa terra, nisi tantum in Israel. Quarto Psalm.17. Quis Deus præter Dominum? aut quis Deus præter Deum nostrum?

strum? et Psal.85. Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia, tu es Deus solus. Quinto Sap.12. Nec.n. est alius Deus quàm tu, cui cura est de omnibus. Sexto Esa.45. Ego Dominus, et non est alius, extra me non est Deus. Septimo 2.Cor.8. Scimus q̃ nullus est Deus nisi vnus etc. Octauo ad Ephes.4. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, quod autem Gnostici dixerunt vnum Deum bonum, et vnũ malum, conuincitur per Luc.cap.8. Nemo bonus nisi solus Deus; Deus.n. necessariò bonus est, quod si bonus non est, necessariò Deus non est. Director.p.2.quæst.13.hær.1.S.Thom.1. p.quæst.11.art.3.

Secunda hæresis docet Deum esse corporeum, cuius author est Tertullianus.

Contra facit primo ratio, quia si Deus corporeus est, et figuram habet humanam, vtique esset finitus, sed Deus infinitus est, nec aliquo potest limite concludi Iob.22. Excelsior est .n. cœlo, et super stellarum verticem collocatur, et Psal.144. Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis eius non est finis. Secundo Ioan.4. Spiritus est Deus; ergo non corporeus, Luc. vlt. Spiritus carnem, et ossa non habet, sicut me videtis habere, non obst. quod scriptura dicat aliquando Deum habere membra; nam tunc intelligi debet, vt illo nomine Deo tribuatur vis illa, et virtus, quæ perfectior in illo membro reperitur; vt cum audis in Deo caput, intelligas diuinam essentiam, quę

omnia

omnia præcedit; cum audis oculos, intellige virtutem videndi talem, vt nihil ei latère possit Paulus ad Hebr. 4. Nulla creatura ei inuisibilis est, omnia nuda et aperta sunt oculis eius; aures habere dicitur vt omnia audiat Sapien. 1. Auris cœli audit omnia, et tumultus murmurationis non abscondetur. Direct. p. 2. q. 6. n. 32. c. fin. ver. Antropomorphitæ 24. q. 3. S. Ant. 4. p. tit. 11. cap. 4. S. Thom. 1. p. q. 3. art. 1. et seq.

Tertia est hæresis, quæ potius est Blasphemia, Armenorum dicentium Deum esse mendacem.

Contra facit. Primo Num. 2. ibi Non. n. est Deus quasi homo vt mentiatur. Secundo Hyer. 10. Dominus autem Deus verus est. Tertio Ioan. 10. Ego sum via, veritas, et vita, non obst. quod scriptura dicat, quod Cain à nullo homine occideretur Genes. 4. Nam Resp. quod ibi illis verbis solum prohibuit omni homini occisionem Cain; non tamen negat eam futuram. Quarto non esset perfectus et Mat. 5. dicit Estote perfecti, sicut et pater vester cœlestis perfectus est S. Thom. 1. p. q. 4. art. 1. et q. 6. art. 1. et seq.

Quarta est hæresis Petri Abailardi negantis omnipotentiam Dei, de qua dicemus infra de Futuro contingenti.

Quinta est hæresis Noetij negantis in diuinis personarum numerum.

Contra facit. Primo Genes. 1. Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram;

quibus verbis et diuinitatis vnitas, et personarum pluralitas aperte ostenditur. Secundo Genes. 19. Igitur Dominus pluit super Sodomam, et Gomorrham sulphur, et ignem à Domino de cœlo, et subuertit ciuitates has: si tantùm est vna persona in diuinis, quis est hic Dominus, qui pluit à Domino? Tertio Psal. 2. Filius meus es tu, ego hodie genui te; nemo enim generat se ipsum, loquitur ergo de generatione filij, qui est alia persona à Patre. Quarto Ioan. 8. Et si iudico ego, iudicium meum verum est; quia solus non sum; sed ego, et qui misit me Pater. Quinto Ioan. 10. Ego et pater vnum sumus. Sexto Ioan. 17. Hæc est vita æterna vt cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum. Septimo Genes. 8. vbi videns tres prius apparuisse, et his loquens Abraam, quasi vni dixit Domine si inueni gratiam in oculis tuis. Octauo Psal. 66. Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus, et metuant eum omnes fines terræ. Nono Esa. 9. ibi Duo Seraphin dicebant Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Decimo Math. 28. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos In nomine Patris, et Filij, et Spiritus sancti, et dixit in nomine et non in nominibus, vt ostenderet omnes tres vnum esse Deum. Vndecimo 1. Ioan. 5. Tres sunt qui testimonium dant in cœlo Pater, Verbum, et Spiritus sanctus. Duodecimo Paul. Rom. 11. In diuisam sanctæ Trinitatis operationem ostendens

dens dicit ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia, ipsi gloria, in secula seculorum amen, et dixit ipsi non ipsis ostendens, illas tres persona vnum esse. Tertiodecimo 1.Cor.13.Gratia Domini nostri Iesu Christi, et charitas Dei, et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Quartodecimo Apocal.4. Et requiem non habebant die ac nocte dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, qui est, et qui venturus est; Hanc hæresim damnat Leo Primus in Epist.71. cap. fin. 24.q.3. S.Thom.1.p.q.30.art.1. et seq.doct.com.1.sent.distin.2.

Sexta hęresis est dicens Tres esse personas in diuina natura subsistentes, eas tamen dicit esse inæquales.

Huius hæresis Author fuit Arrius.

Contra facit primo ratio, quia si filius Dei est Christus, ergo æqualis patri, et eiusdem naturæ cum eo; quoniam non est aliter possibile, vt filius sit qui non est de substantia patris: Secundo 1.Ioan.5. Magis quærebant eum iudæi interficere, quia non solum soluebat Sabbatum, sed et patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo; Tertio Ioan.10. Ego, et pater vnum sumus. Quarto ad Phil.2. Qui cum in forma Dei esset non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Quinto Propheta de filio Dei loquens ita ait. Adorate eum omnes Angeli eius, quod ita intelligit Paul.ad Hebr.1. et Stephanus cum lapidaretur, eum adorauit

dicens. Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum. Sexto eſt definitio Eccleſiæ Concil. Nicenum ſub Conſtant. et Conc. Conſtantien. ſub Theodoſio Maiore celebratum, et Conc. Epheſ. ſub Theodoro Iuniore, et Conc. Calcedonenſe ſub Martiano Imperatore, ſcriptura autem, quæ adducitur pro Arrianis ſic intelligenda eſt, q̃ in Chriſto ſint duæ naturæ; quædam diuina, ſecundum quam æqualis eſt patri, altera humana ſecundum quam minor eſt patre. Direct. 2. p. q. 10. hær. 22. cap. fin. 24. q. 3.

Septima hæreſis eſt, quæ negat, Filium Dei eſſe verbum, huius erroris Authores fuerunt Alogiani.

Contra facit. Primo Ioan. 1. In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Secundo Sap. 16. Cum quietum ſilentium continerent omnia, et nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus Domine exiliens de cœlo à regalibus ſedibus, durus debellator in mediam exterminij terram proſiliuit, vbi ille ſermo intelligitur de verbo quod eſt Deus. Tertio Eccl. 1. Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis. Quarto Pſal. 44. Eructauit cor meum verbum bonum, vbi dicit de Chriſto cum ſubdit ſpecioſus forma præ filijs hominũ etc. Quinto Eſa. 40. Exiccatum eſt fœnum, et decidit flos: verbum autem Dei noſtri manet in æternum cap. fin. 24. quæſt. 3.

Octaua hæreſis eſt Ignoitorum dicentium,

Filium

filium Dei ignorare diem vltimum.

Contra facit. Primo Psal.118. Omnis consumationis vidi finem. Secundo Esa.63. Clarius loquens de filio ait, Dies.n. vltionis in corde meo, annus retributionis meæ venit Tertio Paul.Col.2. In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. Quarto Ioan.1. Omnia per ipsum facta sunt, ergo etiam tempus. Quinto Ioan.17. Omnia mea tua sunt et tua mea sunt et Luc.10. Omnia mihi tradita sunt à patre meo; non obst. quod dicitur Math.24. De die illa, et hora nemo scit, neque Angeli cælorum nisi solus pater, et Marc.13. De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque filius nisi pater. Nam Resp. quòd non hoc dixit eo quòd simpliciter nesciret, sed quia et si sciat, non tamen vt illis reuelare debeat, noluit autem illis dicere apertè scio, sed nolo vobis reuelare, ne illos hac responsione tristes redderet, aut minus erga se ipsum affectos hac occasione efficeret. cap. fin. 24.q.3.

Nona hæresis est Origenis filio ignorantiam impingens, quæ dicit, filium non posse videre Patrem, nec Spiritum sanctum posse videre filium.

Contra facit. Primo Math.11. Nemo nouit filium nisi pater, neque patrem quis nouit, nisi filius, et cui voluerit filius reuelare, et nota quod licèt fiat mentio de filio tantum, non per hoc excluditur Spiritus sanctus, vt dicetur in seq. hæresis expugnatione.

Decima hæresis Macedonij fuit asserentis Spiritum sanctum esse minorem patre, et filio, et non esse eiusdem substantiæ cum patre, sed esse veram creaturam.

Contra facit. Primo Math. 28. Baptizantes eos in nomine Patris, et Filij, et Spiritus sancti, cum in nomine dixit non in nominibus, manifeste ostendit eorum trium vnum esse nomen, vnamque substantiam. Secundo Paul. Cor. 6. An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, ibi Spiritus sanctus est Deus, quia inferius dixit, portate Deum in corpore vestro. Tertio 1. Cor. 3. Nemo potest dicere Dominus Iesus nisi in Spiritu sancto. Quarto Math. 12. ibi Qui peccat in Spiritum sanctum non remittetur ei peccatum in hoc seculo, neque in futuro. Quinto, opera Spiritus sancti arguunt esse Deum, nam gratiam donat 1. Corint. 12. Remittit peccata Ioan. 20. Accipite Spiritum sanctum etc. et loquutus est per Prophetas 2. Pet. 1. Et est vbique Psal. 138. Quo ibo à spiritu tuo. Sexto est definitio Ecclesiæ et in Symbolo. cap. 2. de Summa Trinit. et fide catholica et in symb. Athanasij ab Ecclesia recepto.

Vndecima hæresis ait Spiritum sanctum esse animam mundi.

Huius hæresis Author fuit Petrus Abailardus.

Contra facit ratio, quia sequeretur quod Spiritus

ritus sanctus esset minor mundo, et mundi limitibus esset inclusus, et circumscriptus, et definitus, quod est omnino falsum, quia Spiritus sanctus est Deus: Deus autem nullis locorum spatijs clauditur Iob. 22. Non ne cogitas quod Deus excelsior cœlo sit? et super stellarum verticem sublimetur? idem probat 2. Par. 2. et Esa. 40.

Duodecima hæresis Græcorum fuit, quæ negat Spiritum sanctum procedere à patre, et filio.

Contra facit. Primo Ioan. 16. Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non .n. loquitur à semetipso, sed quæcunque audiet loquetur etc. vbi Didimus dicit in lib. 2. de Spiritu sancto ita ait, non .n. loquitur à semetipso hoc est, non sine me, et sine meo, et patris arbitrio, quia inseparabilis à mea et patris est voluntate, quia non ex se est, sed ex patre et me est. Secũdo Paul. Rom. 8. Qui autẽ Spiritum Christi non habet, et Gal. 4. Misit Deus spiritum filij sui in corda vestra, vbi Spiritus sanctus nominatur Spiritus filij. Tertio Ioan. 16. Si ego non abiero, Paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero mittam eum ad vos. Quarto facit authoritas Didimi. d. lib. 2. de Spiritu sancto, et Cyrilli lib. 11. super Ioan. cap. 1. et Athanas. in symbolo. Quinto adest definitio Ecclesiæ cap. 1. de Summa Trin. et fid. cath. et Concil. Lugd. sub Gregorio 9. celebratum Concil. Ephes. sub Theodoro Iuniore:

et Concil. Flor. sub Eug. 4. in quo Græci receperunt hunc articulum.

Tertiadecima hæresis est Petri Abailardi dicentis Potentiam esse propriam patris, non appropriatam, sapientiam filij, benignitatem Spiritus sancti.

Contra facit ratio, quia illa res non est verè alicuius propria, quæ pluribus conuenire dignoscitur, at constat ex sacris literis, Potentiam, sapientiam, et benignitatem omnibus tribus personis conuenire, sequitur inde, vt nulli personæ aliqua illarum sit propria; Filius .n. dicitur omnipotens Ioan. 1. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil et Psal. 18. Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio, similiter et Spiritus sanctus dicitur omnipotens Psalm. 32. Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritus oris eius omnis virtus eorum, sapientia quoque Deo Patri tribuitur Paul. ad Rom. in fine Cogniti soli sapienti Deo per Iesum Christum, cui honor et Gloria in secula seculorum; tribuitur etiam Spiritui sancto Ioan. 16. Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem; benignitas quoque patri tribuitur Luc. 6. Et eritis Filij altissimi; quia ipse benignus est super ingratos, et malos; de filio autem Salomon testatur Sap. 7. Suauis, amans bonum, acutus, qui nihil uetat benefacere, humanus, benignus etc. et Paulus ad Tit. 3. Cum autem benignitas, et humanitas apparuit Saluatoris nostri;

sunt

sunt igitur omnia ista omnibus comunia; dicuntur tamen appropriata propter conuenientiam, quam habent cum vna persona, vt potentia Patri, quia ille est fons totius deitatis, à quo reliquæ duæ personæ procedunt; sapientia appropriatur filio, quia ipse est genitus per intellectum patris, et est notitia quædam ab eo producta, et propter hanc similitudinem id ei appropriatur; Spiritui sancto tribuitur bonitas, et amor, quia Spiritus sanctus productus est ab vtroque per illorum voluntatem, et est amor ab ambobus productus.

Quartodecimo Deum non facere mala pœnæ, hæresis est, Direct. 2. p. q. 6.

Quintodecimo Deum creasse mala, hæresis est, ibidem. n. 50.

Sextodecimo Deo placere æquè mala, atque bona hæresis est, Direct. 2. p. q. 10. hær. 12.

DIABOLVS. XXXXV.

PRIMA hæresis est Manichęorum dicẽtium Diabolum ex sua natura malum esse, nec posse esse bonum.

Contra faciunt primo quæ dixi supra de creaturis. Secundo facit Ioan. 8. In ueritate non stetit, quia non est veritas in eo; vbi apparet creatum fuisse in ueritate, sed ab ea cecidit. Tertio Qui de cœlo cecidit necesse est, quòd fuerit bonus; quia ibi non nisi boni existunt, sed Diabolus de cœlo cecidit Luc. 10. Videbam

satha-

sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem, ergo bonus fuit creatus. Quarto adest definitio Ecclesiæ cap. 1. de Summa Trin. et fid. cath. et Concil. Brac. 1. non obst. Ioan. 8. Ille homicida est ab initio, quia debet intelligi, ab initio conditionis humanæ, quando statim, vt homo conditus est à Deo, Diabolus illi mortem propinauit.

Secunda hæresis est Origenis dicentis Diabolum aliquando liberandum fore à pœna inferni.

Contra facit primo quod supra de Beatitudine dixi. Secundo facit Math. 25. Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus est Diabolo, et Angelis eius.

Tertia hæresis est, quę asserit Diaboli suggestiones in nobis fieri contactu lapidum, aut herbarum, de quibus dicam ver. Tentatio pro vt illorum sagax malatia nouit singula singulis conuenire.

DIES. XXXXVI.

DIERVM obseruationem ad ieiunandum et ad obseruandum Pascha negans est hæreticus. Turrianus lib. 5. cap. 18. et seq.

ECCLESIA. XXXXVII.

PRIMA hæresis est Donatistarum dicentium Intra Ecclesiam non esse bonos, et malos,

malos, sed solos bonos ad ipsam pertinere asserunt; quem errorem vltimo defendit impius Lutherus.

Contra facit primo Palm. 54. ibi Et si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitam ab eo: tu verò homo vnanimis, dux meus, et notus meus, qui simul mecum idulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu; vbi malus simul cum bono reperitur in domo Domini: domus n. Domini Ecclesia dicitur 1. Tim. 3. Vt scias quomodo oporteat in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui. Secundo 1. Cor. 1. vbi Paul. Hos ipsos, quos appellauit Ecclesiam Dei, et sanctificatos in Christo Iesu propter baptismum susceptum, in multis postmodum redarguit, contentiones inter ipsos esse asserit; ex quibus apparet quòd per hoc peccatores non dicuntur extra Ecclesiam, et in 2. Cor. 1. Vocat eos Ecclesiam Dei, et tamen eos postmodum redarguit, et minatur illis, nisi fecerint pœnitentiam. Tertio Paulus 2. Cor. 13. Ecclesia est vnum corpus, cuius caput est Christus; huius autem membra sunt fideles, è quibus qui iusti sunt, membra sunt viua et sana: qui autem peccatores, membra sunt mortua et putrida in fine resecanda. Quarto Ioan. 15. Ego sum vitis vera, et vos palmites, et parum ante, Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, et nota quòd non dixit Palmitem non ferentem fructum esse iam sublatum, sed

esse

esse tollendum, ex quo conuincitur, fideles adhuc per veram fidem Christo cohęrere, qui ab eo tollerantur vsque ad mortē, in qua si cum nullo fructu reperiuntur, resecantur omnino, tanquam membrum putridum. Quinto Math. 13. ibi Simile est Regnum cœlorum sagenæ missę in mare, et ex omni genere piscum congreganti etc. Sexto Math. 22. vbi in nuptijs illis inuentus est vnus nō habens vestem nuptialem. Septimo Math. 25. inter decem virgines, quinque erant fatuæ, et quinque prudentes. Octauo Paulus 2. Timot. 2. In magna domo non sunt solum vasa aurea, et argentea, sed et lignea, et fictilia; Nono Math. 18. vbi apparet peccantem in nos fratrem ad Ecclesiā pertinere, membrumque aliquod illius esse, alioquin non præciperetur vt peccatum illius denunciaretur Ecclesię ab illa corrigendum; qui si non esset membrum illius corrigere non posset dicente Paulo Rom. 2. Quis est tu qui iudicas seruum alienum? Genes. 7. In Arca Noe erant animalia munda, et immunda, quæ figurata est per Ecclesiam Dei. Vndecimo Ioan. 13. Vos mundi estis, sed non omnes; vbi inter Apostolos erat Iudas, cuius malitia sibi tantum, non alijs nocuit. Duodecimo facit ratio, quia si hoc esset verum non esset differentia inter Ecclesiam triumphantem, et militantem, visibilem et inuisibilem; in presenti .n. seculo est Ecclesia militans et visibilis, in qua sunt omnes boni, et mali; soli infideles extra illam sunt; omnes tñ qui fidem Orthodoxam

doxam firmiter tenent, in illa continentē: Ecclesia autem triumphans est sine ruga, et macula. vltimo est definitio Ecclesiæ Concil. Constant. sess. 15.

Secūdus error docet Ecclesiam errare posse.

Huius erroris est Author Ioannes Vuessalta tempore Federici Imperat. Contra scripsit Echius Tit. 1. de Ecclesia Merchior Canus lib. 4. loc. theol. cap. 4. Hosius Tit. de Ecclesia cap. 20. et seq.

Contra hanc hæresim facit, quod dixi supra de Concilio; conclusio est, Ecclesiam errare non posse circa res, quæ fidem, et bonos mores respiciunt, contrarium sentiens est hæreticus; in his tñ, quæ non respiciunt Ius, sed rem gestā hoc est in his, quæ sunt facti, merè Ecclesiam errare potest, vt si quis asseueraret Carolum Quintum Cæsarem nunquam in Italiam venisse, nec à Clemente Septimo Coronam Imperij accepisse, non est hæreticus, etiam si vniuersalis Ecclesia de hac re falleretur.

Tertia hæresis Valdensium Ecclesiæ potestatem minuit, docent Decretales esse nullius momenti, quem errorem hoc tempore impiè docuit Lutherus.

Contra facit primo Prou. 6. Conserua fili mi præcepta patris tui, et ne dimittas legem matris tuę; liga ea in corde tuo iugiter, et circunda gutturi tuo; quibus verbis docuit præcepta Dei patris, et Ecclesiæ matris esse custodienda; sumus .n. filij Ecclesiæ per baptismum, in

qua

qua renati sumus. Secũdo Prou. 22. Ne trasgrediaris terminos antiquos, quos posuerũt patres tui; ibi dixit (Patres) non patrem, quo sequitur, quòd non sit intelligendum de præceptis diuinis tantùm, nec de præceptis tantùm parentum antiquę legis, sed etiam nouæ cum Psal. 44. dicat Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos Principes super omnem terram. Tertio Deut. 17. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille etc. Si tantum valuit authoritas sacerdotij veteris testamenti, multo magis erit authoritas sacerdotij supremi in lege noua. Quarto Math. 18. Vbi Christus secreto peccantem postquam semel correptus audire noluerit, ad Ecclesiæ iudicium deferri præcipit, et si eam non audierit iubet reputari tanquam Ethnicum et Publicanum; id est vt per excommunicationem segregetur à ceterorum consortio, vt vel sic erubescens resipiscat. Quinto Luc. 10. Qui vos audit me audit, qui vos spernit me spernit, spernit et eũ, qui misit me. Sexto 1. Thessal. 4. Itaq; qui hæc spernit, nõ hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit spiritum suum sanctum in nobis, Septimo Exod. 16. Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum; ex quibus apparet præcepta iusta Præpositorum non esse duntaxat humana dicenda, cum vim suam, et robur habeant a Iure diuino, et eorum contemptores reputantur

contem-

contemptores diuinorum Præceptorum. Octauo Math. 23. Super Cathedram Moysi sederunt scribæ, et Pharisei, quæcunque dixerint vobis facite; secundum vero opera eorum nolite facere; et nota ibi quæcunque hoc est eorum, quæ ad Cathedram pertinent, hoc est eorum, quæ ad faciliorem obseruantiam mandatorum Dei conducunt, et viam aperiunt. Nono Paulus ad Rom. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Nō est .n. potestas nisi à Deo, quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt: itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt sibi damnationem acquirunt. Decimo ad Tit. 3. Admone illos principibus, et potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse. Vndecimo ad Hebr. 4. Obedite Prepositis vestris, et subiacete eis; ipsis .n. peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, et intelligitur de Prælatis ecclesiasticis, cum antea dixisset. Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei. Duodecimo Paulus suam authoritatem circa inobedientes declarat Cor. 4. Quid vultis in virga veniam ad vos, an in charitate, et spiritu mansuetudinis et 2. Cor. 13. Ideo .n. hæc scribo, vt non præsens diutius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi, in ædificationem, et non in destructionem et 2. Thes. 3. Quod si quis non obedierit verbo nostro per Epistolam, hunc notate, et non commisceamini cum illo.

illo. Non est autem minor potestas prælatis, quàm tunc fuerit; erit ergo obediendum prælatis Ecclesiæ, in his, quę ad obseruationem legis diuinę conducibilia esse noscuntur. Tertiodecimo adest definitio Ecclesiæ, clem. ad nostram de hæreticis, et Concil. Constantiense in sess. 8. non obstat ad Gal. 5. ibi Si spiritu ducemini, non estis sub lege et 1. Cor. 7. Empti estis pretio magno, nolite fieri serui hominum; nam Resp. quòd quamuis Christus nos liberauerit à seruitute peccati, et à seruitute legis Mosayeæ, hoc est à iugo cæremoniarum, et legitimorum, non tamen substulit obedientiam prælatorum, immo strictius præcepit; auertit .n. Paulus ab illa seruitute, qua quisque illius se esse fatebatur, à quo baptizatus erat, quidam dicens Ego sum Paulus, alius ego sum Apollo, atque alius Ego sum Cephæ. Christus .n. solus pro nobis passus est, atque ideo totos nos ipsos illi soli debemus, non obst. quod dicit impius Lutherus admittens Ecclesiæ obedientiam, sed negat eam dilatari posse, vltra ea, quæ expressè in sacris literis habentur: nam Resp. quòd si res omnes sustollantur, quæ scriptæ non sunt in sacra pagina, statim infra paucos dies ea, quam vocamus deuotionem, vel (vt melius dicam) sacrorum affectus periret; nam cultus his cæremonijs maxime fouetur, et nutritur: et nisi ad has compellerentur christiani, citissimè aut nullus, aut frigidissimus cultus Dei futurus esset: Deus .n. præcepit nobis, vt illum colere-

mus,

mus, præcipit quoque ieiunium; Ecclesia verò expresit, vt die dominico præcipuè Missam audientes Deum coleremus, expresit quoque dies quibus ieiunandum est, quod et Apostoli fecerunt Act. 15. Visum est Spiritui sancto, et nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum et sanguine, et suffocato, et fornicatione, à quibus custodientes vos bene agetis, quæ tamen non fuerunt iniuncta in Euangelio: potest igitur Ecclesia statuere in causa fidei et circa mores, qui ad obseruationem mandatorum maximè conducunt, in quibus ei omnino obediendum est; de cęteris tamen non posset, quoniam (vt inquit Paulus) 1. Cor. 10. Data est illis potestas, in ędificationem, non autem in destructionem. Hosius Tit. de Eccles. cap. 15. et seq. et Tit. de tradit. c. 92. F. Paulinus lib. 4. cap. 2. de Conc. Ecc.

Quarta hæresis est Vadianorum et Vualdensium, et Lutheranorum dicentium Ecclesiam ipsam, hoc est ecclesiasticos viros non posse vllas possessiones possidere, nec agros, nec diuitias vllas.

Contra facit primo, quæ dixi supra de Apostolis, atque de Decimis. Secundo Iosuę 21. vbi sacerdotes veteris legis habuerunt possessiones et agros. Secundo 1. Timot. 3. vbi Paulus scribens ad Timot. qualem oporteat Episcopum esse, inter cætera exigit ab eo hospitalitatem; at hospitalitas exerceri nequit ab eo, qui

non habet facultates, quas ministrare possit ijs, quos hospitio receperit. Tertio et vltimo adest definitio Ecclesię 12. quæst. 1. per totam, et tot. tit. de rebus Eccl. non alien. Concil. Calcedon. Concil. Constantiense sess. 8.

Quinta hæresis est quæ dicit Ecclesiam Romanam esse Ecclesiam Carnalem, Direct. p. 2. q. 8. et q. 16. et q. 13.

Sexta est dicentis Ecclesiam consecratam nō plus valere ad oranduṁ, quàm stabulum porcorum Direct. p. 2. quæst. 12. Turrianus lib. 2. cap. 19.

Septima est quæ negat Ecclesiam Romanam esse Principem aliarum Ecclesiarum, et quæ caput eius Pontificem non credit Turrianus libro 2. cap. 7.

Octaua est quæ negat Ecclesiam esse Vnam, Sanctam, Catholicam, et Apostolicam, Hosius Tit. de descr. Eccl. cap. 20. et seq.

ELEEMOSYNA. XXXXVIII.

PRIMA est hæresis Ioannis Vuicleph dicentis, Non licere eleemosynas tribuere Fratribus mendicantibus.

Contra facit primo ratio, quia si Monachatus licitus est, pro vt dicam suo loco, et Monachis licitum est mendicare, ergo licitum erit eis dare eleemosynam. Secundo adest definitio Ecclesiæ in Concilio Constantiense sess. 8.

Secunda est hæresis, quam refert Aug. lib. 21. cap. 22.

cap.22. de ciuit.Dei; quæ docet Eleemosynam esse tantę virtutis, vt qui eam exercuerit, quantumlibet criminosè, et nefariè viuat, æternum tamen supplicium non sit habiturus.

Contra facit 1.Cor.13. Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.

Tertia est, quæ dicit Plus placere Deo eleemosynam, quàm sacrificium altaris Direct.2.p. quæst.11.hær.7:

EPISCOPVS. XLVIIII.

DE hac re vnus est error quo docetur, Episcopum non esse simplici sacerdote superiorem.

Huius erroris Author fuit Aerius, quem secuti sunt multi alij hæretici, inter quos fuit etiam Lutherus.

Contra hanc hæresim primo facit ratio: oportet.n. vmbram similem esse corpori, et figuram veritati; omnia autem, quæ in veteri testamento pręcesserunt, figuræ quædam fuerunt eorũ, quæ in lege noua futura erant, Paulo testante 1 Cor.10. Omnia in figura contingebant illis; at in lege veteri distinctio fuit sacerdotum: nam Aaron summus fuit Sacerdos, filij autem eius minores sacerdotes, vt patet Leuit.19. et ad Hebr.6. Secundo Tit.1. Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea, quæ desunt, corrigas, et constituas per ciuitates presbiteros, sicut ego tibi disposui;

disposui; quo in loco testante Theophilacto, et Chrisostomo Paulus intellexit presbiteros Episcopos, qui idem intelligunt dictum Pauli 1. Timot. 4. Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbiterij. Tertio adest com. opin. doctorum Patrum Leo Primus in Epist. 66. Beda lib. 3. super Lucam cap. 15. Isidorus in quodam sermone in Synodo habito, Vrbanus Papa et Martyr in Epistola de Communi vita, Anacletus Papa et Martyr in Epistola de Patriarch. Aug. in Epist. 19. ad Hieronymum. Quarto adest definitio Ecclesiæ in Concilio Ispalense secundo, tractat Hosius Tit. de Ministro sacramenti ordinis cap. 54. addo Concil. Trid. sess. 23. Can. 7.

Secundus error est, qui docet, Nullum peccatorem, aut iniustum hominem posse esse Episcopum.

Huius erroris authores fuerunt Vualdenses dicentes Quod presbiterum non dignitas, sed vitę meritum efficiebat potiorem.

Contra faciunt quæ dicam inferius Tit. de Potestate.

EVANGELIVM. L.

INTER alias Flagellantium hæreses hæc vna fuit, qui dixerunt post aduentum suæ Sectæ Euangelium desijsse.

Contrafacit primo Eccl. 17. Testamentum

æternum

æternum constituit cum illis, et iustitiam, et iudicia sua ostendit illis. Secundo Baruch. 2. Et statuam illis testamentum alterum sempiternum, vt sim illis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum. Tertio Psalm. 110. Redemptionem misit Dominus populo suo; mandauit in æternum testamentū suum. Quarto Luc. 21. Amen dico vobis, quod non prę teribit generatio hec, donec omnia fiant. Quinto faciunt verba consecrationis calicis seu transubstantiationis vini in sanguinem, quæ Ecclesiam recepisse à Christo certò credendum est. Hic est calix sanguinis mei noui, et æterni testamenti etc. Sexto Paulus ad Hebr. 13. Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis Pastorem magnum ouium in sanguine testamēti æterni Dominum Nostrum Iesum Christum, aptet vos in omni bono.

Secunda hęresis est dicens, Euangelium non fuisse prædicatum ab Apostolis secundum spiritualem intellectum, sed solum secundum literam, de qua dixi supra in ver. de Apostolis.

Tertia hæresis est Martini Lutheri negantis Euangelium esse legem iuxta veram et propriā legis rationem; Hoc ideo docent, vt hac ratione contendant se esse liberos ab obligatione omnium bonorum operum; dicunt. n. Euangelium nihil prę cipere, sed solum manifestare nobis bonum nuncium de Iesu Christo Filio Dei, qđ ille solus merito suæ passionis expiator sit peccatorum nostrorum, et redemptor animarum nostrarum. Ex dictis superius tres colli-

guntur errores. Primus est, qui bonorum opérum necessitatem negat, de quibus dicemus in tit. de Fide, et in tit. de Operibus.

Secundus est error, quo dicitur, Nullum esse in lege euangelicâ præceptum de quo dicam inferius tit. de Præceptis.

Tertius est error, quo dicitur, Euangelium Christi non esse dicendum legem, de quo modo dicam.

Contra hunc tertium errorem facit primo Esa. 42. vbi Esaias loquens de Christo ait. Non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium, et legem eius insulæ expectabunt; quòd autem Esaias loquatur de Christo docet Math. cap. 12. Secundo Hyer. 31. loquens de lege euangelica dixit, Dabo legem meam in viscéribus eorum, et in corde eorum scribam eam; quòd aût loquatur de lege euangelica testatur Paulus ad Hebr. 10. Tertio Paulus ad Rom. 8. Lex. n. spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati, et mortis. Quarto ad Gal. 2. Per legem .n. legi mortuus sum; vbi intelligit per Euangelium mortuam esse legem Mosaycam. Quinto et vltimo adest Concil. Trid. sess. 6. Can. 20. et 21.

Quarta est hæresis, quæ dicit Euangelium Christi non docere ad Regnum cœleste, et dicto Euangelio aliud succeſſurum Director. p. 2. q. 9. hær. 2.

EVCHA-

EVCHARISTIA. LI.

PRIMA hęresis est Nouitianorum dicentiũ Nullo modo ex pane posse confici Corpus Christi, eo quòd panem creaturam Diaboli esse dicant.

Contra hanc hæresim vide quæ dixi supra de Creaturis, vbi ostendi Omnem creaturam esse bonam: de hoc sacram. tractat S. Thom. 3. p. quæst. 73. et seq. Doct. com. in 4. sent. distin. 8. et seq.

Secunda hæresis Græcorum est circa materiam huius sacramenti, quæ asserit, Non posse hoc sacramentum confici in azimo pane, sed precisè in fermentato. Direct. p. 2. q. 18. hær. 2. et Concil. Trid. sess. 13. Can. 1. et seq. agit de hoc sacramento, et in Bulla Pij 4. de prof. fidei Hosius tit. de sacram. Euch. cap. 39. et seq.

Contra facit primo Math. cap. 26. Prima autem die Azimorum accesserunt Discipuli ad Iesum dicentes, vbi vis paremus tibi comedere Pascha? at Iesus dixit, Ite in ciuitatem ad quendam, et dicite ei, Magister dicit: Tempus autem propè est, apud te facio Pascha cum discipulis meis. Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Iesus, et parauerunt Pascha: Vespere autem facto discumbebat cum duodecim, et manducantibus autẽ eis, accepit Iesus panem, et benedixit ac fregit deditque discipulis suis, et ait, Accipite et comedite Hoc est Corpus

meum: ex quibus patet, Christum eo tempore, quo iam fermentatum comedere non licebat, nempè in cœna primę diei Azimorum, à quo Iudæi festiuitatem Paschæ auspicabantur, hoc sacramentum instituisse, discipulisq; suis ad comedendum dedisse. At cum Christus tunc legem non soluerit, immo se velle eam seruare ostenderit, colligitur illum nec fermentatum comedisse, nec discipulis suis ad comedendum dedisse. Secundo Marc. 14. Et primo die Azimorum, quando Pascha immolabant, dicũt ei discipuli, quò uis eamus, et paremus tibi vt manduces Pascha? et mittit duos ex discipulis suis et dicit eis: Ite in ciuitatem, et occurret vobis homo lagenam aquæ baiulans, et infra, Vespere autem facto venit cum duodecim, et infra: et manducantibus illis accepit Iesus panem, et benedicens fregit, et dedit eis, et ait: sumite: Hoc est Corpus meum, vbi colligitur eo die, eademque hora confeciſse, quando iam Iudæis non licebat fermentato vesci. Tertio conc. Luc. cap. 22. Venit Die Azimorum, in qua necesse erat occidi Pascha, et misit Petrum et Ioannem dicens Euntes parate nobis Pascha, vt manducemus, et infra: Euntes autem inuenerunt sicut dixit illis, et parauerunt Pascha. Et cum facta esset hora discubuit, et duodecim Apostoli cum eo: et infra. Et accepto pane gratias egit, et fregit, et dedit eis dicens. Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam cõmemorationem. Quarto Paul. Cor. 5

Itaque

Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, et nequitiæ, sed in azimis sinceritatis, et veritatis. Quinto Luc. 12. Cauete à fermento Phariseorum, quod est hypocrisis. Vnde Leuit. 2. Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiet, nec quicquam fermenti, ac mellis adolebitur in sacrificio Domini: Ni mirum hoc tropo designãs in omni opere bono, omnem prorsus inanem gloriam vitandam; cum ergo fermentum malitiam designet, qualis in Christi humanitate, nullatenus valet inueniri, Ecclesia meritò censuit in azimo esse celebrandum, vt signum exterius, scilicet panis accidentia, esset signato conformius. Sexto adest definitio Ecclesię Conc. Flor. sub Eugenio 4. vbi definitur quòd in azimo, siue fermentato panetriticeo Corpus Christi veraciter conficiatur: sacerdotesque in altero ipsum Domini Corpus conficere debere, vnumquemque scilicet iuxta suæ Ecclesiæ siue Orientalis, siue Occidentalis consuetudinem.

Et nota, quod Græci non ideo censentur hæretici, quod in fermentato conficiant; sed quia sic conficientes putant in Azimo non posse confici, quod tamen falsum est. non obst. quod dicitur Ioan. 13. Ante diem festum Paschæ hęc acta esse, quo tempore Iudæi fermentato vescebantur; nam Resp. quod festiuitates Iudęorum à vespera in vesperam computabantur, et de festiuitate agni Paschalis specialiter dicit scriptura, Exod. 12. Immolabitque eum

vniuer-

vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam, et Leuit. 23. Mense primo quarta decima die mensis huius solemnitas azimorum est etc. Qui dies hac ratione Pascha appellatur, vt apud Ioannem, cum dicitur, Iudæi non intrauerunt prætorium palatij, vt non contaminarentur, sed manducarent Pascha. Nō quidem Pascha. i. Agnum pascalem, quoniam illum iam nocte prę terita, qua Christus cœnauit cum Discipulis suis Iudæi etiam comederent, sed nomine Paschæ ibi Azimos panes nominauit, quos septem diebus continuis comedere tenebantur, quorum primus erat, quo Christus passus est.

Tertia est hæresis Vualdensium consecrare putantes sine forma consueta Ecclesiæ, sed dicendo septies Pater noster, et benedicendo panem, et vinum se consecrare dicebant.

Contra facit Math. 26. Marc. 14. et Luc. 22. Qui dicunt Christum Corpus suum consecrare supra acceptum panē dicendo Hoc est Corpus meum, quod idem dicit Paul. 1. ad Cor. 11.

Quarta hæresis est, quæ negat, Verum Christi Corpus realiter in sacramento sub panis speciebus, et sanguinem sub speciebus vini contineri.

Hanc hæresim multis annis sepultam Ioannes OEcolampadius reduxit ab inferis.

Contra facit primo Luc. 22. ibi Hoc est corpus meum Conc. Math. cap. 26. et March. 14. et Paul. 1. Cor. cap. 11. quibus in locis sunt verba Lucæ meridiana clariora, nec in re tanti momenti

menti qualis est ista, credendum est Christum tropo aliquo, aut figuratione et loquutione vsum fuisse, ne causam errandi hac occasione nobis preberet. Secundo Ioan.6. Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi, si quis manducaueritex hoc pane, viuet in æternum. Et panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita, quòd si interpretari velis, quòd panis, quem ego dabo, carnem meam significat, aut figurá quędam est corporis mei, manifeste iam te illis Iudæis annumeras dicentibus ad inuicem, quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Ioan.6. quibus Christus respondit, Amen amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis; et si obijceres quod esset intelligendum nisi manducaueritis carnem. i. figuram carnis filij hominis etc. Resp. per verba, quæ Christus subnectit dicens, Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, habet vitam æternam; et ego resuscitabo eum in nouissimo die; caro .n. mea verè est cibus, et sanguis meus verè est potus; vbi apparet, quòd non significatiuè, sed verè est caro, et sanguis Christi; quis .n. diceret, imaginè Dei esse verè Deũ, nemo quidem, si verò obijceres eo modo dici cibum, quo verbũ Dei dicitur cibus, Math.4. ibi Non in solo pane viuit homo; Resp. certum esse verbum Dei, ibi non dici esse verè cibum, sed per quandam Metaphoram, aut similitudi-

nem;

nem; quemadmodum .n. cibus corporalis nutrit corpus, sic verbum Dei nutrit animam Ioan.8.Si quis sermonem meum seruauerit,mortem non videbit in æternum: si verò diceres, q illud Ioan.6. intelligendum est de manducatione spirituali carnis, per quam dicit, habemus vitam æternam, non autem de Eucharistia, vt dicit OEcolampadius hęreticus.Resp. ex mente com.doct.quod ibi intelligendum est de Eucharistia,et sic de Mystica cõmunione veri corporis, et sanguinis sui. Primo Theophilactus. Secundo Cyrillus lib.4. super Ioan. cap.16. Tertio Chrisostomus Homil. 45. super Ioan. Quarto Aug.tract.26. super Ioannem. Quinto Casiodorus in Psal.109. Vers. Tu es sacerdos in ęternum. Sexto Greg. super Ioan.6. ver.Numquid rugiet onager cum habuerit herbam. Septimo Ambr. in .6. de sacram.cap.1. Octauo Hylarius lib.8.de Trin.Nono Cyprianus in expositione orationis dominicę, idem libro 1. Aduersus Iudęos. Decimo Origenes Homil.7. super librum Numerorũ. Vndecimo Leo Primus in Epistola ad Constantinopolitanos, Iuuencus presbiter carmine Hystoriam Euangelicam scribens. Duodecimo Arnobius super Psal.110. Tertiodecimo Irenęus lib.5. aduersus hęreses. Quartodecimo Ignatius in Epist.ad Rom.est igitur com.opi.Patrum contra hanc impiam hęresim OEcolampadij. Adest prętera definitio Ecclesię Cõcilij Ephesini primi in Epistola Cyrilli nomine dicti Concilij ad Nesto-

Nestorium scripta. Leo Nonus in Concil. Vercel. Victor Secundus in Concil. Turonis. Nicolaus Secundus in Concil. Rom. Concil. Constantiense, et vltimo Concil. Trid. sess. 13. c. 1. et Can. 1. non obst. 1. Cor. 10. Petra autem erat Christus, vbi exponitur, significat; nam non concludit necessariò, quia non est semper verũ, quod verbum est, sit semper exponendum significat; ibi .n. in Enigmate dicit Petra erat Christus spiritualiter, non quod verè esset Petra sicut dicitur caro mea verè est cibus etc. Echius tit. 29. sub Euch. esse corpus Christi.

Quinta est heresis Ioan. Vuicleph et Martini Lutheri dicentium, quòd in Eucharistia post factam consecrationem manet idem panis, qui erat ibidem ante consecrationem.

Contra facit primo Math. 27. Cœnantibus autem eis accepit Iesus panem et benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, et ait, Accipite et comedite, Hoc est corpus meum, et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis dicens Bibite ex hoc omnes. Hic est .n. sanguis meus noui testamenti; qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum; Marcus verò sic ait cap. 14. Et manducantibus illis, accepit Iesus panem, et benedicens fregit, et dedit eis, et ait illis. Sumite, hoc est corpus meum: et accepto calice gratias agens dedit eis; et biberunt ex illo omnes, et ait illis: Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur; Lucę autem verba sunt ista cap. 22. Et accepto pane

gratias

gratias egit, et fregit et dedit eis dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem. similiter et calicem postquam cœnauit dicens: Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur: ex quibus apparet, quòd facta consecratione nunquam vocatur panis. Secundo adest com.opin. Patrum, Anselmus super Paul.1. ad Cor.11. ibi De pane, et vino, carnem, et sanguinem suum fecit Haym. 1. Corint.10. Vers. Quoniã vnus panis, et vnum corpus multi sumus, ibi Sicut ille panis, et sanguis in corpus Christi transeunt, ita etc. Theoph. super Ioan.6. Vers. Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita, dicit ibi Igitur nunc panis in carnem Domini mutatur, Isid. lib.1. de Eccl. offic. cap. 18. ibi Panis, qui frangitur, corpus Christi est, qui dicit Ego sum panis viuus, vinum autem sanguis eius est, de quo dixit Ego sum vitis vera et Damasc. lib.4. de fide orthodoxa cap.14. Non quod ipsum corpus assumptum à cœlo descenderit, sed quod ipse panis, et vinum transmutatur in corpus, et sanguinem Dei; August. lib. sent. Prosperi fatemur ante consecrationem esse panem, et vinũ, quod natura formauit, post consecrationem verò carnem Christi, et sanguinem, quod benedictio consecrauit Ambr. lib.4. de sacram. cap.4. Panis est ante verba sacramentorum, vbi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi, et in cap.5. idem dixit Basilius Magnus lib. de Ritu Missæ,

Missæ, ibi Faciat hunc eundem panem pretiosum corpus, et vinum pretiosum sanguinem Domini Saluatoris Nostri Iesu Christi. Greg. Nissenus lib. de Mystica vita, ibi Nam cum sit panis, ignorat labefieri sic in carnem vertitur. Eusebius Myssenus in sermone de Cœna Domini, ibi Visibilis sacerdos, visibiles creaturas, in substantiã sui corporis, et sanguinis sui, verbi sui secreta potestate conuertit, Cyprian. in sermone de Cœna Domini, ibi Panis non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia verbi factus est caro, Idẽ in sermone de vnctione Chrismatis, idem dicit et Pontianus Papa in Epist. j. ad Fœlicem ibi Ipsi proprio ore corpus Domini conficiunt, et populis tradunt; Ireneus libr. 5. Aduersus hæreses, ibi Quando ergo et mixtus calix, et factus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis et corporis Christi, Thelesphorus in Epistola ad omnes Christi fideles ibi, Ipsi enim, qui proprio ore Corpus Domini conficiunt, ab omnibus sunt audiendi, obediendi, atque timendi. Tertio adest definitio Ecclesiæ Concil. Constantiense sess. 8. cap. firmiter de Summa Trinit. et fide cath. Concil. Trident. sess. 13. cap. 4. et Can. 2. et 4. non obst. quod dicitur Act. Apost. 20. ibi Vna autem sabbati cum conuenissemus ad frãgendum panem et 1. Cor. 10. Panis, quem frangimus, non ne participatio corporis Domini est? Quoniam vnus panis, et vnum corpus multi sumus, omnes quidem de vno pane, et de vno calice participa-

ticipamus, et 1. Cor. 11. Quotiescumq; .n. manducabitis panẽ hunc, et calicẽ bibebitis, mortẽ Dñi annunciabitis donec veniat; Nã Resp. primo q̃ sacræ literæ panem appellant, qđ comedi põt quouis modo Eccl. 29. Initiũ vitæ hominis panis et aqua; hoc modo manna dictus est panis, Psal. 77. Panẽ cœli dedit eis, omne delectamentũ in se habentẽ; similiter filius Dei dictus est panis secũdũ diuinitatis substantiã Ioan. 6. Ego sum panis vitæ, qui de cœlo descendi; Secundo modo Resp. quod hoc sacramentum potest dici panis eo modo, et nomine, quo res genita est vocabitur, exempl. Exod. 7. ibi, Sed deuorauit virga Aaron virgas eorum, apparet, q̃ virga versa in colubrum nihilominus vocatur virga; non obst. quod dicit impius Lutherus verba consecrationis ita esse intelligenda videlicet. Hoc idest hic panis est corpus meum. Hic idest hoc vinũ est sanguis meus. Nã Resp. quòd hæc interpretatio adeò est nuda, vt literam prorsus à suo vero sensu denudet, nihilque apud literam de vero sensu relinquat. Hosius tit. de sacram. Euch. cap. 39.

Sexta hæresis est Aquariorum, qui asserunt Pro calicis consecratione nõ esse apponendum vinum, sed solum aquam.

Contra facit primo Math. 26. ibi Dico autẽ vobis non bibam àmodo de hoc genimine vitis vsq; in diem illum, cum illud bibam vobiscum nouum in Regno patris mei. Secũdo Marc. 14. Amen dico vobis quia iam non bibam de hoc genimi-

genimine vitis vsque in diem illum, cum illud bibam nouum in Regno Dei. Tertio Luc.22. Dico .n. vobis quod non bibam de generatione vitis, donec Regnum Dei veniat. Quartò et vltimo est definitio Ecclesiæ c.1.§. vna verò de Summa Trin. et fide cath.cap.fin.ver. Aquarij 24. q.3. Direct.2.p.q.6.n.23.

Septima est hæresis Græcorum, et Armenorum asserentium Minime miscendā esse aquam cum vino in sacrificio Missæ.

Contra facit primo ratio, quia hoc sacramentum fit in memoriam dominicæ Passionis, Paulo testante 1.Cor.10. Quotiescunque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat. At Christo mortuo vt testatur Ioan.19. Vnus militum lancea latus eius aperuit, et continuò exiuit sanguis et aqua. Secundo est authoritas doctorum Cypriani lib.2. Epist.3. Alex.1. in decret. quæ sunt in 1. Tomo Concil. Aug. de Eccles.dogmatibus75.loco; Martinus Braccharensis in collectario ex Concilijs Orientalibus cap.55. Tertio adest definitio Ecclesiæ Conc. Cartagin.3. cap.24. Sexta generalis Synodus Can.32. cap.cum Martæ de celebr.Miss. Concil. Flor. sub Eug.4. dummodo aqua modicissima admisceatur, adeò vt vinum non destruat. Concil.Trid.sess.22.Can.9.

Octaua hæresis est Messallianorum, et Armenorum asserētium Hunc sacratissimum cibum nec prodesse quicquam, nec etiam lędere; dif-

ferunt tamen, quia Armeni fatentur soli corporis saluti prodesse.

Contra facit primo Ioannes.6. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem habet vitam æternam. Secundo adest com.opin. doct. S.Bernard. In hoc sacramento non solum gratia, sed ille, à quo est omnis gratia sumitur, Cyrillus in 4. super Ioan.cap.17. loquens de Eucharistia dicit, Non mortem solum, verum etiã morbos omnes depellit, Chrisostomus Homil.45. super Ioan. Hic nostrarum animarum solus est etc. Tertio definitio Ecclesiæ Concil. Flor. sub Eug.4. et Concil. Trid.sess.13. cap.2. et Can.16. tractat Hosius tit.de effectu sacram. Euchar. cap.42. Concil. Trid.sess.13.Can.5.

Nona hæresis Græcorum est asserẽtium Hoc sacramentum sanctissimum in die Cœnæ Domini, feria scilicet quinta maioris hebdomadæ, confectum, esse maioris virtutis, quàm alio quolibet die consecratum.

Contra facit 1.Cor.11. ibi Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, et calicem Domini bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat. Non.n. dixit in die anniuersaria cœnę dominicæ, sed ait, Quotiescunque; nam sacramentum non pendet ex tempore, sed ex materia, et forma, pane scilicet, et Christi verbis à sacerdote debita intentione prolatis; Dñs autem dixit Luc.22. Hoc facite in meã cõmemorationẽ, non magis vno die, quàm altero.

Deci-

Decimus error est impij Lutheri dicentis Solam fidem sufficere ad præparationem suscipiendi tantum sacramentum, nec oportere ait confessionem peccatorum, nec vllam pœnitentiam requiri; sed credant tantùm, et confidant se gratiam ibi consecuturos.

Contra hanc hæresim primo facit ratio, quia hoc sacramentum est cibus viuorum, non mortuorum: at cum nihil nutriatur nisi quod uiuit; oportet, ut quisquis hoc sacramentum perceperit, prius uitam habeat, ut eo nutriri possit. Omnis autem qui peccat manet in morte 1. Ioan. 4. Omnis ergo, qui hoc sacramentum suscipit, eam debet facere diligentiam, quæ ut immunis sit à peccato, est necessaria, quod fit per confessionem sacramentalem peccatorum suorum. Secundo est authoritas Pauli 1. Corint. 11. Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat; qui. n. manducat, et bibit indignè iudicium sibi manducat, et bibit, non dijudicans corpus Domini. Probare autem se ipsum nihil aliud est, quàm inquirere uitam suam Gal. 6. Opus autem suum probet unusquisque, et sic in semetipso tantùm gloriam habebit, et 1. Thes. 5. Omnia probate, quod melius est tenete. Tertio Exod. 30. dicitur in figuram huius rei: Et missa aqua lauabunt in ea Aaron, et filij eius manus suas, ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonij, et quando accessuri sunt ad altare, ut offerant in eo Ethymiama Domino, ne forte

moriantur. Quarto antequam corpus suum Christus Apostolis exhibuisset, legem de esu Agni Paschalis prius impleuit, et postea Discipulorum suorum pedes lauit; propterea dixit, Vos mundi estis, sed non omnes Ioan. 13. vt intelligeret illam pedum lotionem, ad animorum affectum esse referendam, qua Iudas minimè lotus erat, etsi exteriores eius pedes, velut omnium aliorum Apostolorum Christus lauisset. Quinto Leuit. 22. Ego Dñs, dic ad eos, et ad posteros eorum. Omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra ad ea, quæ consecrata sunt, et quæ obtulerunt filij Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino. Sexto adest com. opin. doct. Theophil. super 1. Cor. 11. Hier. dicit, quòd Ioseph in Syndone munda inuoluit corpus Dñi, illudquè in sepulcro nouo sepelliuit, præfigurans corpus Domini accepturos, tam mundam mentem debere habere, quàm nouam Aug. in Epist. ad Iulianũ Greg. Nazian. super cap. 26. Leuit. Greg. Nissenus lib. de Mystica vita Moysi Hier. super Epistola ad Titum, Cyprian. ser. 5. de lapsis. Septimo et vltimo adest definitio Ecclesiæ Concil. Trid. sess. 13. cap. 7. et in Can. 11. tractat Hosius tit. de sacram. Euchar. cap. 43.

Vndecima hæresis est asserens Eos, qui aliquibus peccatis fuerint obuoluti, etiam si ad dominicam mensam accedant, à Sacerdote consecratum panem recipiant, non recipere corpus Domini.

Contra

Contra facit 1.Cor.11. Qui manducat, et bibit indignè, iudicium sibi manducat; vbi manifestè colligitur quantumcunque indignum posse manducare corpus Christi; Secundo Ioan.13. vbi Iudas (quamuis indignus) sumpsit corpus Christi, quod idem colligitur Math.29 March.14. et Luc.22. Tertio adest com.opin. doct. Theoph. super Math.26. Chrysost. in Homil.de proditione Iudæ, Aug. super Ioannem in tract.50.

Duodecima hæresis pestifera est Lutheri asserentis, Corpus Christi verum non esse in Eucharistia, nisi tantum in vsu, hoc est quãdo quis vtitur ea accipiendo, et edendo illam; aliàs autem extra cõmunionem corpus Christi in ea nõ esse', docet: Propterea dicunt, Eucharistiam nunquã esse seruandam in altari, aut alibi post Missæ celebrationem, propter quamcunque necessitatem.

Contra facit primo ratio, quia Christus cum dixit Hoc facite in meam commemorationem, nullam communionis mentionem fecit, sed tantum consecrationis; Præterea si necessaria ad hoc esset voluntas accipientis, sequeretur quòd potestas consecrationis penderet à voluntate accipientis, adeo vt si nullus adesset, qui Eucharistiam sumere vellet, vtique ibidem Christus minimè adesset, quod est falsum, iuxta definitionem Cõcilij sub Eug.4. Secundo facit com. opin. Doct. Cyrillus in Epist. ad Catorisium Ambros. in oratione funebri de obitu fratris

sui, Hier. in Epistol. ad Rusticum Aug. lib. 2. cap. 24. de visit. infir. Euseb. lib. 5. Eccl. Hyst. cap. 24. Clemens Papa, et Martyr. Tertio definitio Ecclesiæ cap. presbiter de consecr. distin. 2. c. sanè de celebrat. Missæ tot. tit. de cust. Euch. Concil. Trid. sess. 13. cap. 6. et Can. 7. et Can. 4.

Tertiadecima hæresis fuit, quòd si hostia consecrata cadat in lutum, seu comedatur à bruto, vel summat ab homine, quòd remanentibus speciebus desinat esse corpus Christi, Direct. p. 2. pag. 33. quam damnat Greg. 11.

Quartadecima est hæresis, si quis negat reliquias sacramenti altaris non esse custodiendas tot. tit. de cust. Euch. Turr. lib. 4. cap. 19.

Quintadecima hæresis Græcorum, Boemorum, et Lutheranorum est, quæ asserit, Necessariò sub vtraque specie scilicet panis, et vini esse communicandum, ita quod qui tantùm sub vna tantùm specie communicat etiam si laycus sit, peccat; quoniam (aiunt) cõtra præceptum Christi agit, qui præcipit sub vtraque specie communicare Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.

Contra facit primo ratio, quia totus Christus sub qualibet huius sacramenti specie integrè continetur; nam si sub specie panis corpus esset exangue, oporteret necessariò, vt esset inanimatum, quod est contra Apost. 6. ad Rom. Christus iam non moritur, mors illi vltra non domi-

dominabitur; est igitur sub specie panis corpus animatum, quod cum à diuinitate non sit separatum (quod .n. semel assumpsit, nunquam dimisit) totum etiam Christum in duabus naturis ibidem esse fateri oportet, quod idem de sanguine dicendum est; quod idem confirmat Concil. Flor. sub Eug. 4. celebratum; ratio autem, quarè layci non communicantur sub vtraque specie, est multiplex; prima, numerosa fidelium multitudo in dies crescens; propter quam communicandam periculum erat effusionis sanguinis; secunda delactio vini pro communicandis infirmis; tertia, ne vinum consecratum pro infirmis vertatur in acetum; quarta, ob raritatem vini, quod apud multas gentes non reperitur; quinta, ne homines ducerentur ad credendum sub vtraque Eucharistiæ specie non æquè totum Christum contineri. Secundo facit etiam Luc. 24. Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem et benedixit, ac fregit, et porrigebat illis; vbi loquitur de Eucharistia, nulla habita mentione calicis, quod ita intelligit ibi Theophil. et Aug. 3. lib. de consensu Euan. Chrisost. super Math. 17. et Beda super Luc. d. loco. Tertio Act. 2. Erant perseuerantes in doctrina Apostolorum et communicatione, et fractione panis. Quarto Act. 20. Vna autem sabbati cum conuenissemus ad frangendum panem etc. Quinto Math. 6. Panem nostrum substantialem da nobis hodie. Sexto adest com. opin. doct. Theoph. et Beda su-

per Lucam cap. 24. Chrisost. Homil. 17. super Math. Aug. in 3. lib. de consensu Euang. Cyprianus in Epist. ad Ant. Amb. in oratione funebri fratris sui. Septimo adest definitio Ecclesiæ Concil. Constantiense sess. 13. et Concil. Trid. sess. 21. et seq. non obst. illud Ioan. 6. Nam qui dixit Nisi manducaueritis carnem filij hominis, et biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis: dixit quoque, Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: et qui dixit Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, dixit etiam Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita: et denique qui dixit: Qui manducat meam carnē et bibit meū sanguinem, in me manet et ego illo; dixit nihilominus: Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. hæc Concil. Trident. d. loco et cap. seq. non enim dixit, nisi manducaueritis carnem filij hominis sub specie panis, et biberitis eius sanguinem sub specie vini, non habebitis vitam in vobis. non obst. etiam quòd Christus communicauerit sub vtraque specie, et dixit Hoc facite in meam commemorationem. Nam Resp. hoc præceptum datum esse sacerdoti conficienti, non autem layco, eodem modo Resp. ad illud Genes. 24. vbi Melchisedech panem et vinum obtulit: nam fuit figura huius sacramenti non in layco, sed in vero sacerdote; non obst. quod Leo Papa in 4. sermone de quadragesima præcipiat, vt cōmunio non fiat sub vna

tantùm

tantùm ſpecie, nam Reſp. illud factum eſſe tunc temporis, propter hæreſim Manichęorum, et aliorum, qui prędicabant Chriſtum aſſumpſiſſe corpus fantaſticum ſine ſanguine. Echius tit. 10. de Euchariſtia ſub vtraque ſpecie Concil. Trid. ſeſſ. 21. Can. 1.

Seſtadecima hæreſis eſt, dicere Sub vna tantùm ſpecie totum Chriſtum non contineri Concil. Trid. ſeſſ. 13. Can. 3.

Decimaſeptima eſt hæreſis aſſerens, Euchariſtiæ ſacramentum non eſſe cultu latriæ adorandùm, neque in proceſsionibus circumgeſtandum ibid. Can. 6.

Decimaoctaua hæreſis eſt, quæ aſserit, Illud ad infirmos non eſse deferendum ibid. Can. 7.

Decimanona eſt hæreſis, dicens Chriſtum in Euchariſtia exhibitum ſpiritualiter tantùm, non autem ſacramentaliter, et realiter manducari, ibidem Can. 8.

Vigeſima hæreſis eſt, negans Adultum non eſse in paſchate communicandum ibid. Can. 9.

Vigeſimaprima et vltima eſt hæreſis, quæ aſſerit, Non licere celebranti ſe ipſum communicare, ibid. Can. 10.

EVNVCHVS. LII.

VNA fuit hæreſis Valeſiorum dicentium quod ſit neceſsarium ad Deo benè ſeruiẽdum, vt quiſque Caſtratus, et Eunuchus ſit, qui non ſolum ſe ipſos, ſed etiam eos, quos hoſpitio

spitio recipiebant, castrabant, credentes sic Deo se debere seruire.

Contra facit primo Math. 5. Vbi non solum prohibetur occisio; sed omnis res, quę ad illam quoquo modo tendit. Secundo si necessarium esset, vt omnes castrarentur, coniugia perirent, quæ Deus approbauit; præcipiens, vt nullus dimittat vxorem suam excepta causa fornicationis. Math. cap. 19. obuiat. n. huic sententiæ Præceptum Domini dicentis 1. Genes. Crescite et multiplicamini, accedit ad hæc qđ Dominus in Euang. Math. 19. non. n. cõmendauit natos Eunuchos ex vtero matris suæ, nec Eunuchos, qui facti sunt ab hominibus, sed eos cõmendauit Eunuchos, qui se castrauerũt propter Regnum cœlorum. Hæc autem castratio non est sic accipienda, quòd membra virilia resecentur; nam alioquin laudasset etiam eos, qui ab vtero matris nati fuissent Eunuchi, aut qui ab hominibus facti fuissent Eunuchi, quod non fecit.

EXCOMMVNICATIO. LIII.

INTER alia, quæ ab Ecclesia Lutherani, et eius seguaces separare nituntur, est potestas excommunicandi; ex quo dicunt excommunicationem non esse timendam.

Cõtra facit 1. Math. 18. Si peccauerit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrẽ tuum: si au-

si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum, quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiã non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, et Publicanus. Quod idem est ac si diceret, nullam prorsus cum eo habeto communionem, quoniam communio cum infidelibus est christianis interdicta Paulus 1. Cor. 6. Quæ pars fidelis cum infideli? et 2. Ioan. 1. Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non habet, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis. Qui .n. illi dicit Aue, communicat operibus eius malignis, ecce prædixi vobis, vt in die Domini non confundamini; quod ergo fuit populo Israel Chananæus, hoc est homini christiano homo infidelis. Secundo Math. 18. Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata et in cœlis, et quæcunque solueritis super terram, erunt soluta et in cœlis; quæ verba exponentes Hier. et Chrisost. et Druthmarus, dicunt intelligi etiam de excõmunicatione, et Vrbanus in Epist. de communi vita, et oblatione fidelium, dicit indè intelligi illud Ioan. 20. Quemcunque ligaueritis super terram etc. Idem Leo Primus in Epistola ad Episcopos 67. Tertio 1. Cor. 5. Iudicaui tradere huiusmodi hominem satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini Nostri Iesu Christi, et 1. Thimot. 1. Quos tradidi satanæ, vt discant non blasphemare et 2. Thesal. 3. Si quis non obedit verbo nostro, per

Episto-

Epistolam hunc notate, et ne commiscearmini cum illo, vt confundatur. Quarto adest com. opinio doctorum: nam vltra superius adductos Aug. lib. de verb. Apostol. serm. 68. Ambrosius exponens illud 1. Corint. 5. idem dicit Origen. Homil. 2. super librum Iud. cap. audi. 11. quæst. 3. Antherus Papa in Epist. ad Episc. Prouinciæ Beticæ, Calistus Papa et Martyr in Epist. ad omnes Gal. Episc. Aug. super Psal. 54. Quinto adest definitio Ecclesiæ Conc. Constantiense sess. 8. Concil. Carthag. 4. c. 73. Concil. Brachar. 1. cap. 33. et tot. tit. de sent. excom. Concil. Trid. sess. 25. de reform. sess. 25. cap. 3. dixi latè in summa pec. cap. p. 2. tit. 9. per totum Hosius tit. qui sint extra sanct. commun. cap. 31.

EXORCISMVS. LIIII.

VALDENSES exorcismos omnes ab Ecclesia tollere conati sunt, dicentes Omnes benedictiones Aquarum, Candelarum, Palmarum, Ornamentorum, Calicum, Patenarum, Altarium, et Cæmiteriorum esse irridendas, et nihil prorsus habere momenti.

Pro confutanda hac hæresi notandum est ex mente Augustl. lib. 1. de vita beata, quòd exorcizare est per diuina immundum spiritum adiurando expellere. Hinc exorcismus omnis benedictio dicitur cuiuscunque rei, qua contra Dæmones, aut contra alia similia toxica vtimur,

vt

vt benedictio aquæ, salis, candelarum, palmarum etc. in his .n. omnibus inuocamus nomen Domini, precantes, vt illæ res sint; eo fauente, qui solus hoc potest facere, vobis in auxilium, et tutamen aduersus Dæmonem, quod negant fieri posse Valdenses.

Contra facit primo Luc. 10. ibi Domine etiã Dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo. Secundo Marc. vltimo In nomine meo Dæmonia eijcient. Tertio Act. Apost. 19. vbi Apostoli in nomine Iesu eijciebant Dæmonia. Quarto Luc. 11. Si ergo in digito Dei eijcio Dæmonia, filij vestri hoc est exorcistæ, in quo eijciunt? Quinto adest authoritas Bedæ super 19. Act. Apost. lib. 10. Aug. de ciuit. Dei cap. 22. Addo sexto definitionem Ecclesiæ, quæ declarat hoc officium ad ordinem exorcistatus pertinere c. exorcista 23. distin. Benedictiones autem altarium ex veteri lege ortum habuerunt; nam Moyses ex præcepto Domini erexit altare, et ipse vnxit, ex quo Leo Primus Epist. 66. solum Episcopis licère altaria consecrare, et benedicere, idem Concil. 2. Ispalense cap. 7. Damasus in Epist. de Coepisc. Concil. Agatense 14. Benedictiones panis, vel alterius comestibilis non sunt nouiter ab homine inuentæ, sed ab ipso Deo; nam cum Deus pisces maris creasset, benedixit eis, Genes. 1. et Exod. 23. Seruietisque Domino Deo vestro, et benedicam panibus tuis, et aquis, et Leuit. 23. Cum ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis,

et mes-

et messueritis segetem, feretis manipulos spicarum primitias vestras ad sacerdotem, qui eleuabit fasciculum coram Domino, vt acceptabile sit pro vobis altero die Sabbati, et sanctificabit illum, et Deuter. 18. Præcipit Dominus, vt de omnibus fructibus primitiæ offerantur Domino, et dentur sacerdoti, vt inuocet nomen Dñi super eas, et Ezech. 44. Primitiua ciborũ vestro rum dabitis sacerdoti, vt reponat benedictionem domui suę, et Paul. 1. Timot. 4. Omnis creatura bona est, et nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; benedictiones autem indumentorum, paramentorum, sacrorum vasorum, et aliorum instrumentorum, quanti sint momenti, docet Clemens Papa, et Martyr in Epist. ad Iacobum fratrem; benedictiones quoque luminum et cærei paschalis po nuntur in Concil. Tolet. 4. cap. 8. et nota, quod homo per hoc non facit res meliores, sed Deus ad preces ipsius benedicentis, vt dixi supra ver. de Aqua. Hosius tit. de distin. ordin. cap. 51.

FATVM. LV.

FVIT error Bardesani hæretici asserentis Fato conuersationes hominum esse imputandas; quem errorem docuit etiam Priscillianus hæreticus.

Contra facit primo ratio, quia hæc doctrina tollit liberum arbitrium; adeo vt non erit quod laudemus in homine, aut vituperemus, nec erit

opus

opus aliqua consultatione: nam in his, quę non possunt aliter euenire, superflua erit omnis consultatio; sicuti non esset opus oppugnare aduersus vitia, nec persuadere amorem boni, eiusque prosequutionem, et Propheta Psalm. 33. frustra dixisset Declina à malo, et fac bonum, et Paulus 1. Cor. 6. Fugite fornicationem; sicuti nec erit opus legibus, et periret iustitia, quæ tribuit vnicuique secundum opera, quæ gessit voluntariè, siue bona siue mala: Præterea si hoc verũ esset, vtiq; in Deũ mala hominũ referrentur, à quo certus ordo astrorum ordinatus est; nam tale fatum secundum istos hæreticos est certus ordo astrorum, in causando, aut in influendo; qđ adeò est impium dicere, vt aures horreant audire, Deum scilicet esse authorem præcipuum nostrorum vitiorum. Secundo facit definitio Ecclesiæ Conc. Brac. 1. cap. 9. Leo Papa 1. in Epist. 21. de hac materia scripsit S. Thom. in opusculo de fato, et Greg. Nicen. in lib. de fato S. Aug. lib. 11. de ciuit. Dei cap. 1. et seq.

FESTI DIES. LVI.

FESTORVM dierum obseruationes negans, est hæreticus. Turrianus lib. 5. cap. 17. Hosius tit. de 3. præc. cap. 79. Cathech. in 3. præcepto.

FIDES

FIDES. LVII.

PRIMVS error Petri Abailardi hæretici est, qui dixit Nihil esse credendum, quod excederet virtutem nostri intellectus.

Contra facit primo Paul. ad Hebr. 11. Fides est substantia sperandarũ rerum argumentum non apparentium, vbi doct. com. intelligunt Paulum ibi loqui de fide, non autem de fiducia. Secundo Paul. Rom. 4. de Abraam loquens ait, Qui contra spem in spem credidit, vt fieret pater multarum gentium; ratio est, quia cum esset graui ætate confectus, nulla spes erat, vt iam gignere posset. Tertio Luc. 1. vbi Zacharias meritò fuit punitus, quia partum vxoris, quam senem, et sterilem sciebat, credere noluit. Quarto Paulus 1. Cor. 2. ibi Sermo meus, et prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, et virtutis, vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Quinto Esa. 7. Nisi credideritis non intelligetis, vndè Greg. Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum, hoc idem intelligit Aug. lib. 50 Homil. 32. et Basilius in exordio Psal. 115. non obst. Eccl. 19. ibi Qui cito credit, leuis est corde; credere autem cito (dicit ille hæreticus) est adhibere fidem ante rationem; nam Resp. quod ibi non est accipiendum de fide ad Deum sed de mutua inter homines ipsos credulitate;

alioquin

alioquin Maria Virgo leuitate arguenda veniret, eo quod citò credidit Angelo etc. de hac tractat S. Thom. 2.2.q.1. et seq. doct. com. in 3. sent. distin. 23. et seq. Hosius tit. de fide cap. 1. et seq.

Secunda hæresis est Eunomij, et impij Lutheri dicentiũ Solam fidem iustificare; quapropter opera nostra non esse necessaria ad assecutionem vitæ æternæ dixerunt.

Et intellige hic de fide, pro vt est credulitas quædam, siue persuasio, aut assensus firmus, et certus: sed incuidens de omnibus, quæ à Deo per Prophetas suos, et per se, et per Apostolos suos nobis reuelata sunt, non autem pro fiducia, vt asserũt hæretici; nam Paul. 1. Cor. 13. Nunc autem manent Fides, Spes, et Charitas, tria hæc. Sed si fides complecteretur in se spem (vt asserunt Lutherani) iam non tria, sed duo sunt, oportet igitur separare fidem à fiducia.

Contra facit primo Psal. 14. ibi Qui ingreditur sine macula, et operatur iustitiam, et in fine Qui facit hæc, non commouebitur in æternum, nõ dixit, qui credit hæc, sed qui facit hęc, vt ostenderet operum virtutẽ, et necessitatem. Secundo Esa. 1. Quiescite agere peruersè, discite benefacere etc. Tertio Math. 6. Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine intrabit in Regnum cœlorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in Regnum cœlorum et infra Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem. Quarto Ioan. 15.

Omnem palmitem in me nõ ferentem fructum, tollet eum Pater meus. Quinto Math. 25. Dominus in vltimo iudicio vitam æternam promittit his, qui opera pietatis in pauperes, et egenos exercuerunt, et ignem æternum decernit ijs, qui eiusmodi opera facere contemperunt. Sexto Math. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Septimo Math. vlt. Docentes eos seruare quæcunq; mandaui uobis. Octauo Marc. vlt. ibi Qui crediderit et baptizatus fuerit, saluus erit; ex quo patet ultra fidem requiri etiam baptismum, cũ uerò dixit, Qui autem non crediderit, cõdemnabitur, docuit sine fide baptismũ non prodesse, quemadmodum nec fides sine baptismo. Nono Paul. ad Rom. 2. Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Decimo 1. Cor. 14. Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam; charitatem autem non habuero nihil sum. Vndecimo 1. Cor. 16. State in fide, uiriliter agite, et confortamini; omnia autem uestra in charitate fiant. Duodecimo Iaco. 1. Qui autem perspexerit in lege perfectę libertatis, et permanserit in ea, non auditur obliuiosus factus; sed factor operis, hic beatus in suo facto erit, et in alio eiusdẽm Epistolæ capit. Vis autem scire ò homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est, et ibidem Videte, quoniam ex operibus iustificatur homo, et non ex fide tantùm, et rursus Sicut. n. corpus sine spiritu mortuũ est; ita fides sine operibus mortua est. Tertiodecimo

decimo Apocal.14. Beati mortui, qui in domino moriuntur. A modo .n. iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis; opera enim illorum sequuntur illos. Quartodecimo Apocal.22. Et alius liber apertus est, qui est vitæ et iudicati sunt mortui, ex his, quę scripta erant in libris secundum opera eorum, et rursum Ecce venio citò, et merces mea mecum est, reddere vnicuique secundum opera sua. Quintodecimo ad Gal.5. Paulus dicit, omnia in vno mandato compleri, nempè in charitate, non autem in fide. Sextodecimo Paulus ad Gal.5. In Christo .n. Iesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed fides, quæ per charitatem operatur. Decimoseptimo Ioan.14. Si diligitis me mandata mea seruate. Decimooctauo 1.Ioan.13. Qui habuerit substantiam huius mundi, et viderit fratrem suum necesse habentem, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo est charitas patris in eo? Vltimo adest determinato Ecclesiæ Concil. Trid. sess.6.cap.3. et seq. Non obst. quod obijciunt Lutherani, Hebr.11. Sine fide impossibile est placere Deo et Act. Apost.16. Dans illis Spiritum sanctum, sicut et nobis, fide purificans corda eorum, et Abac.2. Iustus ex fide viuit: nam Resp. verum esse, quòd fides iustificat hominem, et sine ipsa neminem esse iustum; non tamen dicit, solam fidem iustificare hominem; adeo vt alia omnia excludantur à iustificatione; sicuti per hoc quod effectus producitur ab vna causa, non per

hoc excluditur alia, quæ particeps fuit, et licèt ibi tacuerint opera, non tamen illa excluſit à iuſtificatione; alioquin etiam baptiſmus non eſſet neceſſarius, qui alibi fuit expreſſus ſicuti alia opera. Præterea eadem ratione licebit fidem excludere, de qua nulla fit mentio, cum multis in locis operibus tribuatur iuſtificatio Tob.4. Eleemoſyna ab omni peccato, et morte liberat, et Eccl.4. Ignem ardentem extinguit aqua, et eleemoſyna reſiſtit peccatis, et Luc.6. Date eleemoſynam, et omnia mũda ſunt vobis, vbi licèt non fiat mentio de fide; tamen ſubintelligitur, quod tunc eleemoſyna dicenda ſit bona, quando ex fide procedens ſolo Dei reſpectu fit: ſicuti etiam fides tunc erit ſufficiens, quando illi fuerint opera neceſſaria coniuncta; Non obſt. ſecundo Rom.3. Arbitramur (inquit) iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis, et ad Gal.2. Scientes autem quòd non iuſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Ieſu Chriſti, et nos in Chriſto Ieſu credimus, vt iuſtificemur; ex fide Chriſti, et non ex operibus legis. Propter quod ex operibus legis non iuſtificatur omnis caro; nam Reſp. quod ibi loquitur de operibus legis veteris, puta de ceremonijs, et alijs ritibus, quæ omnia fuerunt per Chriſti mortem deleta, et nullam penitus virtutem habentia: quapropter nec iuſtificare quemquam poterant; non autem loquebatur de operibus aliorum præceptorum Decalogi, vt ſatis docet materia, de qua ibidem

tracta-

tractatur, et ita intelligunt Beda. Theophilactus, Ambrosius, et Hieronym. Non obst. tertio ad Rom. 4. Credidit Abraam Deo et reputatum est illi ad iustitiam; nam Resp. quod per hoc dicitur Abraam iustificatus, pro vt dicunt hæretici; nam reputari ad iustitiam, non est primam iustificationem acquirere; sed est in opera iustitiæ computari; fides .n. Abraam fuit opus iustitiæ, cum iustum sit, vt quisque Deo veracissimo aliquid dicenti credat; patet Psal. 105. Et stetit Phinees, et placauit, et cessauit quassatio; et reputatum est ei in iustitiam, in generatione, et generationem vsque in sempiternum; vbi occisio reputata est ei ad iustitiam, non quod per illud opus fuerit iustificatus; sed solum significat illum fecisse opus iustitiæ; non obst. quod Paulus subdit Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum; ei verò qui non operatur, credenti autē in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam; nam Resp. q. aliqui post fidem, et gratiam susceptam opera bona faciunt, et istis debetur merces, non gratis, et ex pura liberalitate, sed secundum debitum, quia gloria æterna debetur operibus bonis, non ex natura et dignitate illorum, sed ex promissione diuina: alij sunt, qui post fidem et gratiam susceptam nullum bonum opus operati sunt; quia forte illis nullum fuit datum tempus, istis sola fides reputatur ad iustitiam, non solum vt iusti sint in hac vita, sed etiam ad glo-

riam æternam, pro vt contingit his, qui decedunt ſtatim poſt ſuſceptum baptiſmum, quod tribuitur iſtis non ſecundum debitum, vt primis, ſed ſecundum gratiam, et meram liberalitatem Dei, vndè primis aliquo modo merces eſt illis debita; iſti autem ſolam fidem habuerunt, quæ donum Dei eſt Paulus Epheſ.2. ideò pro priè dici non poteſt opus noſtrum Ioan.3. Nemo uenit ad me, niſi Pater meus traxerit illum, ita exponit Anſelm.gl. et S.Thom.d.loco 4. ad Hebr. Non obſt.quarto 1. or.3. Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. ſi quis autem ſuperędificet ſupra fundamentum hoc aurum, argentum, lapides precioſos, ligna, fœnum, et ſtipulam, vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit; dies .n. Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, et vniuſcuiuſque opus qua le ſit ignis probauit: ſi cuius opus manſerit, qđ ſuperędificauit, mercedem accipiet: ſi cuius opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem. Putant enim ſaluos fore omnes, qui habuerint Chriſtum pro fundamento ſui ſpiritualis ædificij, quicquid poſtea ędificent, et ſic ſolam fidem ſufficere ad ſalutem, aut per ignem tribulationis conſumentem mala opera perpetrata, aut ſine huiuſmodi igne, qui nihil mali, ſed ſolũ bona opera fecerunt: primo igitur decipiunt̃ putantes eos, qui opera mala perpetrarunt, et in eorum affectu permanent, habitare in Chriſto,

et

et illum habere pro fundamento; nam Ioan. 1. cap. 1. Si dixerimus quoniam societatem habemus cum illo, et in peccatis ambulamus, mentimur, et veritatem non facimus, et infra; Qui dicit se in Christo manere, debet, sicut ille ambulauit, et ipse ambulare, et ibidē, Qui odit fratrē suū, est in tenebris, et in tenebris ambulat; et oīs, qui in eo manet, non peccat; et qui non diligit, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est, et 1. Ioan. 3. Et scitis quoniam omnis homicida nō habet vitam æternam in se manentem, et Sap. 1. In maleuolam animam non introibit sapientia; de quibus non loquitur Paulus d. loco 1. Cor. 3. nam de solis iustis, in quibus Deus habitat per gratiam; nam ipsemet dicit inferius Nescitis quia templum Dei estis, et spiritus Dei habitat in vobis? si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus: vbi dicit disperdet illum; non autem saluabit; ex quibus colligitur, non superædificare supra fundamentum, quod Christus est, qui, et si teneat fidem, tamen fidei coniungit peccata mortalia, ita intelligit illum locum Aug. lib. de fide et operibus cap. 16. Duos igitur ordines superædificantium Christo Paulus commemorat; sed vtriusque iustos. Primi, qui superædificant aurum, argentum, aut lapides precioſos, sunt qui nihil purgandum habēt, et hi statim post mortem recipiunt mercedem glorię æternę. Cæteri verò, qui superędificant ligna, fœnum, aut stipulam, sunt qui peccata

sola venialia cõmiserunt, aut si peccata mortalia cõmiserunt, pœnitentiã illorũ egerũt; sed nõ plenam satisfactionẽ, et hos purgari oportet, antè quã mercedẽ gloriæ recipiant, et hoc aut p ignẽ tribulationis in vita p̃senti, aut perignẽ purgatorij in vita futura, et hoc dixit Paulus eos saluos fore, sic tñ quasi per ignem; Non obst. quinto qđ obijciunt nobis, qp omni credenti absque discrimine promittatur iustitia, et vita æterna; Ioan. 3. Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis, qui credit in ipso, non pereat, sed habeat vitam æternam; sic .n. Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam; et Paul. ad Rom. 3. Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes et super omnes, qui credunt in eum; quibus in locis promittitur iustitia, et deinde vita æterna omni credenti. Nam Resp. omnia dicta intelligi debere de fide viua, quę per dilectionem operatur; nam Aug. lib. de fide et operibus cap. 13. Ideò aliquando alterum sine altero pro plena doctrina inuenitur scripturam commemorare, vt etiam hoc modo intelligatur, alterum sine altero esse non posse, quia et qui credit Deo, debet facere quod præcipit Deus, et qui fecit qđ præcipit, necesse est vt credat Deo. Secundo modo Resp. quod illa dictio vniuersalis debet restringi, et limitari ad iustos, et excludi illos, qui contradicunt illi vniuersali elocutioni, hoc

est

est illi, qui opera præceptorum non adimpleuerint, Paulus ad Ephes. 5. Hoc .n. scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est Idolorum seruitus, non habet hæreditatem in Regno Christi, et Dei: Nemo vos seducat innanibus verbis; propter hæc .n. venit ira Dei in filios diffidentiæ, et 1. Ioan. 2. Qui dicit se nosse Deũ et mandata eius non custodit, mendax est et Math. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Tertio Resp. quod illæ vniuersales enunciationes sic esse interpretandas, vt non ad singula quæque indiuidua referantur; sed ad singula genera ipsorum indiuiduorum, sicut illud Psal. 21. Adorabunt eum omnes reges, omnes gentes seruient ei. Multi sunt certè hodie reges, qui Christum non adorant, et multę gentes, quæ non seruiunt ei; attamen ex omni populo, et omni natione aliqui reges adorauerunt Christum, aut aliquando adorabunt, et aliquę gentes ex omni natione seruient ei, sic intelligitur Psal. 85. Omnes gentes quascumque feciſti venient, et adorabunt coram te Domine, et Math. 22. Voca omnes quotquot inueneris, cuius prȩcepto respondit idem minister, factum est, vt iussisti; at certum est non omnes venisse ad fidem Christi, quę nomine nuptiarum figurata est illa mensa, sed ex omni gente, et omni natione aliqui ad fidem Christi conuertentur; ita intelligitur ad Rom. 3. Iustitia autem Dei, per fidem Iesu Christi in omnes et super omnes, qui credunt in eũ,

vt non singulos credentes esse iustos; sed ex omni natione aliqui credentes iustificentur, ita vt non solum Iudęi, sed etiam Gentiles possint iustificari; quod patet per illa verba, quæ Paulus dicit inferius Non .n. est distinctio etc. An Iudęorum tantùm Deus nõ ne et Gentium; immo et Gentium. Non obstant sexto loco authoritates quorundam Sanctorum, qui videnť dicere, solam fidem sine operibus iustificare, Bernardus serm. 22. super Cantic. Theoph. super 9. cap. ad Rom. Leo in sermone de Epiphania, Hylarus. Can. 9. super Math. nam Resp. nullum istorum nec aliquem catholicorum dixit vnquam fidem sine operibus semper iustificare. dixerunt quidem, vt ingenuè fatear, fidem solam iustificare, sed non fidem solam sine operibus; quoniam magnum est discrimen inter hæc duo. Nam cum illi dicunt, fidem solam iustificare, per illam dictionem excluſiuã, solam, non reijciunt opera, sed omnes alias Sectas, quæ non conueniunt cum fide Christi, in quibus non est salus nec iustificatio. Cum ergo dicitur sola fides iustificat, tantùm valet ac si diceretur: In nulla Secta est iustitia nisi in sola fide Christi. Fuit .n. olim hæresis quædam dicens: Omnem hominem in lege sua beneuiuentem posse saluari, siue Iudęus ille sit, siue Sarracenus, siue Paganus, de qua dicemus infra Ver. Lex, et ita intelligitur Bulla Martini Quinti, contra errores Ioannis Vuicleph, et Ioannis Huss. et dictum Pauli ad Hebr. 11. Sine fide impossi-

posſibile eſt placere Deo; poteſt etiam intelligi, quod ſola fides iuſtificet ſine opere, quando ſcilicet poſt fidem ſuſceptam non occurreret tempus, in quo aliquod opus extèrius homo operari deberet, Chriſoſtom. in Homil. de fide, et lege naturæ, Echius tit. 5. de fide, et operibus, Turrian. lib. 3. cap. 16. Hoſius tit. de iuſtitia cap. 73. Cathech. pag. 19.

Tertia hæreſis eſt, quæ docet Fidem amitti per quodlibet peccatum mortale.

Huius erroris fuit Author Lutherus cum omnibus ſuis ſeguacibus.

Contra facit primo ratio, quia fides pertinet ad intellectum, charitas autem pertinet ad voluntatem, iuxta illud Pauli ad Hebr. 11. Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, et infra; Fide intelligimus aptata eſſe ſecula, at operatio intellectus poteſt eſſe ſeparata ab operatione voluntatis; ideò per peccatum, quod eſt actus voluntatis, non amittitur fides, quæ eſt actus intellectus. Secundo facit Iob. c. 34. ibi Quaſi impios percuſſit eos in loco videntiũ, qui quaſi de induſtria receſſerunt ab eo; vbi peccare de induſtria eſt peccare cum ſcientia, et cognitione peccati. Tertio Luc. 2. Seruus, qui nouit voluntatem Domini ſui, et non ſe præparauit, et non fecit ſecundum voluntatem eius, vapulabit multis, et Iacob. 4. Scienti bonum facere et non facienti, peccatum eſt illi, vbi apparet aliquos habere fidem, quę cognoſcere facit, qui tamen contra conſcientiã agunt,

vt inquit Beda super d. locum Iacobi. Quarto facit ratio, quia si quis bonum nouit, etiam per fidem, non posset contra conscientiam agere, sequeretur voluntatem cogi per iudicium intellectus, et tolleretur liberum arbitrium, quod est falsum, vt dicam inferius suo loco. Quinto facit ratio, si per omne peccatum mortale amitteretur fides, sequeretur quòd omnis existens in peccato mortali, et præsertim perseuerans in eo, esset hereticus, quod est falsum. Sexto Math. 7. Non omnis, qui dicit mihi Domine Domine intrabit in Regnum cœlorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, et infra Discedite à me omnes, qui operamini iniquitates, vbi sic repulsi fidem habebant, quia Christum confitebantur Dominum, in cuius nomine Prophetabant, et eijciebant Dæmonia. Septimo Math. 25. Vox illa quinque Virginum fatuarum Domine Domine aperi nobis, apertè demonstrat illas habere fidem. Octauo Ioan. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri ijs, qui credunt in nomine eius; non .n. dixit statim eos, qui credunt esse filios Dei, sed dixit eos habere potestatem, qui possent fieri filij Dei, per quæ verba docuit fidem esse initium adoptionis in filium, non autem perfectam adoptionem per fidem. Nono Math. 22. Vbi Theoph. Nisi quis vitam habeat puram, nihil ei proderit nuda fides: Non solum .n. è nuptijs eijcitur, sed in ignem mittitur, idem tenet Greg. d. loco, et Hier. Decimo Ioan. 12. Ex principibus multi credi-

crediderunt in eum, sed propter Pharisęos non confitebantur, vt ex synagoga non ejcerentur, dilexerunt .n. gloriam hominum, magis quàm gloriam Dei, vbi secundum Bedam quidam habebant fidem, non autem charitatem, cum rectè credidissent, et timore Pharisęorum perterriti, non audiebant ore confiteri. Vndecimo 1. Cor. 11. Si habuero oẽm fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero nihil sum vbi Hieronym. et Anselm. intelligunt de perfecta fide. Duodecimo Iac. 2. Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? nunquid poterit fides saluare eum? et infra Fides si non habet opera, mortua est in semetipsa; nec obst. quod dicunt hæretici retorquendo dicentes, si fides sine operibus mortua est: ergo non est fides, sicuti homo mortuus, non est verus homo; nam Resp. quod Iacobus non comparat fidem homini, sed corpori, quod licèt secluśa anima, non sit viuum, est tamen verum corpus; ita fides sine operibus non est viua, sed tamen est vera fides; ita interpretatus est Anselm. super Paul. ad Galat. Hier. lib. 2. ad Iouinianum, et Bernardus sermon. 24. super Cantica: aliud .n. est vera fides aliud viua; nam vera fides opponitur fictæ, aut falsę fidei, viua autem opponitur mortuę. Tertiodecimo adest determinatio Ecclesię Concil. Trid. sess. 6. cap. 15. Non obstat etiam, quod obijciatur ex doctrina aliquorum Sanctorum dicentium Fidem sine operibus non esse veram

fidem,

fidem, Gregor. Homil. 29. super Euang. nam Resp. quod doct. dum dicunt, qui immundam agunt vitam, non verè esse fideles, capiunt verum pro perfecto, et completo, vt sit illa, quæ per dilectionem operatur ad Galat. 4. similiter dum sancti Patres dicunt quandoque fidem sine charitate esse non posse; nam Resp. eos loquentes non absolutè, negantes fidem esse posse sine charitate, sed solum in ordine ad iustificationem; nam licèt fides quo ad se possit separari à charitate, quando tamen respicit iustificationem, ab ea separari non potest, quia sine illa iustificare non valet. Vndè Cyrillus lib. 10. super Ioan. cap. 8. dicit quòd fides ad salutem non sufficiat, Christi etiam Discipulum ostendit Iac. 4. Tu credis quia vnus Deus, Dæmones etiam credunt, et horrescunt; si ergo sola fides sufficeret, multitudo Dæmonum perire non posset. Direct. 2. p. q. 10.

Quarta hæresis docet Fidei articulos, et sacramenta Ecclesiæ posse rationibus demonstratiuis probari Direct. 2. p. q. 9.

Quinta hæresis docet Fidei symbolum non esse recipiendum Direct. 2. p. q. 14. Cathec. in princ. Concil. Trid. sess. 3.

FIDVCIA. LVIII.

DE hac re vna est hæresis Lutheri, qui asserit Nullo modo licere fiduciam gratiæ, aut gloriæ assequendæ collocare in nostris operibus,

ribus, contra facit Cathec. Tit. de oratione pag. 517. et in petitione 4. pag. 564.

Pro confutanda hac hęresi notandum est, q̃ fiducia est spes roborata ex firma opinione S. Thom. 2. 2. q. 129. artic. 6. quam maiorem habere debemus in promissionibus Dei, quàm hominum Psal. 144. Nolite confidere in principibus, neque in filijs hominum, in quibus non est salus. et Psalm. 83. Gratiam et gloriam dabit Dominus, quę fiducia oritur exinde quod dicit Dominus Math. 4. Agite pœnitentiam, appropinquabit Regnum cœlorum; credimus enim Deum veracem, eumque mentiri non posse, et potentem ad faciendum quod promisit; in Christo autem quatenus homo, habemus fiduciam consequendi gratiam, et gloriam, tanquam in eo, per cuius merita hęc nobis reddenda est Psalm. 102. Hic est. n. qui sanat omnes infirmitates nostras, qui redemit de interitu vitam nostram, qui coronat nos in misericordia, et miserationibus; nec enim (vt ait Petr. Act. Apost. 4.) aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, et Paul. ad Rom. 5. Per hunc accessum habemus ad Patrem et Ioan. 15. Hic est vera vitis, sine qua palmites fructum facere non possunt, et Paulus Ephes. 1. In illo habemus fiduciam, et accessum in confidentia per fidem eius, vndè fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est: quod est Christus Iesus. Hęc tamen assertio non tollit, quin etiam

aliquam

aliquam fiduciæ partem, quæ parua est in nostris operibus, possimus collocare. non .n. est extra rationem, vt quis in duobus fidat, nempè primo et principaliter in vno, et postea minus principaliter in alio, sicuti infirmus primo confidit in auxilio Dei, deindè in Medico, atque medicamentis; primo igitur fiducia nostra esse debet in meritis Christi, sine quo reliqua omnia nihil valent; deindè succedit fiducia in bonis operibus hominum, sine quibus stante etiam merito Christi, nullus potest saluari, iuxta illud Math. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata; non tamen sic est collocanda fiducia in bonis operibus nostris, quasi illis ex natura sua debeatur merces vitę æternæ, dicente Paul. ad Rom. 8. Non sunt condignę passiones huius seculi ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis; sed dicimus fiduciam collocandam in bonis operibus propter misericordiam Dei, et propter promissionem suam, qua promisit se daturum hominibus mercedem propter bona opera, et sic confidentes in bonis operibus nostris, nihil detrahimus honori diuino; nam per bonitatem Dei agnoscimus nobis quoque euenire, quòd bona opera operari possimus, et ꝙ per illa apud Deum mereri valeamus 2. Cor. 3. Fiduciam .n. talem habemus per Christum ad Deum, nõ quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, quod autem Paul. 2. Cor. 1. Vt non simus confidentes in nobis, non præcipit

pit abstinere ab omni fiducia; sed solum ab illa, qua quis sic fidit sibi ipsi, aut suis operibus, vt nihil prorsus confidat in Deo. Quod autem talis fiducia totaliter liceat collocari in nostris operibus, vltra adducta facit Tob.4. Fiducia magna erit coram Deo eleemosyna omnibus facientibus eam. Tertio Iob.7. Vbi mercenarius, non solum habet fiduciam in veritate, et bonitate sui Domini, à quo fuit conductus ad laborem; sed etiam confidit in suo proprio labore. Quarto Math.9. Confide, fides tua te saluam fecit; in quibus verbis apertè docuit illam licitè fiduciam salutis posse habere, quia fidem tenebat. Quinto 1.Ioan.3. Si cor nostrum non reprehenderit nos fiduciam habemus apud Deum, et quicquid petierimus accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus. Sexto Paulus 2.Tim.4. Bonum certamen certaui, cursum consumaui, fidem seruaui; de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex; vbi apparet, quod non solum redditur ei corona ex liberalitate, sed ex debito iustitiæ. Septimo com. opin. doct. Aug. lib. de vera innocentia Reg. 297. dicit, Debetur merces boni operis, si fiat: sed gratia, quæ non debetur, præcedit vt fiat; Deus.n. ex mera liberalitate dat homini primam iustificationis gratiam, sed ex debito iustitiæ reddit gloriam æternam pro bonis operibus, et S.Thom. super Paul. ad Heb.10. Nolite itaq; amittere confidentiam vestram etc.

dicit: ostendit quid eis restat faciendum, scilicet confidentiam acceptam ex bonis operibus conseruare, idem Anselm. et Theoph. et Chrisostom. super Psal. 117. ver. Aperite mihi portas iustitię Hyer. super tertio ad Ephes. Octauo adest definitio Ecclesiæ Concil. Trident. sess. 6. cap. 16. tractat Hosius tit. qua iustitia iusti simus cap. 73. non obst. Psal. 48. vbi reprehenduntur, qui confidunt in virtute sua, et in multitudine diuitiarum suarum gloriantur, et Salom. Prou. 12. Qui confidit in cogitationibus suis impiè agit; nam ad hæc, et alia similia Resp. quod reprehenditur illa fiducia, quæ in solis nostris operibus collocatur, non autem illa, quæ primò, et principaliter collocatur in Christo; deinde secundariò et minus principaliter in nostris operibus collocatur, non obst. quod Pharisęus fuerit reprehensus, quod sua bona opera cõmemorabat Luc. 18. nam non ꝓꝓ hoc reprehensus est, sed ꝓꝓ superbiam, et contemptum Publicani; vnde Dominus cum discessit Pharisęus inquit, Quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur.

FILIVS DEI. LIX.

FILIVM Dei esse Patri dissimilem hæresis est cap. fin. 24. q. 3. Direct. 2. p. q. 6. similiter non esse patri coæternum, et eiusdem naturæ, ibidem contra id quod dicitur Ioan. 10. Ego, et pater vnum sumus Cathec. in art. 2.

FORNI-

FORNICATIO. LX.

INTER alios Græcorum errores est, Fornicationem simplicem non esse peccatum mortale, de quo dixi supra ver. Coitus. Direct. 2. P. q. 4. Cathech. in 6. præc. pag. 455.

FRANCISCI HABITVS. LXI.

FRANCISCI sanctissimi habitum gestantem non posse damnari est hæresis Direct. 2. p. q. 11. similiter dicere regulam S. Francisci esse vnum, et idem Euangelium cum Christo.

FVTVRVM CONTINGENS. LXII.

DE hac re est vnus error, quo docetur Nihil contingens in rebus euenire, sed omnia, quę fiunt, necessitate absoluta fieri.

Huius hæresis Author fuit Petrus Abailardus, quem sequutus est Ioan. Vuicleph, et Lutherus, dicens Omnia, quę fiunt, tam absoluta necessitate fieri, vt impossibile sit aliter fieri quàm fiunt.

Contra facit primo Sap. 11. Quod quidam errantes colebant mutos serpentes et bestias superuacuas, immisisti illis multitudinem mutorum animalium in vindictam, vt scirent, quia per quæ peccat quis, per hæc et torquetur.

Non .n. impoſsibilis erat omnipotens manus tua, quæ creauit orbem terrarum ex materia inuiſa, immittere illis multitudinem vrſorum, aut audaces leones etc. vbi apparet, quòd Deus multa potuiſſet facere, quæ non fecit. Secundo Math. 26. An putas, quia non poſſum rogare patrem meum, et exhibebit mihi pluſquã duodecim legiones Angelorum; vbi apparet, quòd erat in manu ſua pati, ſi vellet. Tertio Ioan. 10. Poteſtatem autem habeo ponendi eam, et poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. Quarto ad Hebr. 5. Qui in diebus carnis ſuæ preces, ſupplicationesque ad eum, qui poſſet illum ſaluum facere à morte, cum clamore valido, et lacrimis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia. Quinto 1. Cor. 10. Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis. Sexto Mutatio operationum, quæ in creaturis Deo iubente contingit, oſtendit Deum facere poſſe aliter, quàm fecit, vt cum ſenex ſterilis Sara peperit Geneſ. 21. et cum loquitur Aſina Balaam Num. 21. et Sol motum reliquit Ioſ. 10. Septimo, ſi res de neceſsitate contingunt, ad quid Deum oramus? et tamen Deus nos orare præcipit Math. 6. Octauo adeſt determinatio Eccleſiæ Concil. Conſtant. ſeſſ. 8. in 27. art. et vide quæ dicam infra ver. de libero Arbitrio.

GRA-

GRATIA. LXIII.

PELAGII error tantum tribuit libero arbitrio, vt diceret absque gratia Christi hominem posse omnia præcepta Dei implere, et suis meritis vitam æternam consequi: vt conuincamus hunc errorem, notandum est triplicem esse libertatem. Quędam .n. est libertas à culpa, de qua Apost. Rom. 6. Cum.n. serui essetis peccati, liberi facti estis iustitiæ et 2. Corint.3. Vbi spiritus domini, ibi libertas, quæ non est illa, qua dicimus liberum esse omne hominis arbitrium. Alia libertas est, quæ opponitur contra seruitutem miseriæ, de qua ad Roman.8. Et ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei; neque hæc dicitur illa, qua dicitur arbitrium hominis liberum. Tertia est libertas, quæ opponitur contra necessitatem, aut verius coactionem, à qua vocamus hominis arbitrium liberum; quam libertatem habet homo à sua conditione, estque illi adeò insita, vt ab eo diuelli non possit.

Secundo notandum est, vt arbitrij libertatem, et gratiæ necessitatem simul ostendamus, quod voluntatis nostrę sunt triplices operationes. Quędam .n. est bona vt velle dare eleemosynam egenti propter Deum. Alia mala, vt furari. Alia media nec bona, neque mala censenda, vt velle deambulare, et similes, nullo consi-

derato fine, ad quem istę operationes dirigun-tur; nam si istis præfigeretur finis, censerentur bonæ, vel malæ; sicuti esset ipsarum finis.

Tertio notandum est quinq; esse circa hanc materiam catholicas assertiones; quarum prima est; Liberum arbitrium ex se, et sua conditione potest eligere quamlibet volitionem malam. Secunda Liberum arbitrium ex sola suæ naturæ conditione (non exclusa tamen in hac secunda, neque in prima assertione illa Dei generali concausatione) potest eligere quodlibet opus medium, quod nec est bonũ, nec malum. Tertia Liberum hominis arbitrium ex sola sua potestate, addita etiam illa communi generali Dei concausatione, non potest sine aliquo Dei speciali auxilio bonum aliquod operari; quoniam semper circa illud præcedit quædam monitio, aut attractio, aut inspiratio, aut aliquod bonum naturæ, quod ipse Deus merè gratis, quibus illi placet, donat. Quarta Postquam Deus voluntatẽ nostram excitauit ad bonum, est in ipsa hominis voluntate hæc potestas, vt Deo monenti, et inspiranti consentiat, aut dissentiat. Quinta Postquã voluntas nra cum Dei adiutorio cepit agere aliquod bonum, non potest sine eiusdem Dei speciali adiutorio bonum inceptum prosequi, et in eo perseuerare; ex quibus quinque conclusionibus apparet apertissime quanta sit liberi arbitrij potestas, quãta sit etiã in libero arbitrio gratiæ diuinæ necessitas. His ita suppositis.

Contra

Contra hanc hæresim facit primo Esa.10. Nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum, à quo trahitur? vbi sicuti securis, aut serra nunquam lignum scindet, nisi ab alio ad hoc moueatur; sic nostrum liberum arbitrium nunquam bonum aliquod operari poterit, nisi à Deo moueatur ad aliquod agendum. Secundo Psal.44. Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis, vbi sicut calamus nunquam scribet, nisi manus scribę illum moueat; sic nullus potest aliquid boni dicere, nisi lingua eius à Domino moueatur; Non.n. vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis Math.10. et 1. Cor.12. Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto. Tertio Hyer.10. Scio Domine quia non est hominis via eius, nec viri est vt ambulet, et dirigat gressus suos; vbi non negat esse in potestate hominis ambulare cum sola Dei generali concausatione; sed negat esse in hominis potestate rectè ambulare, vt videlicet dirigat gressus suos ad finem, quem omnes quærimus, scilicet gloriam æternam. Vnde Psal.36. A Domino gressus hominis diriguntur, ideò agnoscens Dauid infirmitatem suam, petit adiutorium à Domino Psalm.16. Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea, et Psal.118. Gressus meos dirige secundum eloquium tuũ, et non dominetur mei omnis iniustitia. Quarto Hyer.17. Sana me Domine et sanabor, saluum

me fac et saluus ero, quoniam laus mea es tu. Quinto Osæ 13. Perditio tua ex te Israel, tantummodo ex me adiutorium tuum; et hæc sunt expressa in testamento veteri; in nouo autem facit primo Ioan. 15. Sine me (inquit Christus) nihil potestis facere, et alibi Ioan. 6. Nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum. Secundo Math. 6. Adueniat regnum tuum et infra, et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo; quod si fieri posset solo nostro libero arbitrio, frustra fieret talis petitio. Tertio Rom. 8. Quos iustificauit, hos et magnificauit; vbi iustificatio est à Deo, non autem à nobis. Quarto Rom. 10. Neque volentis, neque currentis, sed Dei est miserentis. Quinto 1. Cor. 3. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Sexto 2. Cor. 9. Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, vt in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum. Septimo 2. Cor. 12. Sufficit tibi gratia mea, non dixit Dñs Paulo, tu ipse sufficis, sed dixit tibi sufficit gratia mea. Octauo ad Ephes. 2. Gratia .n. estis saluati per fidem, et hoc ex vobis. Dei .n. donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Nono Phil. 2. Deus est .n. qui operatur in nobis velle, et perficere pro bona voluntate; vbi notatur, q̃ gratia Dei est necessaria non solum ad bonum aliquod incipiendum; sed etiam, vt possimus in bono in-

cepto

cepto perseuerare. Decimo ad Tit.3. Apparuit benignitas et humanitas Saluatoris nostri Dei, qui non ex operibus iustitiæ, quę fecimus nos; sed secundum misericordiã suã saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, et renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè per Iesum Christum Saluatorem nostrum, vt iustificati gratia ipsius, hęredes simus secundum spem vitę æternę; cuiuslibet igitur boni initium, eiusque perseuerantia, pendet à diuina gratia, non autem ex solo libero arbitrio nostro; Vndè Deut.12. Offeretis in loco illo, quem Dominus elegerit holocausta, decimas, et primitias manuum vestrarum; vbi iuxta moralem intelligentiam primitias, et decimas Domino offerre tenemur; quia boni initium, et illius complementum (quod est in obseruantia decem mandatorũ Dei) Domino sunt tribuenda, quia illa in nobis et per nos operatur: Vltra authoritates veteris testamenti et noui adest vltimo loco definitio Ecclesiæ Concil. Mileu. cap.4. et Concil. Trid. sess.6. Can.1. et seq. Non obst. quod dicunt. Si ergo non est homini liberum, præcepta omnia adimplere, et peccata omnia vitare, cum non vitat non peccat, quia hoc ipsum vitare non poterat; Nam Resp. hanc esse nostri arbitrij potestatem, vt Deo monenti consentiat, et Deo cooperanti cooperetur. Deus autem nunquam se ipsum nobis negat, immo semper paratus est, vt nos excitet et adiuuet, Paulus namque ait 1.Cor.10. Fidelis est

Deus,

Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis; inde ergo homo culpatur, non quia solus non facit, cum hoc esset illi impossibile, sed quia Deum monentem non audit, ad eius vocem non excitatur, illi vocanti non respondet; nam de hac re quæritur Dominus de peccatoribus dicens Prou.cap.1.Vocaui et renuistis, et extendi manum meam, et non fuit qui me aspiceret. Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis id quod timebatis, aduenerit. Non obst.secundo si Deus omne bonum, quod est in nobis operatur, nullum ergo erit nostrũ meritum, nulla nostra merces: nam Resp.quod si nostrum arbitrium se solo omnia bona operari potest, nulla gloria Deo de his esset reddenda, quod non est dicendum; nam Psalm.113. Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam, et Psal.5. Gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum, et Paul.1.Cor.7. Qui gloriatur in Domino glorietur; ipse.n.dat nobis pacem, nos autem illi gloriam Ioan.14. et Luc.2. secundo Resp. quod nostrum arbitrium liberum, citra Dei præuentionem, monitionem, et cooperationem non potest aggredi aliquod opus verè bonum: cùm tamen monitum fuerit à Deo, potest Deo monenti obedire: duo igitur concurrunt, monitio Dei, et obedientia nostra Paul.1.Cor.3. Dei.n. coadiutores sumus, et Esa.26. Omnia opera nostra

ſtra operatus es in nobis Domine. Tertio non obſt. ſi poteſt liberum noſtrum arbitrium de bono in malum corruere, quare non etiam poterit de malo ad bonum reſurgere? Nam Reſp. quod non tam facile quis poteſt exire de fouea, quàm facilè in eam poteſt labi. Ita etiam quamuis ſola voluntate in foueam peccati quis cadat, non tamen inde ſola voluntate ſine Dei gratia cũ adiuuante exire poteſt: nam licèt per peccatum non perdamus liberum arbitrium, perdimus tñ per peccatũ gratiã diuinã, cuius auxilio liberum noſtrum arbitrium bonum poterat operari, qua ſublata amplius non poteſt bonum operari, quod ad vitam perducat æternam Turrianus lib. 4. cap. 2. Echius tit. 31. de liber. arbit. De libero arbitrio tractat S. Thom. 1. p. q. 83. doct. com. 2. ſent. diſt. 24. et ſeq.

Secunda hæreſis eſt Iouiniani, quæ docet Gratiam in baptiſmo ſemel receptam, poſtmodum amitti non poſſe, quam hæreſim ſequutus eſt Lutherus.

Contra facit primo ratio: ſi Deus in Angelis ſuis reperit prauitatem, quanto magis in his qui habitant domos luteas? Si in cœlo ruina, quanto magis in terra. Secundo Deus creauit hominem rectum et tamen comedit de fructu ligni vetiti Geneſ. 4. Loth in Sodoma iuſtus inuenitur, et poſt modicum tempus ebrietatem paſſus eſt, Dauid eligitur in regem, et à Samuele ex præcepto Dei vngitur; poſtea tamen homicidium, et adulterium committit 1. Reg. 16.

Salo-

Salomon fuit à Domino prius dilectus, qui tamen postea carnalis, et Idolatra fuit 2. Reg. 11. Tertio Ioan. 13. Vos mundi estis, sed non omnes; aut qui mundi erant, postea relicto magistro omnes fugerunt, et scandalum passi sunt; et Petrus ter Magistrum negat; Quarto si baptizatus non potest peccare, frustra quotidie cantat Ecclesia Dimitte nobis debita nostra, et iterum Et nos inducas in tentationem. Quinto 1. Cor. 9. Timeo ne sicut serpens decepit Euam astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri à simplicitate, quæ est in Christo. Sexto 1. Corint. 10. Et qui sibi videtur stare, uideat ne cadat, et Galat. 5. reprehendit, quòd à recta via discesserint, dicens Currebatis bene, quis vos impediuit veritati obedire? Septimo Apoc. 2. Scio opera tua, et laborem et patientiam tuam, et quia substinuisti propter nomen meum, et non defecisti, sed habeo aduersus te, quod charitatem tuam primam reliquisti. Octauo et vltimo adest definitio Ecclesiæ Concil. Mileuit. cap. 6. et Conc. Trid. sess. 6. Can. 23. Non obst. primo quod dicunt 1. Ioan. 3. Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit; nam Resp. quòd non est ita intelligendum, vt putant hæretici; nam statim subiunxit, causam eius quod dixerat reddens, Quoniam (inquit) semen ipsius in eo manet; semen dixit gratiam, aut charitatem, per quam Filij Dei efficimur: causa ergo quare qui ex Deo est, non peccat, quia semen Dei, idest gratia in eo manet: non est .n.

possi-

possibile, vt quis in gratia existat, et peccet: illa .n. duo ad idem tempus referenda sunt, vt simul coherere non possint, videlicet in gratia esse, et peccare. Nam si ad diuersa tempora referas, vt qui semel in gratia manserit in posterum peccare non possit, tunc faceres Ioannem secum pugnantē: nam in eadem Epistola prius dixerat Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est, et iterum Filioli mei hęc scribo vobis, vt non peccetis. Secundo non obst. Math. 7. ibi Non potest arbor bona fructus malos facere; nam Resp. quod tam diù nec arbor bona malos fructus facit, nec mala bonos, quam diù vel in bonitate sua, vel in malitia perseuerat. Non obst. tertio 1. Cor. 13. ibi Charitas nunquam excidit; nam Resp. quod per hoc Paulus non negat charitatem semel habitam amitti posse in hoc seculo, sed docet charitatem, quam in hoc seculo habuerimus, in futuro seculo non excidere, quemadmodum de fide docet, quam in alia vita succedente clara visione amittimus.

Tertia est hęresis impij Martini Lutheri, qui docet, Omnem hominem iustum scire se esse in gratia, et esse certum de sua iustitia: ista assertio duas in se continet manifestas hæreses.

Prima est, quę asserit, Omnem hominem iustum esse certum de sua iustificatione, certitudine fidei Catholicę.

Altera hæresis est, quæ asserit, Omnem hominem iustum esse obligatum ad certò et firmiter

miter credendum, se per Dei meritum esse gratiam consequutum.

Pro confutanda hac impia opinione: notandum est primo quod certitudo est firmitas intellectus in iudicio, quod de illa refacit, quæ est triplex: nam quædam est euidentiæ; quędã fidei catholicę; tertia fidei humanæ, quę dicitur certitudo moralis, seu probabilis. Certitudo euidentię est firmitas potentiæ cognitiuę in iudicio suo, causata ab euidentia eiusdem iudicij, et assensus. Certitudo autem fidei catholicæ est firmitas intellectus circa suum obiectum, quod est omne reuelatum à Deo; quam habet quisque verè fidelis, aliàs si dubitat adeò vt in oppositam partem animũ flectat, ita vt in vtranque partem fluctuet, et in nullã illarũ quiescat, illã amittit, vndè dr Dubius in fide infidelis est c. 1. de hæreticis. Tertia est certitudo fidei humanæ, quę est firmitas potentię cognitiuę circa suũ obiectũ, causata à pia voluntatis affectione, aut ratione probabili; quę differt à duabus primis per hoc, quod nulli illarum duarum põt ad esse falsitas, nec qui aliquam illarum habuerit potest per illam errare, aut decipi, quia sępè est circa falsa, et sępè illam habentes errant; nam non pendet ex certitudine obiecti, sed ex modo solum tendendi in obiectum, qui quoniam vllam, aut leuissimam habet dubitationem admixtam, ideo dicitur esse certus, quamuis res ipsa, circa quam versatur, non sit certa.

Contra facit primo, quæ dixi supra de fide

hæresi.

hæresi.2. Secundo facit ratio; quia si absque bonis operibus non potest esse in se certa vocatio, et electio; ergo nullus, qui non est certus de bona opera, et nulla mala feciſſet, poterit esse certus de sua vocatione. Quod absque operibus bonis non sit certa vocatio docet Petrus 2.Epist.cap.1. Qui nos admonet satagere, vt per bona opera certam nostram vocationem, et electionem faciamus; verum licèt in se sint certa, non tamen sunt certa quo ad nos, hoc est nō sumus certi de illis, quia nescimus an opera nostra sint bona, et Deo grata: similiter nullus est certus se nulla mala feciſſe, cum possit homo culpabiliter ignorare, se aliquid omisisse, et aliquid egisse, quod sub interminatione gehennæ facere vel omittere tenebatur, vndè Psalm.18. Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me: occulta peccata vocat ea, quæ homo ignorat esse peccata, vndè Paul.1.Cor.4. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Tertio facit ratio; si omnis iustus certus est de sua gratia, quam habet, ergo omnis iustus certus erit se gloriam æternam habiturum, cum Dominus dixerit Math.25. Ibunt iusti in vitam æternam; sed consequens est falsum, quia nullus est certus se gloriam æternam habiturum, vt dicam infra de prædestinatione, ergò et consequens erit falsum. Quarto si homo certus esset se gratiam habere, frustra Deus aliquibus in particulari reuelasset suorum omnium peccatorum remissionem; nam de Maria Magd.

dixit

dixit Luc. 7. Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum, et Paralitico Math 9. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua, et alij Paralitico Ioan. 5. Ecce iam sanus factus es, noli amplius peccare, ne deterius aliquid tibi contingat, et ad Zachęum Luc. 19. Hodiè salus domui huic facta est, eo quod et ipse sit filius Abraæ; et mulieri sanguinis fluxum passæ Mathe. 9. Confide filia fides tua te saluam fecit; ꝙ frustra factum esse non est dicendum, cũ Deus et natura nihil faciant frustra. Quinto facit ratio, quia si homo certus esset se esse in gratia, vtique insuperbiret, et esset occasio homini desidiæ, somnolentiæ, et ociositatis, vt inquit Greg. super Iob cap. 9. vltra prædictas rationes adsunt testimonia scripturæ. Primo Eccl. 9. Nemo scit, an odio vel amore dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta; qui tamen locus intelligitur quòd nemo scire potest ex se, an sit à Deo electus, an non; sed omnia hęc in futurum seruantur incerta vsque in diem iudicij, in quo illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium. Secundo Iob. 9. ibi Si venerit ad me, non videbo eum; si abierit non intelligam; vbi sunt verba intelligenda de Aduentu Dei in animam hominis per gratiæ suæ infusionem, de quo aduentu dicitur Ioan. 14. Si quis diligit me sermones meos seruabit, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus, et ita interpretatur Greg. super 1. Iob qui Iob in d. cap. 9. dicit Si habuero

quip-

quippiam iustum non respondebo; sed meum iudicem deprecabor: et infra: Et cum inuocantem exaudierit me, non credo, quod audierit vocem meam, et infra: Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me; si innocentem ostendero, prauum me comprobabit, etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, et infra; Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti, et infra; Si lotus fuero aquis niuis, et fulserint, uelut mundissimæ manus meæ; tamen sordibus intinget me. i. vt B. Greg. sordidum me declarabis, et sordidum me esse manifestè ostendes. Tertio idem Iob. 14. Siue nobiles fuerint filij eius, siue ignobiles, non intelligit, vbi filiorum nomine opera intelligit, sic intellexit Paulus 1. Timot. 2. quia saluabitur per filiorū generationem, ita Greg. d. cap. 14. Nobiles sunt filij recta opera; ignobiles autem peruersa. Quarto Psalm. 2. Seruite Domino in timore, et exultate ei cum tremore. Quinto Dauid Psal. 18. Delicta quis intelligit? vbi probatur quod nullus scit omnia delicta sua; aliqua tamen intelligi possunt Psal. 50. ibi Quoniam iniquitatem meam ego cognosco; et peccatum meum contra me est semper, et Psal. 31. Delictum meum cognitum tibi feci. Sexto Hyer. 17. Prauum est cor hominis, et inscrutabile, et quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor et probans renes. Si ergo homo non potest perscrutari cor suum, ergo non potest certò cognoscere se esse in gratia,

cum multa posſint eſſe in corde noſtro abſcondita, quę ſufficiant ad impediendum gratiam. Septimo Daniel 4. Peccata tua eleemoſynis redime, et iniquitates tuas miſericordijs pauperum: forſitan ignoſcet Deus delictis tuis; vbi dictio forſitan denotat dubitationem, non quidem ex parte Dei, qui miſericors eſt, ſed ex imperfectione operum noſtrorũ, vndè Ioel exhortans Dei populũ, vt conuertat ſe in toto corde ad Dominum, quia benignus, et patiens eſt ait; Quis ſcit ſi conuertatur, et ignoſcat, et relinquat poſt ſe benedictionem? ſimiliter Niniuitæ ad prædicationem Ionæ ſtatuentes pœnitentiã peccatorum agere, et aliquam pro illis ſatisfactionem reddere dixerunt: Quis ſcit ſi conuertatur et ignoſcat Deus? et reuertatur à furore iręſuæ, et non peribimus? et Act. Apoſt. 8. Petrus dixit Simoni Mago, Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, et roga Deum, ſi fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis. Octauo 1. Corint. 4. ibi Mihi autem pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die, ſed neque me ipſum iudico. Nihil .n. mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum; qui autem iudicat me Dominus eſt, itaque nolite antè tempus iudicare, quo ad vſque veniat Dominus, qui et illuminabit abſcondita tenebrarum, et manifeſtabit conſilia cordium, et tunc laus erit vnicuique à Deo. Nono 2. Cor. 10. Non.n. qui ſe ipſum cõmendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat; vndè falſum eſt, quod

dicit

dicit Lutherus: Crede te absolutum, et eris absolutus. Decimo 2. Corin. 13. Vosmetipsos tentate, si estis in fide, ipsi vos probate, quod si essent certi de iustificatione, non esset vt tentarent semetipsos. Vndecimo ad Galat. 6. Si quis existimet aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit; vltra prædictas authoritates sacræ scripturę adest definitio cōmunis doctorum Cyprian. serm. de eleemosyna Hier. super cap. 3. Hyer. Aug. super Psalm. 50. Vers. Incerta, et occulta sapientię tuę manifestasti mihi, et in lib. 83. q. in quęst. 58. Greg. in Epistol. ad Greg. Aug. libr. 6. Registri cap. 186. Isid. lib. 2. de summo bono cap. 13. Gerson in tract. de signis bonis, ac malis 4. p. Alex. de Ales 3. p. summę quęstio. 27. S. Bonau. 1. sent. dist. 17. 1. p. q. 3. S. Thom. 1. 2. q. 112. art. 5. Riccard. 1. sent. dist. 1. art. 2. quęst. 5. Durand. 1. sent. distin. 17. quęst. 4. Gabriel 2. sent. distin. 27. vltimo dubio Theoph. 1. Cor. 4. Hier. lib. 2. Dialog. Aug. super Psal. 41. ver. Abyssus Abyssum inuocat, Chrisost. Homil. 11. super 1. ad Cor. Bernard. in Epist. 42. Cassiod. super Psal. 2. ver. Seruite Domino in timore. Vltimo adest definitio Ecclesiæ cap. fin. de purg. Can. et Concil. Trid. sess. 6. cap. 9. Non obst. primo ad Roman. 8. ibi Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd Filij Dei sumus; nam Resp. quod non sumus certi, an illud testimonium sit à Spiritu sancto: nam non omnibus iustis datum est, vt sciant, quæ suggestiones fiunt à Spiritu sancto, et quę a spi

ritu malo. Vndè 1. Ioan. 4. Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus an ex Deo sint; sepæ. n. Angelus sathanę transfigurat se in Angelum Lucis 2. Cor. 11. Vndè cum quis scit certo habere spiritum à Deo, debet dici illum habere per specialem Dei reuelationem. Secundo non obst. quòd qui negant, certitudinem salutis haberi posse, excruciant, et excarnificant conscientias; quia ducunt illas in desperationem, dum semper illas dubitare faciunt. Resp. quòd non iubemus eos desperare. Non enim qui est incertus, desperat, quia est medium inter certitudinem et desperationem, videlicet probabilis quędam fides, aut opinio de sua iustificatione. Non obst. etiam, quod dicunt de symbolo dicente, Credo remissionem peccatorum; ex quibus verbis colligere volunt, quod quilibet à sacerdote absolutus teneatur credere remissa sibi esse peccata; nam Resp. quod fatemur, remissionem peccatorum dari per absolutionem sacerdotis, si adsint reliqua omnia, quæ sunt ad talem remissionem impetrandam necessaria. Nemo tamen potest certò scire illa omnia adesse; quia nemo potest certò scire, q se bene præparauit integrè scrutando conscientiam suam, vt de omnibus perfectè doleret; neque etiam potest sibi certò constare de intentione sacerdotis, quę semper est necessaria ad cuiuslibet sacramenti administrationem; et propter hanc causam adultus, qui ad baptismum accedit, quamuis certò sciat se dolere de peccatis;

tis; non tamen potest certò scire se esse in gratia; quia non potest illi certò constare de intentione baptizantis. Non obst. etiam 1. Cor. 2. ibi Nos autem non spiritum huiusmodi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis; nam Resp. quod Apostolus ibi loquitur de beneficijs communibus, quæ Deus toti generi humano concessit, qualia sunt redemptio, doctrina fidei, sacramenta, per quę possumus iustificari, quæ dona per donum fidei omnes iusti, omnesque fideles certò sciunt, quod patet per illa verba, quæ et loquimur non in doctis humanę sapientię verbis, sed in doctrina spiritus. Non obst. etiam, quod homo non possit Deo gratias agere, vt debet, pro beneficijs receptis, si illa non agnoscit; nam Resp. quod satis est ad reddendas gratias cognoscere illa dona per probabilem opinionem de illis habitam, et non est necessaria ad hoc certitudo fidei. Non obst. etiam 1. Ioan. 3. Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, et quicquid petierimus, accipiemus ab eo; quoniam mandata eius custodimus, et ea, quæ sunt placita coram Deo facimus: Nam Resp. quod ibi loquitur de fiducia, quæ longè distat à certitudine. Fiducia .n. pertinet; ad voluntatem; certitudo autem ad intellectum: ad habendum verò hanc fiduciam impetrandi à Deo, quę petierimus, satis est quędam probabilis persuasio, quod sumus Deo grati, et quæ placita sunt ei facimus,

quæ persuasio indè nascitur, quod mandata illius custodimus, et de nullo peccato accusat nos conscientia nostra. Non obst. etiam 1. Ioan. 3. ibi Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres; nam Resp. 1. quod illud argumentum procedit ex sensu mystico, qui parum validus est ad probandum aliquod dogma; peccatum .n. intelligere per nomen mortis, et gratiam per nomen vitę sensus est mysticus, qui malè huic loco conuenit, et est nimium ab illa litera alienus. Nam Ioannes illo loco de vera morte corporali loquebatur, et de vita æterna, ad quam iusti transferuntur, cum ex hoc mundo exeunt. Secundo Resp. verbum (scio) non significat notitiã euidentem, et certam, qualis est illa, quam habemus per Sylogismum demonstratiuum, aut per intuitionem alicuius rei præsentis; sępè enim scire dicimus ea, de quibus solum habemus fidem diuinam, aut fidem humanam, aut probabilem opinionem Act. 2. Certissimè sciat omnis domus Israel, quia et Dominum eum, et Christum fecit Deus hunc Iesum, quem vos crucifixistis, et 1. Ioan. 3. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est, et infra Scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se mãnentem; et ita intelligitur d. loco 1. Ioan. 3. Non obst. etiam ad Rom. 4. Ideò ex fide vt secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei qui ex lege est solum, sed et ei, qui

ex

ex fide est Abrahæ, qui est Pater omnium nostrum; ex quo loco arguit Melancton Paulum docuisse nos. Iustitiam esse ideò ex sola fide, vt possimus esse certi de remissione peccatorum nostrorum, quam Deus promisit: nam Resp. quod Paulus loquitur ibi de promissione incarnationis Filij Dei, non de promissione remissionis peccatorum: de qua etiam ad Galat.3. Abrahæ dictæ sunt promissiones, ita interpretatur Anselm.d.loco ad Rom.9. Nõ obst.2.Apocalip. Vincenti dabo Manna absconditum, et dabo illi calculum candidum, et in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit; nam Resp. quod verus sensus est illius textus, vt loquatur, non de gratia, aut iustificatione, sed de præmio cœlestis patriæ in futura vita recipiendo. Hosius Tit. de hæresibus nostri temporis lib.1.pag.201.

GRÆCI. LXIIII.

GRAECORVM recessum ab Ecclesia Romana fuisse bonum, hæresis est Direct. 2.p.quæst.9.

HÆRETICVS. LXV.

FVERVNT quidam adeò dementes, vt dicerent, Omnes hæreticos benè sentire, quine dum dementes, verum potius Dæmones dici possunt, cõtra hanc facit Cath.in princ.pag.11.

Secunda hæresis est, quæ docet Hæreticos non esse aliqua corporali pœna puniendos, de qua diximus supra in vlt. quæst.

Tertia hæresis est, quæ docet Omnem illum esse censendum hæreticum, qui quouis modo lethaliter peccat; Ad hunc errorem pertinet, quod impius Lutherus inquit, per peccatum mortale quodlibet amitti fidem, de quo dixi supra ver. Fides.

Contra facit primo ratio, quia peccatum fit in omittendo, ex quo hæreticus dici non potest cum nihil egisse, aut docuisse constet. Secundo contingit sæpè, vt aliquis peccet mortaliter, et tamen certo sciat peccare, et per consequens non est hæreticus. Tertio si omnis peccator esset hæreticus oporteret omnem peccatorem post primam, et secundam correptionem deuitare Paul. ad Tit. 3. aliter tamẽ dicitur Math. 18. qui secundò peccantem non vitandum dixit, sed Ecclesiæ denunciandum.

Quarta hæresis est, quæ dicit Hæreticos redeuntes non esse recipiendos Direct. p. 2. q. 6. n. 55. cap. fin. ver. Luciferani 24. q. 3.

HOMO. LXVI.

HOMINES per vires naturę absque gratia posse euitare peccata, hæresis est Direct. p. 2. q. 4.

Idem dicere, quòd peccator quacunq; hora voluerit possit effici amicus Dei ibid. 2. p. q. 9.

Idem

Idem si dicat Omnem hominem obligari ad religionem, vel ad matrimonium ibidem 2.p. q.9.art.76.

Idem dicere Hominem non licere damnare ad mortem quacunque causa p.2.q.14.

HORÆ CANONICÆ. LXVII.

INTER alios errores Vualdensium, et Ioannis Vuicleph vnus est, qui docet In horis canonicis cantandis, dicendisque frustra tempus teri, dicentes Liberum esse orare, quando alicui placuerit; alioquin repugnaret libertati christianæ; tanquã si libertas christiana in hoc sita esset, vt nulli humanæ legi obligetur: Ecclesia enim habet hanc potestatem instituendi leges, quibus omnes christianos obliget: in hoc enim est sita libertas christiana, vt primò per baptismum homo liberetur à seruitute peccati, quæ maxima est seruitus. Deindè liberi simus à iugo seruitutis legis Mosaycę: in quibus duobus vera christiana libertas collocatur, et hæc est libertas, qua Christus nos liberauit Paulus ad Galat.4.

Contra facit primo, Qui Ecclesiam audit Christum eius sponsum audit, et Melior est obedientia quàm victima 1.Reg.15. Secundo optima ratione factum est, vt certis temporibus oremus, quia omnia tempus habent, et suis spatijs transeunt vniuersa sub cœlo: et omnia honestè et secundum ordinem fiunt 1. Cor.14.

Com-

si omnia, ergo et oratio. Tertio Daniel 6. ibi Daniel ingressus est domum suam, et fenestris apertis in suo cenaculo contra Hierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, et adorabat, confitebaturq; coram Deo suo, sicut et ante facere consueuerat; ecce vides Danielem tribus temporibus Dominum orantem. Quarto Act. 3. vbi Petrus, et Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. Quinto Act. 10. Petrus ascendit in superiora, vt oraret circa horam sextam. Sexto Psal. 118. Media nocte surgebam ad confitendum tibi, et iterum Memor fui nocte nominis tui Domine, et Psal. 6. Lauabo per singulas noctes lectum meum, et lacrymis meis stratum meum rigabo, et Psalm. 133. In noctibus extollite manus vestras in sancta, et benedicite Dominum: et Act. 16. Paulus et Sylas media nocte adorantes laudabant Deum, et audiebant eos, qui in custodia erant etc. et Luc. 12. Beatus seruus ille, quem cum venerit Dominus eius inuenerit vigilantem, et Psal. 5. Quoniam ad te orabo Domine, mane exaudies vocem meam: mane astabo tibi, et contemplabor te. Septimo Psal. 118. Septies in die laudem dixi tibi. Octauo adest definitio Ecclesiæ Concil. Agat. cap. 30. Echius tit. 32. de oratione et horis canonicis, Hosius in expositione dominicę orationis cap. 59.

HOSTIA

HOSTIA. LXVIII.

HOSTIA consecrata si cadat in lutum desinere in ea esse Corpus Christi, si à bruto, seu ab homine sumatur, hæresis est Direct. 2. p. quæstio. 10.

HVMANVM. LXIX

HVMANVM esse nobilius quàm Angelicum hæresis est Direct. 2. p. q. 9. art. 33.

Item hæresis est dicere Humanam Christi Naturam in omnibus æquari Deo, ibidem quæstion. 11.

IDOLATRIA. LXX.

NONNVLLI fuerunt, qui christiani nomen profesi sunt, qui Idolos coluerunt.

Contra facit primo Math. 4. vbi Dominus aduersus Dæmonem hæreticorum parentem citauit, Dominum (inquit) Deum tuum adorabis, et illi soli seruies. Secundo Deut. 17. Vadant, et seruiant Dijs alienis, et adorent eos, Solem et Lunã, et omnem militiã cœli, quę non præcepi etc. Tertio Esa. 2. Proiecisti populum tuum domus Iacob, quia repleti sunt, vt olim, et augures habuerunt vt Philistijn et infra. Et repleta est terra eius Idolis. Opus manuum suarum adorauerunt, quod fecerunt digiti eorum.

rum. Quarto Exod.32. Multa hominum millia ex filijs Israel morte punita sunt, eo quod adorauerunt vitulum aureum. Quinto Daniel 3. Tres pueri quia noluerunt adorare statuam, à Domino præmiantur. Sexto Apocal.2.Ioan. cum voluisset adorare Angelum prohibuit ne illud faceret dicens, vide ne feceris: dixi in summa pec.cap.p.1.q.35.tit.2. et dicetur inferius suo loco.

IEIVNIVM. LXXI.

PRIMA hæresis est, Iouiniani, Vualdensiũ, et Vuiclephitarum et Lutheranorum, quæ ait, Ieiunium nullius esse meriti apud Deum.

Contra facit primo ratio, quia ieiunium est pars temperantiæ, et per consequens virtus, et consequenter meritorium, cum fit propter Deum. Secundo quia illud adiuuat ad plures alias virtutes; parat .n. viam castitatis; quid enim fecit peccare Sodomam nisi saturitas panis? Ezec.16. Venter mero æstuans, facile despumat in libidinem; parat etiam viam ad orandum Exod.32. Cum enim manducasset, et bibisset populus surrexit non orare, sed ludere; non adorare Deum, sed vitulum aureum. Tertio Daniel 3. Tres pueri ieiuni ingredientes illęsi egressi sunt de fornace. Quarto Daniel 10 post ieiunium trium hebdomadarum idem Daniel vidit visionem, in qua sibi dictum est ab Angelo: Ex die primo, quo posuisti cor tuum

ad

ad intelligendum vt affligeres in conſpectu Dei tui, exaudita ſunt verba tua, et ego veni propter ſermones tuos. Quomodo ergo non habet meritum ieiunium, quod meretur exaudiționem? Quinto Helias ieiunus erat et ad eius orationem tribus annis, et ſex menſibus ros pluuiæ non cecidit ſuper terram 3.Reg.17. Ieiunus iterum orat et pluuias à Deo impetrat 1.Reg. 19. In nouo autem teſtamento ſunt plura teſtimonia ieiunij. Primo Luc.2. Anna prophetiſſa laudatur, quia non diſcedebat de templo ieiunijs, et obſecrationibus ſeruiens die ac nocte. Secundo Math.17. Hoc genus Dęmoniorum non eijcitur, niſi in oratione, et ieiunio. Tertio Math.6. Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, et faciem tuã laua, ne videaris hominibus ieiunans; ſed Patri tuo, qui eſt in abſcondito, et Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi; nunquã autem redditur prędmium, niſi pro merito. Vltimo adeſt definitio Eccleſiæ Concil. Gangrenſe cap.19. et Concil. Telenſe; Non obſt. primo quod obijciunt 1.Timot.4. ibi Corporalis exercitatio ad modicum vtilis eſt, pietas autem ad omnia vtilis eſt, promiſsionẽ habens vitæ, quæ nunc eſt et futuræ; nam Reſp. quod ieiunium non eſt propriè exercitatio corporalis, ſed ſpiritualis ſecundum Theophil.d.loco; ſecundo Reſp. quod Paulus non negat abſolutè corporalem exercitationem eſſe vtilem, ſed illam dicit ad modicum vtilem, ſi non habet pietatem ſibi coniunctam, ita interpre-

terpretatur hunc locum Ambrosius. Secundo non obst. Esa.58. Nunquid tale est ieiunium quod elegi, per diem affligere hominem animã suam? et infra: Nonne hoc est magis ieiunium quod elegi? dissolue colligationes impietatis etc. nam Resp. quod apertissimè probatur ieiunium, et abstinentia à peccatis, vndè hęc obiectio eodem modo, vt prima, reijcitur; solum enim ieiuniũ si cętera pietatis opera desint, nullius est momenti, vnde ibidem dicitur Nolite ieiunare vsque ad hanc diem, vt audiatur in excelso clamor vester: contra hanc facit Cathec. Tit. de oratione pag.520.

Secunda hæresis est, quæ docet Ieiunia non debere institui pro certo aliquo, et statuto tempore, sed quod quilibet ieiunet cum voluerit.

Huius hæresis Author est Aerius, quem sequutus est Erasmus.

Contra facit primo ratio, quia cum ieiunium sit meritorium, sequitur quòd Ecclesia possit statuere illud. Secundo Maximus Episcopus dicit, Ieiunium Quadragesimæ à Christo fuisse institutum: Theophil. autem Alexandrinus dicit, Hoc ieiunium Quadragesimæ ab Apostolis institutum esse, Idem Ignatius Martyr in Epistol. 4. ad Phil. Tertio est definitio Ecclesiæ Concil. Brac. 1. cap. 16. et in Collect. Græc. Synod. Martini cap. 50. et Concil. Tolet. 8. c. 8. et Concil. Gangarense cap. 19. quod autem asserit Erasmus melius esse ieiunare sponte, quàm

ex

ex legis præcepto, conuincitur falsum per illud 1. Reg. 15. Melior est obedientia, quàm victima: melior ergo quàm ieiunium, et meritò obedientia præfertur ieiunio; quoniam ieiunium ad temperantiam pertinet, obedientia vero ad iustitiam, quæ reddit vnicuiq; quod suum est. Per obedientiam si quidem superiori præstamus, quod debemus, qui sponte ieiunat solum ieiunij meritum habet, qui verò legis impulsu ieiunat, et ideò ieiunat, vt legi obediat, hic vltra ieiunij rationem habet etiam meritum obedientiæ. Meliora .n. sunt opera, quæ ex obligatione præcepti fiunt, quàm quæ ex proprio arbitrio; neque per hoc dicitur ieiunare ex metu licèt non ieiunasset, nisi lex præciperet; nam illud ex obedientia agit, ex qua non sequitur necessariò metus pœnę; nam aliàs Legislator peccaret, inducens ad metum seruilem, et licèt fiat cum aliqua tristitia, non per hoc retardatur meritum, dummodo fiat alacri animo, et non renitenti, sicuti tristitia Christi non impediuit meritum passionis eius; non obst. quòd Dominus prohibuerit ieiunia pharisaica Esa. 58. ibi Nolite ieiunare vsque ad hanc diem, vt audiatur in excelso clamor vester; nam Resp. quod ibi non prohibuit ieiunium, sed prohibuit eo modo faciendum, nempè cum iactantia, et cum alijs peccatis, quæ faciebant in die ieiunij. Turrian. lib. 5, cap. 6. et seq. Echius tit. 14. de fest. et ieiunijs: tot. tit. de obseru. ieiunij, qui renouatur in Concil. Trident. sess. 25. Tit. de delectu

cibo-

ciborum: Hosius Tit. de cæremonijs cap.91. pag.172.

Tertia hæresis est Begardorum et Beguinarum dicentium Hominem non obligari ad ieiunia Ecclesiastica, cum ad statum perfectionis peruenerit.

Contra facit primo, quod supra dictum est in 2. hæresi huius. Secundo facit ad Galat.3. Caro concupiscit aduersus spiritum et spiritus aduersus carnem: hæc .n. sibi inuicem aduersantur, vt non quæcunque vultis illa faciatis, nec nõ soli Virgini Dei Matri hoc priuilegium tribuitur, vt talem pacem in se habuerit. Tertio 1.Cor.9. Ubi Paulus vas electionis, raptus vsque ad tertium cœlum vidit Arcana Dei, quę non licet homini loqui, inquit Castigo corpus meum, et in seruitutem redigo. Quarto Mathe.3. Ioannes Baptista vir perfectus castigat corpus suum, à vino et sicera abstinens, carnes non comedens, sed cibus eius loquustæ, et mel syluestre. Quinto Saluator noster nobis relinquens exemplum ieiunauit Math.6. Quamdiu .n. hic sumus, inimicos domi nostræ habemus Ios.15. Sexto definitio Ecclesiæ clem. ad nostram de hæret. de hoc dixi in summa pec. cap.p.2.tit.7.q.17.

IMAGO. LXXII.

FVIT olim prima hæresis Fœliciani, quam hodie moderni Valdenses, et alij hæretici ab

ab inferis reuocarunt, quæ docet imagines esse tollendas ab Ecclesia, dicens Idolatriam esse imagines in templis habere, siue illę sint Christi siue sancti hominis cuiuscunque: contra hanc facit Cathec. in 1. præc. pag. 393. et seq.

Contra facit primo Num. 21. Fac serpentem, et pone eum pro signo; qui percussus aspexerit eum viuet. Fecit ergo Moyses serpentem æneum, et posuit eum pro signo: quē cum percussi aspicerent sanabantur. Secundo Exod. 15. Duos quoque Cherubin aureos, et productiles facies ex vtraque parte oraculi; Cherubin vnus sit in latere vno, alter in altero. Tertio 3. Reg. 6. Salomon in templo fecit Cherubin, et palmas, et malogranata, neque in harum rerum pictura, aut sculptura reprehensus fuit. Quarto facit ratio; si licuit serpentem exaltare coram populo ad Idolatriam prono, vt ex illius aspectu filij Israel à serpentium morsibus liberarentur, cur non licebit nunc Christum in Cruce exaltatum depingere, vt ex illius imaginis aspectu reducamus ad memoriam immensa beneficia, quæ generi humano in cruce moriēs exhibuit? si vmbram licuit pingere, cur non licebit pingere corpora? Quinto adest definitio Ecclesię Concil. Nicen. 2. et Concil. Francofordensi: non obst. Exod. 20. et Leuit. 5. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, et in terra deorsum, neque eorum quæ sunt in aquis sub terra; nam Resp. illam prohibitionem fuisse factam causa euitandi

tandi idolatriam, non vt non habeantur, vt fiant absolutè; sed vt non fiant ad colendum eam, quod patet quia antea Dominus dixerat Non habebis Deos coram me; deinde Non adorabis ea, neque coles: imagines autem non colimus tanquam Deum, quoniam nostra adoratio non ad illas, sed ad earum exempla refertur; eodem modo respondemus ad illud Ioan. 4. ibi Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu, et veritate. Nam et pater tales quærit, qui adorent eum in spiritu; fatemur quidem hoc, sed oportet aliquibus exterioribus rebus intellectum excitare, vt per earum aspectum ad Dei memoriam reducatur, quod fit per imagines. Hosius lib. de hæresibus nostri temporis in principio Echius tit. 16. de imaginibus, Turrianus lib. 1. cap. 25. Concil. Trident. sess. 25. tit. de inuocatione et veneratione etc. et in Bulla Pij 4. de prof. ess. fidei.

Secunda hæresis est, quę docet Imaginē Dei, ad quam homo factus est, à Deo esse corpori impressam, et non animæ.

Contra facit primo ratio, quia in Deo sunt omnia hæc, omnipotentia, sapientia, et bonitas; in anima autem nostra sunt tres potentiæ, Intellectus, qui conrespondet omnipotentiæ, memoria sapientiæ, voluntas bonitati; Præterea, si imago Dei est in corpore, non autem in anima; oporteret, quod animalia homini similia essent ad imaginem Dei, quod est absurdum, et contra 1. Genes. ibi Faciamus hominem ad imagi-

imaginem et similitudinem nostram; de nullo autem animali dictum est, quod factum sit ad imaginem Dei.

IMPECCABILIS. LXXIII.

IMPECCABILEM reddi posse hominem in hac vita, hęresis est Direct. 2. p. q. 7.

INDVLGENTIA. LXXIIII.

INDVLGENTIAS, quas Pontifices peccatoribus præstant, condonando videlicet illis pœnam, ad cuius tollerantiam peccator obligatur, etiam remissa culpa, multi hæretici contemnunt, atque irrident, vt Vualdenses, Vuicleph. et Lutherani.

Contra hanc hæresim est determinatio Ecclesiæ in cap. cum ex eo de pœnit. et remiss. et in Concil. Constantiense sess. 8. et Concil. Trident. sess. 25. tit. de Indulgentijs, et in Bulla Pij 4. de prof. fidei. Contra quam hæresim plura scripsit Rossensis in opere contra Lutheri captiuitatem babilonicam, Tubertinus aduersus Lutherum, Echius in Enchir. aduers. Luther. cap. 24. qui optima ratione probat indulgentiarum vsum admodum esse vtilem, et necessarium in Ecclesia Dei. Quarum thesaurum sit ex superabundantia meritorum (quatenus satisfactoria) Christi et sanctorum: de superabundantia passionum Christi pro nobis dicitur 2.

Ioan.2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non nostris autem tantùm, sed totius mundi; de satisfactione sanctorum dicitur Iob.6. ibi Vtinam appenderẽtur peccata mea, quibus iram merui, et calamitas, quam patior in statera, quasi arena maris hæc grauior appareret, vbi plus passus est quàm pro peccatis suis debuerit pati: et Colos.1. Nunc .n. gaudeo in passionibus meis pro vobis, Hosius tit.de satisfactione cap.48.et lib.de hæresibus nostri temporis, pag.197.

INFERNVS. LXXV.

ALMERICVS, et Albanenses sentiere, non esse alias inferni pœnas, quàm illas, quas in hoc mundo experimur, et Almericus inquit, quòd qui habet peccatum mortale, illum dicit habere in se infernum, contra hanc facit Cathe. in 5.art.pag.72.

Contra facit primo Esa.vlt. Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur. Secundo Eccl.7. Vindicta carnis impij, ignis, et vermis. Tertio Iudit.16. Dabit ignem, et vermes in carnes eorum, vt vrantur, et sentiant vsque in sempiternum. Quarto Iob.30. Præstolabar lucem, et eruperunt tenebræ, et Iob. 38. Auferetur ab impijs lux. Quinto Psal.10. Pluet super peccatores laqueos; ignis, et sulphur etc. Sexto Apocal.14. Fumus tormentorum eorum ascendet in secula seculorum, et

Apocal.

Apocal.19. Viui missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis, et sulphuris.

Secunda hæresis Origenis docet Inferni pœnam non esse perpetuam.

Contra facit primo, quod dixi supra in proxima præcedenti hæresi. Secundo facit Mar.9. Si scandalizauerit te manus tua, abscinde illam; Bonum est tibi debilem introire in vitam; quam duas manus habentem, ire in gehennam, in ignē inextinguibilem, vbi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur etc. Secundo Mathe.25. Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus est Diabolo et Angelis eius.

Tertia hæresis est, quæ negat Christum ad inferos descendisse.

Contra hanc facit primo Eccl.24. Penetrabo omnes inferiores partes terræ, et inspiciam omnes dormientes, et illuminabo omnes sperantes in Domino. Secundo ad Ephes.4. Quod autē ascendit quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terræ? Tertio act.2. Quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni. Quarto Psal.15. Quoniam non derelinques animam meam in inferno; nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Quinto in Symbolo Apost. Descendit ad inferos. Sexto cap. firmiter de Summa Trin. et fide cathol.

INIMICVS. LXXVI.

GRAECORVM est error, qui asserunt Licitum esse decipere inimicum.

Contra facit primo Leuit. 19. Non mentiemini, nec decipiet vnusquisque proximum suum: vnusquisque enim est proximus, licèt sit inimicus. Secundo Luc. 10. vbi Samaritanus dicitur proximo Iudęo, qui tamen erant infensi Samaritani Iudęis. Tertio 1. Pet. 3. Non reddentes (inquit Petrus) malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes, quia in hoc vocati estis, vt benedictionem hæreditate possideatis. Quarto Paulus Rom. 12. Nulli malum pro malo reddentes. Quinto 1. Thess. 5. Videte ne quis malum pro malo alicui reddat, sed semper quod bonũ est sectemini inuicem, et in omnes. Quinto Math. 5. Audistis quia dictum est antiquis; diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum: Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, et orate pro persequentibus, et calumniantibus vos, vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super iustos, et iniustos, contra facit Cathech. in Tit. de oratione in 5. petitione.

INIV-

INIVRIA. LXXVII.

LVTHERI sententia est, Non licere christianis petere coram Iudice iniuriæ reparationem.

Contra hanc hæresim primo facit, quæ dixi supra ver. Bellum. Secundo facit ratio, si tibi licet iniuriam iniuria repellere, cur non licebit alij iniuriæ reparationem coram Iudice petere? Iustum est certè vt nemo sit Iudex in propria causa. Quapropter si licèt manibus proprijs iniuriam repellere; multò magis licebit per manum Iudicis iniuriam propulsare, aut iam illatę reparationem petere.

INOBEDIENS. LXXVIII.

INOBEDIENTEM præceptis Dei esse hæreticum censendum, est hæresis Director. 2. p. quæst. 10. hær. 9.

IOAN. BAPTISTA. LXXIX.

MANICHEI dixerunt Ioan. Baptistam prærcursorem Domini fuisse damnatum, eo quod non crediderit in Christum.

Contra facit Math. 11. vbi Ioan. Baptista laudatur in multis à Domino, deindè dixit Inter natos mulierum non surrexit maior Ioan. Baptista.

IVDAS. LXXX.

CAINI hæretici dixerunt Iudam fuisse diuinum, et scœlus illius beneficium existimarunt.

Contra facit primo Ioan.13. ibi Vos mundi estis, sed non omnes, sciebat.n. quisnam esset, qui traderet eum; propterea dixit, Non estis mundi omnes. Secundo Act.1. Viri fratres oportet impleri scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os Dauid de Iuda, qui fuit Dux eorum, qui comprehenderunt Iesum, et infra, Et quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, et suspensus crepuit medius. Tertio Luc.22. de Iuda loquens Verumtamen væ homini illi, per quem tradetur.

Item Iudæ desperationem tantum placuisse Christo, quantum Petri contritionem, heresis est Direct.2.p.q.10.hær.13.

IVDEX. LXXXI.

VVALDENSIVM error est, quo docent Nullum Iudicem posse damnare aliquem hominem ad pœnam aliquam.

Contra facit primo Exod.18. Constitue Iudices, qui populum iudicent omni tempore. Secundo Deut.16. Iudices et Magistri in omnibus portis tuis constituantur, vt iudicent populum iusto iudicio. Tertio Act.5. Petrus puniuit

niuit morte Ananiam, et Saphiram, quia fraudauerunt de precio agri uenditi. Quarto 1. Pet. 2. Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue regi quasi prœcellenti: siue Ducibus tanquam à Deo missis, ad vindictã malefactorum, laudem verò bonorum. Quinto ad Rom. 13. Si malum feceris time. Non enim sine causa gladium portat; Dei .n. Minister est, vindex in iram ei, qui malum agit; non obst. Math. 7. Nolite iudicare, et non iudicabimini; nam ibi nõ prohibuit omne iudicium præcipuè Iudicis, habentis potestatem, sed prohibet leue iudicium, absq; re maturè cognita prolatum, quod prohibetur, Ioan. 12. Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate; vbi leue iudicium prohibet, circũspectum autem præcipit.

IVDICIVM. LXXXII.

BORBORIANI, et quidam alij hæretici dixerunt Nullum esse futurum iudicium, vt hac occasione in quodlibet vitium traheret: de hac materia tractant doct. com. 4. sent. distin. 47. et seq.

Contra facit primo Math. 11. Dico vobis, et Tiro et Sydoni remissius erit in die iudicij, quàm vobis. Secundo Math. 12. Dico vobis quia terræ Sodomorum remissius erit in die iudicij, quàm tibi, et alibi Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, et condemna-

demnabunt eam. et alibi Regina Austri surget in iudicio cũ generatione ista, et condemnabit eam. Tertio Ioan. 5. Potestatem dedit filio iudicium facere; quia filius hominis est. Quarto Paulus ad Rom. 14. Omnes .n. stabimus ante tribunal Christi. Quinto 2. Cor. 5. Omnes nos manifestari oportet antè tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, pro vt gessit, siue bonum siue malum; Sexto in symbolo fidei Concil. Niceni; Indè uenturus est cum gloria iudicare viuos, et mortuos, contra hanc facit Cathech. in artic. 7. pag. 89.

Secunda hæresis est Albanensium dicentium Vniuersale iudicium iam factum esse, et nullum aliud amplius esse facturum.

Contra hanc facit primo, quod dixi in proxima præcedenti hæresi. Secundo Math. 24. vbi describitur aduentus Antichristi, deinde resurrectio generalis, et postea iudicium et tandem finis, et tunc elementa purificabunt̃ per ignem 2. Pet. 3. quæ cum facta non sint, sequitur nec iudicium vniuersale fuisse factum.

IVRAMENTVM. LXXXIII.

VALDENSES hunc errorem docuerunt Christianis esse interdictum iuramentum, sic vt nusquam iurare liceat.

Contra facit primo Deut. 6. Dominum Deũ tuum adorabis, et illi soli seruies, ac per nomen illius iurabis. Secundo Deut. 10. Dominum

tuum

tuum timebis, et illi soli seruies, ipsique adhærebis, iurabisque in nomine illius. Tertio iurauit Paulus ad Rom. 1. Testis est mihi Deus, quòd memoriam vestri facio semper in orationibus meis, et 2. Cor. 1. Ego autē testem Deum inuoco in animam meam, quòd parcens vobis non veni vltra Corinthum; et alibi Testis est mihi Deus quomodo cupiam omnes vos in visceribus Iesu Christi ad Phil. 1. Quarto facit ratio; quia iuramentum non est de se malum, sed bonum, quia per illud exhibeē reuerentia Deo, necnon testamur Deum omnia videre ipsumq; esse veracem, et non mentiri. Quinto adest definitio Ecclesiæ Concil. Ephes. et Concil. Constantiense, sess. 8. Non obst. Math. 5. Ego autem dico vobis non iurate omnino, neque per cœlum, quia Tronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum eius; neque per Hierosolymam, quia est ciuitas magni regis; neque per caput tuum iuraueris, quia non potes vnum capillum album facere, aut nigrum: sit autem sermo vester, est est, non non, vt non suo iudicio decidatis: nam Resp. quòd prohibetur iuramentum per elementa, ne tanquam numina quædam venerarentur, quoniam illud, per quod quis iurat, aut nimium diligit, aut veneratur; et sic non prohibetur iuramentum absolutè. Non obst. secundo quòd ibidem dicitur Sit sermo vester, est est, non non: quod autem abundantius his est, à malo est: nam Resp. à malo esse iuramentum; non autē malum esse, à

malo

malo inquam illius, cui iuratur, et propter quē iuratur. Malitia .n. incredulitatis eius, cui iuratur, est in causa, vt alius iuret: nam si ei crederet, non esset opus, vt dictum suum iuramento firmaret Aug. lib. de mendacio cap. 20. Similiter respondeti potest quod Dominus nō prohibet absolutè iuramentum; sed facilitatem iurandi, ne ex facilitate in consuetudinem, et ex consuetudine in periurium veniretur, vndè Eccl. 23. Iurationi ne assuescat os tuum; et iterum Sicut autem seruus flagellatus assiduè à liuore non minuitur; sic omnis iurans ac negocians à peccato non purgabitur: præterea Resp. quod autem abundantius his est, debet intelligi mendacium, et illud dicitur abundantius, quàm est est, non non, idest quàm veritas, et illud dicit à malo esse, id est à Demone, qui mendax est, et pater mendacij, ita Cromaticus lib. super 5. et 6. Mach. præterea Resp. illud esse consilium, non autem præceptum, Rupertus lib. 5. de glorificatione hominis in quinto, non iurare omnino est consilium, non iurare autem per cęlum et terram etc. est præceptum, ita vt si iurandum sit ex aliqua necessitate, tunc iuretur per Deum, et non per aliquam rem. Non obst. vlt. Iac. 5. Ante omnia fratres mei nolite iurare; nam Resp. quòd ibi prohibetur consuetudo iurandi, ne ex ea deueniatur in periurium, vt inquit Beda: Direct. 2. p. q. 8. q. 14. hær. 3. et 4. et q. 16. hær. 3. Hosius tit. de secundo præcepto cap. 78. Cathec. in 2. præc.

Alia

Alia est hæresis ex diametro superiori contraria, quæ dicit Periurium esse licitum, contra hoc dixi in Summa pec. cap.p.1. quæst.30. titul.6.

Huius hæresis Authores fuerunt Priscilliani stæ, Apostolici, et Flagellantes.

Contra facit primo Leuit.19. Non periurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui. Qui.n.peierat, nomen Dei polluit, quia Deum affert in testem mendacij. Secundo Sapien.14. Omnia commixta sunt, sanguis, homicidium, furtum, et fictio, corruptio, et infidelitas, turbatio, et periurium. Tertio 1.Tim.1. Paulus dicit, iusto non esse legem positam, sed impijs et peccatoribus, et sceleratis, postea subdit, vt mendacibus et periuris. Præterea Priscillianistæ dicebant, eis licere periurium ad occultandam eorum doctrinam, quibus Resp. aut eorum doctrina est contraria Euangelio, aut conformis: primo casu non essent dicendi christiani; secundo autem facerent contra Euangelium, quod docet prædicandum esse omni creaturæ Math. vltimo.

IVRISDICTIO. LXXXIIII.

IVRISDICTIONEM temporalem, seu ciuilem Ecclesiam non habere, hæresis est Turrianus lib.3.cap.11.et seq.

IVSTI-

IVSTIFICATIO. LXXXV.

PRIMA hæresis est Hominem suis viribus absque diuina gratia posse iustificari Conc. Trid. sess. 6. Can. 1. et seq.

Secunda dicens Opera omnia, quæ fiunt ante iustificationem, esse peccata ibid. Can. 7.

Tertia asserens Sola fide hominem iustificari ibid. Can. 9. et seq.

Quarta dicens Dei præcepta etiam homini iustificato impossibilia esse ibid. Can. 18.

Quinta dicens Hominem iustificatum non teneri ad obseruantiam mandatorum Dei ibid. Can. 20.

Sexta dicens Iustificatum sine auxilio Dei perseuerare posse, vel cum eo non posse ibid. Can. 22.

Septima dicens Hominem iustificatum peccare non posse, et qui peccat, nunquam verè fuisse iustificatum ibid. Can. 23.

Octaua dicens Iustitiam acceptam non conseruari, vel augeri per bona opera ibid. 24.

Nona dicens Iustificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur ibidem Can. 31.

Decima dicens Hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei, vt non sint etiam bona ipsius iustificati merita ibid. Can. 32. de hac dicã ver. Opera ver. Libertas, ver. Peccatum, ver. Prædestinatio.

IVSTVS

IVSTVS. LXXXVI.

IOVINIANVS hæreticus asserebat Eum, qui semel per lauacrum regenerationis fuerit iustificatus, non posse amplius peccare, contra quem dixi supra tit. de Gratia.

Alius est error Lutheri dicentis, Iustum in omni bono opere peccare, contra quem dicemus infer. tit. de Operibus.

Tertia heresis est, quę asserit Omnem iustum esse certum suæ iustificationis, et esse ex fidè catholica obligatum ad habendam hanc certitudinem, ita vt si de illa dubitet, non possit verè dici fidelis christianus.

Huius hæresis inuentor est Lutherus, contra quem diximus supra tit. de Gratia.

LABOR. LXXXVII.

PSALLIANI hæretici in Syria fuerunt Monachi dicentes Nullum manuum laborem esse Monachis licitum, etiam substentandæ vitæ causa; in hoc .n. se esse Monachos profitebantur, vt ab omni labore manus vacantes orationi semper insisterent.

Contra facit primo exemplum Pauli Apostoli, qui inter perfectos meritò connumerari potest, proprijs manibus laborauit; quamuis sine labore viuere posset de Euang. 1. Cor. 9. Secundo idem Paulus hos ociosos reprehendit

2. Thes.

2.Thes.3. dicens Oportet imitari nos, quoniam non inquietè fuimus inter vos, neque gratis panem manducauimus ab aliquo; sed in labore et fatigatione, nocte et die operantes etc. Tertio idem Paulus ad Eph.4. Qui furabatur, iam non furetur, magis autem laboret, operando manibus suis quod bonum est, vt habeat vndè tribuat necessitatem patienti. Quarto idem Paulus Act. Apost.20. Argentum, et aurum, aut vestem nullius concupiui, sicut ipsi vos scitis, quoniam ea, quæ mihi opus erant, et his, qui mecũ sunt, ministrauerunt manus istæ etc. Quinto hęc fuit sententia com. Hieron. in Epistola ad Rusticum, ad Basil. in Regula cap.67. Benedicti Francisci in reg.cap.6. Sexto Concil. Cartag.4.cap.52. Precipit omnibus clericis proprijs manibus laborare posse ad euitandum ocium: Non obst. 1.Ioan.6. Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam; nam Resp. ex mente Theophylacti, quòd non dixit Dominus noster, vt corporalem operationem velit amouere, et ad ocium cogere: omnem.n. malitiam docuit ociositas Eccl.33. et si oportet euidenter dicere ipsum ociosè viuere, cibus est qui perit, et ita eum qui Christum sequitur, oportet operari, vt habeat quod et alij communicet: hoc.n. habet mercedem, et promissionem futuri regni; secundo Resp. ex mente Basilij in Reg.67. quod pro nobis ipsis soliciti esse non debemus, sed laborare propter mandatum Domini, et propter

neces-

necessitatem proximorum, maximè, quia Dominus recipit in se ipsum ea, quę in seruos eius fecerimus. Vnde ad Ephes.4. Omnia ostendi vobis, quia laborantes oportet suscipere infirmos. Secundo non obst. Luc.10. Martha sollicita es, et turbaris erga plurima; nam Resp. dictum ad Martham non de opere est, et operatione, vel ocio, sed de temporis obseruatione, et ne tempus audiendi consumatur in occupationes parandorum ciborum; persuadet igitur ei, ne perdat tempus doctrinæ frustra propter occupationem in his, quæ sunt ventris. Non obst. tertio Math.6. Nolite ergo solliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? et iterum Nolite ergo soliciti esse in crastinum; crastinus .n. dies solicitus erit sibi ipsi; nam Resp. quod per hoc non reijcit operationem; aliud .n. est solicitudo, et aliud operatio; fieri .n. potest, vt solicitus non sit, qui operatur, ita interpr. Theoph.

Secunda hæresis est, quæ cum præcedenti pugnat, quæ docet Omnes Monachos absq; vllo discrimine teneri ad laborem manuum, vt ex illo sibi victum acquirant, nec posse illos alio modo sibi victum parare, quàm per laborem manuum.

Huius hæresis est Author Vuilelmus de S. Amore, quem sequuti sunt Ioannes Vuicleph, et Lutherani.

Contra facit primo ratio; quia si Monachus aliquo morbo laborat, non tenetur proprijs

manibus laborare Act. 10. Cum Myleti esset Paulus omnes presbiteros, quos ad eum locum ex Epheso asciuerat, docuit, vt infirmi alerentur ex aliorum labore; non ergo indistinctè omnes Monachi tenentur laborare. Secundo Aug. lib. de opere Monach. cap. 25. sentit Monachos, qui in seculo diuites fuerunt, et dilicatè vixerunt, ad laborem non esse cogendos. Tertio prædicatores verbi Dei, et omnes doctores, qui verbo aut scripto alios docent, possunt absque labore manuum manducare, et potestatem habent à Domino accipiendi ea, quæ sunt ad vitam necessaria ab illis, quos docent Math. 10. Dignus est operarius mercede sua, et Luc. 10. In eadem autem domo manete edentes, et bibentes, quæ apud illos sunt; dignus est .n. operarius mercede sua; aduerte, quòd dixit operarius, non autem Prælatus, aut Pastor, aut Curatus, aut Præpositus, vt innueret mercedem esse debitam operi, et non prælationi, et Paulus ad Rom. 14. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles, debent et in carnalibus ministrare 1. Cor. 9. Quis militat suis stipendijs vnquam? Quis plantat vineam et de fructu eius non edit? quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat? et Deut. 25. Non alligabis os boui trituranti; et idem Paulus Si nos vobis spiritualia seminamus, magnú est si nos carnalia vestra metamus, et 2. Tim. 2. Laborantem agricolam oportet primum de fructibus accipere, et 1. Cor. 9. Nescitis quoniam

qui

qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt? et qui altari deseruiunt cum altari participant? ita et Dominus ordinauit his, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere, et in Concil. Constantiense sess. 8. art. 24. vbi refellitur articulus Ioan. Vuicleph, qui ait, Fratres tenentur per labores manuum victum acquirere, et non per mendicitatem. Prima pars est scandolosa, et præsumptuosè asserta, pro quanto generaliter, et sic indistinctè loquitur; et secunda erronea, pro quanto asserit mendicitatem fratribus non licere. Non obst. quod Paulus laborauit, ergo et Monachi laborare tenentur: nam Resp. quod Paulus id egit ex perfectione; nam si voluisset viuere ex Euangelio potuisset, sicuti Petrus, et alij Apostoli fecerunt 2. ad Thes. 3. Non quasi non habuerimus potestatem, sed vt nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Secundo non obst. 2. Thes. 3. Nam cum essemus apud vos hoc renunciabimus vobis; quoniam, si vult quis non operari, nec manducet; nam ibi negatur cibus ociosis, qui nullam prorsus occupationem habent, per quam digni sint, quòd panem manducent, quod non contingit in Monachis prædicantibus, et altari seruientibus.

LAYCI. LXXXVIII.

LAYCOS non teneri aliquem articulum explicitè credere, hæresis est Director. p. 2.

quæst. 10. hær. 8. Item eos tam masculos, quam fœminas posse consecrare hæresis est Direct. p. 2. q. 14. hær. 7.

LEX. LXXXIX.

CHERINTI, Ebiones, et Nazarei hæretici docuerunt Legem veterem iuxta omnia illius præcepta esse seruandam simul cum lege noua.

Contra facit primo Galat. 3. Prius autem quàm veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quæ reuelanda erat, itaque lex pœdagogus noster fuit in Christo, vt ex fide iustificemur; at vbi venit fides, iam non sumus sub pœdagogo. Secundo Gal. 4. itaque non sumus fratres Ancillæ filij, sed Liberę; qua libertate Christus nos liberauit. Tertio Gal. 5. Ecce ego Paulus dico vobis; quoniam si circuncidamini Christus vobis nihil proderit. Quarto ad Hebr. 7. Translato .n. sacerdotio, necesse est, vt et legis translatio fiat. Quinto Act. Apost. 15. Visum est .n. Spiritui sancto, et nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, vt abstineatis vos ab imolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione, à quibus custodientes vos bene agetis. Non obst. Exod. 28. Legitimum sempiternum erit Aaron, et semini eius post eum; et in Leuit. 16. Eritque vobis hoc legitimum sempiternum, vt oretis pro filijs Israel, et pro cunctis

ctis peccatis eorum semel in anno; nam Resp. quod non ideo vocatur sempiternum, quod semper esset duraturum, sed quia ad vitam, quodammodo disponebat æternam; vel dicitur sempiternum, quia erat figura testamenti æterni, vt inquit Gl. interlin. ibidem Direct. 2. p. q. 6. n. 36. cap. fin. ver. Hebionitæ 24. q. 3.

Secunda hæresis huic primæ contraria, est Marcionis, et Manichei, quæ docet Legem fuisse malam.

Contra facit primo Rom. 7. Quid ergo dicemus? lex peccatum est, absit: sed peccatum nō cognoui, nisi per legem; nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces Exod. 20. Deut. 5. deindè dicit, Itaque lex sancta quidem, et mandatum sanctum, et iustum, et bonum. Secundo 1. Tim. 1. Scimus autem, quia bona est lex, si quis ea legitime vtatur, sciens hoc, quia lex iusto non est posita, sed iniustis, et non subdictis. Tertio ad Galat. 3. Itaque lex pedagogus noster fuit in Christo, vt ex fide iustificemur.

Si ergò fides Christi est bona non est possibile quin lex vetus, quæ ad illam duxit, fuerit bona. Non potest esse malus pedagogus, qui bene pueros instruit. Quarto Math. 8. vbi Dominus legem verbo, et opere cōmendauit, nam leproso mundato precipit vt iuxta legem Moysi ostenderet se sacerdoti.

Tertia hæresis est, quæ dicit Omnem hominem in lege sua bene viuentem posse saluari,

siue Iudęus ille sit, siue Sarracenus siue Paganus.

Contra facit primo ad Hebr.11. Sine fide (inquit Paulus) impossibile est placere Deo. Secundo 1.Cor.3. Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, qđ est Christus Iesus. Tertio definitio Ecclesiæ cap. firmiter de Summa Trin. et fide cathol. ibi Vna est fidelis Ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur.

Quarta hęresis asserit Legem Ecclesiasticam pertinere ad legem seruitutis, Turrianus lib.4. cap.16.

LIBERTAS. LXXXX.

PRIMA hæresis est Lutheri, et eius seguacium dicentium Hominis arbitrium non esse liberum, neque habere vllam actiuitatem in suis operationibus, quoniam non eum agere, sed potius pati contendunt.

Pro refellenda hac praua, atque hęretica opinione nota, quod libertas accipitur tribus modis. Nam aliquando libertas significat gratiam, per quam liberamur à seruitute peccati, Paulus 2.Cor.3. Vbi spiritus Domini, ibi libertas, et ad Rom.6. Cum.n. serui essetis peccati, liberi facti estis iustitiæ. Secunda libertas est, quæ sola habetur in gloria, vel est ipsamet gloria; de qua ad Rom.8. Et ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filio-

filiorum Dei. Tertia est libertas, quæ opponitur necessitati, vel (vt verius dicam) coactioni; quando verò dicimus hominis arbitrium esse liberum, de hac libertate intelligimus, ita vt ea ratione dicamus eum esse liberum, quia videlicet cum operatur potest non operari, et cum nihil operatur potest operari.

Pro qua libertate, et contra hanc primam hæresim facit primo, quod dixi supra titul. de Fato. Secundo facit Genes. 4. ibi Dixit Dominus ad Cain. Non ne si bene egeris recipies: sin autem malè statim in foribus peccatum tuũ aderit? sed sub te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius. Tertio Exod. 35. Omnes viri, et mulieres mente deuota obtulerunt donaria, vt fierent opera, quæ iusserat Dominus per manus Moysi: cuncti filij Israel voluntaria Domino dedicauerunt. Quarto Leuit. 22. Homo qui obtulerit victimam pacificorum Domino, vel vota soluens, vel spontè offerens, tam de bobus, quàm de ouibus immaculatum offeret, vt acceptabile sit, et post pauca subiungit; Bouem, et ouem, aure et cauda amputatis, voluntarie offerre potes: votum autem ex his solui non potest, Ecce quam apertè ostendit libertatem distinctam à necessitate, cum inquit, vel uota soluens, vel spontè offerens. Quinto Num. 30. Statuit Dominus, vt mulier vouens non sit voti rea, nisi marito consentiente, cum ergo marito detur optio, conuincitur eum esse liberum. Sexto Deut. 30. Testes inuoco hodie

cœlum, et terram, quòd proposuerim vobis vitam, et bonum, benedictionem, et maledictionem, elige ergo vitam, vt et tu viuas, et semen tuum. At electio non est nisi eorum, quæ sunt in nostra potestate, ergo habemus liberum arbitrium, vndè Iudæis data est electio, an sequi velint Deum, vel non, Iosuè vltimo, et Dauid Regi datur optio eligendi vnam ex tribus plagis 2. Reg. 22. et Salomoni dictum est, Postula quoduis vt dem tibi 3. Reg. 3. Septimo 1. Par. 29. Si quis sponte offerat, impleat manum suã hodie, et offerat quod voluerit Domino. Id autem quod sponte sit, sine vlla cogente necessitate sit. Octauo Psal. 53. Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo, quoniam bonum est, et Psalm. 118. Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine, et iudicia tua doce me, et ibidem Anima mea in manibus meis semper, et Psal. 107. Paratum cor meum Deus paratum cor meum; cantabo, et psallam in gloria mea, et Psal. 26. Adiutor meus esto ne derelinquas me; cum Deum petat adiutorem, operatorem se ostendit, quoniam si nostrum arbitrium nihil agit (vt testatur Lutherus) sed solum recipit, Deus non adiutor dicendus est, sed integer et solus operatur. Nono Sap. 16. Substantiam. n. tuam, et dulcedinem tuam, quã in filios habes ostendebas: et deseruiens vniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat conuertebatur. Decimo Eccl. 15. Deus ab initio constituit hominem, et reliquit eum in

manu

manu consilij sui. Adiecit mandata, et præcepta sua. si volueris mandata conseruare, conseruabunt te, et in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam et ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam. Antè hominem vita et mors, bonum et malum, quod placuerit ei, dabitur illi. Vndecimo Esa. 6. Expectaui vt faceret vuas, et fecit labruscas; si oĩa necessitate absoluta eueniunt, (vt dicit Lutherus) et hominis arbitrium à Dei præscientia cogitur ad opus: quare expectabat vuas à vinea, cũ ipse sciret eam producturam labruscas? Duodecimo Esa. 1. Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis; quod si nolueritis, et me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos. Tertiodecimo Hyer. 18. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam, agam et ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui, vt facerem ei. Quod si fecerit malum in oculis meis, vt non audiat vocem meam, pœnitentiam agam super bono, qđ locutus sum, vt facerem ei. Quartodecimo Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, et fecerit iudicium, et iustitiam, vita viuet, et non morietur, et infra, Si autẽ auerterit se iustus à iustitia sua, et fecerit iniquitates secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, nunquid viuet? omnes iustitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur; in quibus duabus authoritatibus vltimis apparet

ad

adesse homini liberam potestatem bene, et malè agendi; quod patet exemplo Susannę Daniel 13. Angustiæ mihi sunt undique, et quid eligam ignoro. si .n. hoc egero, mors mihi est; si autem non egero, non effugiam manus uestras. Huc usque ad consultationem pertinet: audi deliberationem, et electionem. Sed melius est mihi (inquit illa) incidere in manus uestras, quam derelinquere legem Dei mei. Per hanc autem electionem elegit unam partem, altera reiecta, quam potuisset amplecti. Modò accedamus ad testimonia Noui Testamenti, et primo facit Mat. 23. Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas, et lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties uolui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas et noluisti? Ecce Deo uolente homines nolunt. Secundo Luc. 9. Si quis vult uenire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Tertio Ioan. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri; similiter Acta Apost. 5. Anania cur tentauit Sathanas cor tuum mentiri Spiritui sancto: et fraudare de precio agri? Non ne manens tibi manebat; et uenundatum in tua potestate erat? Quarto Paulus 1. Corin. 7. Qui statuit in corde firmus non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ uoluntatis, et hoc iudicauit in corde suo seruare virginem suam, bene facit. Quinto 1. Corin. 13. Abundantius omnibus laborari, non ego, sed gratia Dei mecum, non dixit gratia

Dei

Dei per me, sed gratia Dei mecum; et rursum Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem: Dei .n. adiutores sumus. Sexto 2.Cor.9. Vnusquisque prout destinauit in corde suo non ex tristitia, aut ex necessitate; hilarem .n. datorem diligit Deus. Septimo ad Philemonem 1. Sine consilio autem tuo nihil uolui facere, uti ne uelut ex necessitate bonum tuum esset, sed uoluntarium. Octauo 1.Pet.5. Pascite qui in uobis est, gregem Dei, prouidentes, non coactè, sed spontè, neque turpis lucri gratia, sed uoluntarie; neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis. Nono Apocal.2. Et dedit illi tempus, ut pœnitentiam ageret, et non uult pœnitere à fornicatione sua; Decimo facit com. opin. doct. Iren. lib.4.aduers.hæres.cap.71.Tertull.lib.2.aduersus Marcionem, Cyprian.Epist.3.lib.1.Hieronymus in Epist. ad Hebidiam, Basil.in opusculo, quo probat Deum non esse authorem malorum, Greg.Nissen. in libello de libero arbitrio Cyrillus lib.3. contra Iulianum, Isichius lib.1. super Leuit.1. Ioan.Damasc.lib.2.de fide Orthodoxa, cap.25. Chrysostom. Homil.60. super Math. Ambr.lib.1. de uocatione gentium cap.3. Aug.lib. de uera Relig.cap.14.et lib.3. Hypognosticon, et contra Fortunatum Manicheum disp.2. et contra Crescentium Grammaticum lib.2.cap.51. et in libris tribus de libero arbitrio, Lactantius lib.2. diuin. instit. cap.9. Ioan. Cassianus lib. de collaction.Patrũ coll.3.

cap.

cap.12. et coll.7. cap.8. Leo serm.16. de passione, Prosper.lib. de libero arbitrio, Theoph. super Lucam de filio prodigo, Bernard.lib. de gratia, et libero arbitrio Anselm. super 2. Timot.1. et in tract. de libero arbitrio. Vndecimo contra hanc hæresim facit ratio; quia peior esset hominis conditio, quàm cuiuslibet bestiæ, immo quàm lapidis, et cuiuslibet stipitis: nam his rebus nemo imputat peccatum, aut vituperium aliquod, eò quod necessariò, et à natura faciunt quicquid faciunt. Homini verò, qui iuxta istorum hæreticorum sententiam, cum peccat, necessariò peccat, rependitur pro peccato suo non solum vituperium, et pœna temporalis, sed æterna damnatio; si peccatum non fuerit illi dimissum. Præterea si hæc assertio hæreticorum esset vera, iam non esset dicendus Deus pius, et misericors; sed crudelis Tyrannus, cum vellet homines ex necessitate operari, et ob id victos postea increpet, et supplicium ab illis exigatur; nos autem cantabimus cum Propheta Psalm.118. Iustus es Domine, et rectum iudicium tuum, et omnes viæ tuæ veritas. Duodecimo adest definitio Ecclesiæ Concil. Arausicanum cap.13. et Concil. Trident. sess.6. cap.4. et seq. Non obst. quod obijciunt hæretici illud Ioan.15. ibi Sine me nihil potestis facere; Nam Resp. fatemur Deum sic adesse libero arbitrio, et reliquis omnibus causis, vt sine eius adsistentia, et concausatione nihil agere valeant; quę tamẽ cum ipsius adiutorio proprios

prios motus agere possunt, sicuti vir sine fœmina non potest generare, non tamen sequitur, vt cum fœminæ adiutorio generare non possit; liberum tamen arbitrium, vt bene agat, speciali quodam eget auxilio diuino, sine quo etsi agere possit, non tamen bene, et hoc est illud, nihil quod sine Deo .i. sine eius gratia, nostrum potest liberum arbitrium; solemne est. n. sacris literis, vt ea, quæ memoriæ vitæ æternæ nõ sunt, nihil appellent vt 1. Corint. 7. ibi Circuncisio nihil est, et præputium nihil est; sed obseruatio mandatorum Dei, et 1. Corint. 13. Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam; charitatem autem non habuero nihil sum; habita igitur generali Dei adsistentia, et concausatione, nihil hoc est nullum opus meritorium potest facere liberum arbitrium, sine speciali Dei auxilio, hoc est sine gratia Dei, per quam quis habet, vt vitam æternam possit mereri, Paulus Rom. 6. Gratia Dei vita æterna: hac ergo gratia secluſa, etsi multa possit liberum nostrum arbitrium cum Dei generali adiutorio; nõ tamen potest mereri, et ita nec fructum vitę æternę ex se producere; iuxta illud Ioan. 15. Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, et hoc modo intelligenda sunt multa alia in sacris literis. Scio (inquit Hyerem 10.) quia non est hominis via eius: nec viri est vt ambulet, et dirigat gressus suos, et Ioan. 3. Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cœlo et 2. Cor. 3. Non quod sufficientes simus cogitare

gitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, et Iac. 1. Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum. Hæc omnia et similia non tollunt arbitrij libertatem, sed ostendunt nostri arbitrij insufficientiam, quod sine Dei auxilio non potest aliquid facere; quapropter dixit Paulus: non quod sufficientes simus etc. et omnis sufficientia nostra ex Deo est: vt apertè ostenderet, se non tollere libertatem, sed eiusdem libertatis sufficientiam. Secundo non obst. quod obijciunt Lutherani Ioan. 6. Nemo venit ad me; nisi Pater, qui misit me, traxerit eum: nam Resp. hunc tractum diuinum nō esse violentiā aliquā; qm̄ non est aliud, q̄ vocatio quædā interna, et exortatio, et monitio, qua mouet, et monet voluntatem nostrā ad bene operandum. Huic aūt vocationi, et monitioni homo sępè resistit, inobediens existens, ex quo conuincitur talem vocationem non esse violentam; nam et Dominus hanc hominum resistentiam accusat, dicens Prouerb. 1. Vocaui et renuistis: extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret, despexistis omne consiliū meum, et increpationes meas neglexistis. Fatemur ergo tractum patris per gratiam præuenientem, quo secluso nostrum arbitrium moueri non potest ad bonum operandum. Sed sic nos attrahens Deus, in nostra nos dimittit libertate, vt quiescamus illi vocanti, et monenti, aut obduremus corda nostra, cum eius vocem audierimus:

mus: et in hoc est nostra libertas ad bonum, et postquam Deus monuerit ad bonum, sit iam nobis liberum declinare ad id quod magis placuerit, siue bonum siue malum: antè monitionem tamen est nobis potestas ad malum, sed nō ad bonum, vt dixi supra tit. de Gratia hæresi. 1. et tit. de Fato, et de futuro contingenti. Non obst. tertio Paulus ad Rom. 9. Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis: et iterum Ergo cui vult miseretur, et quem vult indurat: nam Resp. quod ibi loquitur de voluntate prædestinationis, et reprobationis diuinæ: dicitur .n. ibi, quod prædestinatio diuina, quæ aliquos ab æterno Deus præordinauit ad vitam æternam, non pendere ex nostris meritis, sed ex sola misericordia diuina, quæ sine nostris meritis ad tam grande bonum nos elegit, et idem sentit de reprobatione, ea videlicet, quæ non est actus positiuus suæ voluntatis, sed sola priuatio prædestinationis, qua non vult ordinare aliquem ad vitam æternam. Hæc inquam reprobatio fit sine nostris demeritis, sed per illam diuinę maiestatis voluntatem, qua voluit hunc destinare ad gloriam; de qua re argui non potest, quia cum nulli Deus debeat, nulli etiam facit iniuriam, cum non dat, quod non debet: nam Dominus dixit Mat. 20. Amice non facio tibi iniuriam, tolle, quod tuum est et vade. Alia autem reprobatio, quę fit per actum positiuum voluntatis, per quam Deus aliquem ordinauit ad pœnam æternam, nunquam fit sine

deme-

demeritis; nunquam .n. Deus est vltor (teste Augustino) quin prius aliquis sit peccator; non obst. quod talis prædestinatio sit infallibilis, et propter hoc nostrum arbitrium iuxta illam operari cogatur; quoniam qui præuidit finem prædestinatorum, videlicet gloriam æternam; præuidit etiam media, per quæ talis finis est acquirendus; opera scilicet bona, quæ cum Dei adiutorio illi sunt operaturi: ideò Petrus admonet nos ad bona opera, ne videlicet nos eorum securos reddat diuina prædestinatio, sed potius, vt operemur, quò ipsius prædestinationis finem cõsequi mereamur 2. Pet. 1. Quapropter fratres magis satagite, ut per bona opera certã uestram uocationem, et electionem faciatis, et Paulus, qui certò sciebat se esse prædestinatum, diligentissimus erat bonorũ operũ exequutor 2. Tim. 4 qui .n. sciebat repositã sibi esse à Deo iusto Iudice coronam iustitiæ, castigabat corpus suum, et in seruitutem redigebat, ne fortè cum alijs prædicasset, ipse reprobus fieret; ex quo argumento satis apertè conuincitur, prædestinationem diuinam nullam prorsus inferre necessitatem nostris operibus, aut in aliquo minuere nostri arbitrij libertatem. S. Thom. 1. p. q. 83. artic. 1. Echius tit. 31. de libero arbitrio doct. com. 2. sent. distin. 25. et seq. F. Paulinus ord. præd. lib. 5. de concord. Eccl. cap. 1.

Secunda Lutheri hæresis est, quæ docet Hominem post diuinam gratiam deperditam non posse aliud facere, quàm peccatum.

Contra

Contra facit primo quæ dixi in proxima hæresi præcedenti. Secundo Ioan. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius; quę potestas magis est collata peccatoribus, quia iusti iam sunt Filij Dei, per gratiam, quam habent. Tertio Apocal. 2. Dedi illi tempus, vt pœnitentiam ageret; quod frustra daretur si pœnitere non posset. Quarto Ezec. 18. Conuertimini (inquit Dominus) et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas, et Ioel 2. Conuertimini ad me in toto corde vestro, et Math. 3. Agite pœnitentiam, appropinquabit Regnum cœlorum: frustra autem mouentur ad pœnitentiam peccatores, si nihil aliud; quàm peccare possunt. Quinto adest definitio Ecclesiæ Concil. Triden. sess. 6. Can. 7.

Tertia hæresis Iouiniani, et Pelagij docet Liberum arbitrium post receptam baptismatis gratiam non posse amplius peccare.

Contra facit primo, quæ dixi tit. de Gratia hæresi secunda et huius tit. hæres. 1. Secundo facit ratio; si peccatum non tollit arbitrij libertatem, ita nec gratia; quoniam libertas est naturaliter insita humano arbitrio, ita vt per nullum superueniens accidens tolli possit: quo fit, vt sicut in peccato existens propter suæ libertatis potestatem poterat aliud peccatum vitare, ita in gratia existens propter eandem arbitrij libertatem, possit aliqua in posterum peccata committere.

Quarta hæresis docet Liberum arbitrium hominis suis viribus tantùm posse diuina mandata implere cap. fin. 24. q. 3. Direct. 2. p. q. 6. n. 63. Turrianus lib. 4. cap. 2. et seq. Echius titul. 31. de libero arbitrio.

LIBIDO. LXXXXI.

LIBIDINI plenè satisfaciendum esse; cum stimuli carnis infestant, hæresis est Direct. 2. p. q. 14.

LINGVA. LXXXXII.

PHILASTER in lib. de hæresibus docuit hunc errorem dicentem Ante Babel ædificationem fuisse plures linguas, omnibus tamen pariter fuisse notas.

Contra quam facit primo Genes. 11. Erat (inquit) terra labij vnius: nam licèt Italus intelligat Hispanum, et Hispanus vice versa intelligat Italum, nullus sanę mentis dicet, vnicam esse amborum linguam; cum sit cuique illorum propria lingua: intelligentia si quidem linguarum non valet efficere, vt duæ, aut tres linguæ vna dicantur. Secundo facit Genes. d. loco, ibi dicit, tunc primum cum Babel ædificari cœpit, confusum esse labium vniuersę terræ. Tertio com. opin. doct. Augustin. lib. de mirabilibus sacræ scripturæ cap. 9. Eucherius lib. 2. super Genes. cap. 7. Ioseph. libr. 1. antiq. cap. 9. citat

tat Sybillam hoc idem testantem.

Secunda est hæresis dicentis Lingua vulgari esse vtendum ad populum in officijs Ecclesiæ Turrianus lib.1.cap.24. Hosius in Dialogo de Missa vulgari lingua celebranda pag.302.

MALVM ET MALITIA. LXXXXIII.

MALVM nihil est ex sui natura, hoc est nulla res est mala ex natura, vt dixi, supra titulo de Creaturis hæresi secunda.

Malum autem, quod accidit rei duplex est. Nam quoddam est malum culpæ, aliud est malum pœnæ, quod rectius dicitur damnum: iuxta quam partionem mali, partitę sunt etiam hæreses, quæ de malo loquuntur.

Prima hæresis est Floriani dicentis Malum esse à Deo, et Deum facere mala.

Contra facit primo Math.7. Non potest arbor bona fructus malos facere: at Deus bonus est, ergo bonos fructus facit. Secundo Roman.11. Si radix sancta et rami; at nullus verè sanctus nisi Deus, quem ita clamabant duo Seraphin dicentes Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Esa. 6. Tertio facit ratio; quia nulla creatura est mala ex sua natura, dicendũ ergo esset qđ Deus esset author vitiorum, et peccatorum, quod absit; nam Oseæ 13. Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuũ, et certè si esset causa malorum, vti-

que nimis iniustus esset, si nos puniret propter mala, quæ ipse operatus est; non obst. quod dicit Paul. ad Rom. 9. O homo tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicet figmentum ei, qui se finxit, qui me feciſti? At non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? ex quibus verbis fortè videtur alicui Paulum asserere, mala esse à Deo, cum dicat Deum fecisse aliqua vasa in contumeliam; nam Resp. quandoque permisionem Dei vocari illius actionem Exod. 4. Ego (inquit Deus) indurabo cor Pharaonis; tunc .n. Deus peccatorum corda indurat, cum illos pro magnitudine suæ bonitatis tolerat, non eos statim puniens, sed expectans ad pœnitentiam, simile Ezech. 14. Ego decipiam illum Prophetam: et Dominus subdit iuxta iniquitatem interrogantis, iniquitas Prophetæ erit; eodem modo intelligendum est dictum Pauli; nam Deus dicitur facere vasa in ignominiam, non quod ipse fecerit ea ignominiosa; sed quia postquam Deus fecit vasa, id est homines quantum ad eorum substantiam bonos, illi Deo permittente lapsi sunt in ignominiam, non quod Deus hominem malitia imbuat, sed quòd homo abusus sit Domini benignitate ad augendam suam malitiam.

Secunda hæresis docet Aliquas esse creaturas ex se malas productas, non à Deo summo bono; sed à quodam alio principio omnium malorum, quod dicit esse summum malum.

Huius

Huius hæresis Author est Manicheus; contra quam facit quæ dixi supra tit. de Creaturis hæres. 2. et tit. de Deo hæres. 1.

Tertia heresis negat Deum facere, aliquod malum, qualecunque illud fecerit.

Huius hæresis Author fuit Colutus, à quo Colutiani dicti sunt.

Hæc sententia dicitur hæretica; quoniam afflictiones, et angustiæ mala vocantur in sacra scriptura, non quod ex se mala sint, sed quod sint, aut videantur mala tollerantibus.

Contra facit primo Esa. 45. Ego Dominus et non est alter formans lucem, et creans tenebras: faciens pacem, et creans malum; malum hic dixit bellum, non quod in se sit malum, sed quia nociuum est illud substinentibus. Secundo Hyer. 11. Ecce ego inducam super eos mala, de quibus exire non poterunt, quod ibi loquatur de tribulationibus, patet inferius ibi Clamabunt ad Deos, quibus libant, et non saluabunt eos in tempore afflictionis eorum. Tertio Ionæ 3. Et vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala, et misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat, vt faceret eis, et non fecit. Quarto Math. 6. ibi Crastinus. n. dies solicitus erit sibi ipsi, sufficit diei malitia sua: hoc est sufficit cuique diei, vt pro necessarijs ad illum diem tribulationem et angustiam tolleret. Quinto Amos. 3. Non est malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit, hoc est nulla est tribulatio, vel angustia, quæ

non veniat à Domino, illam aut faciente, aut permittente cap. fin. 24. q. 3. ver. Colotiani.

Quarta est hæresis, quæ docet Malos Reges, aut Pseudoprophetas non à sua venire voluntate, sed à Dei iussione procedere dicit.

Contra hanc hæresim facit primo Hyere. 22. de malis Prophetis loquens dixit, Nolite audire verba Prophetarum dicentium vobis, Non seruietis Regi Babilonis, quia mendacium ipsi loquuntur vobis, quia non misi eos, ait Dominus, et ipsi prophetabunt in nomine meo mendaciter vt eijciant vos, et pereatis tam vos, quàm Prophetæ, qui vaticinantur vobis: Secundo hoc dicitur de malis Regibus, qui non mittuntur à Domino Oseæ 8. Ipsi regnauerunt, et non ex me, Principes extiterunt, et non cognoui. Mali ergo Reges non à Deo mittuntur, vt mali sint, sed suo ipsorum arbitrio mali fiunt; non obst. 3. Reg. 12. ibi A me factum est verbum hoc, vbi Hieroboam ex ipso Deo regnauit; nam Resp. quod in sacris literis multa fieri à Deo dicuntur, eo quòd illa fieri permisit, sic intelligitur 1. Rom. Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, vt contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis. Tradidit dixit pro eo, quod est permisit, sic Psalm. 80. Dimisit eos secundum desideria cordis eorum: ibunt in adinuentionibus suis; sic intelligendum est de malo Propheta, qui populo propter ipsius iniquitatem datus est Ezech. 14. ibi Et propheta cum errauerit, et locutus fuerit verbum,

ego

ego Dominus decepi prophetam illum; quando autem dixit, Ipsi regnauerunt, et non ex me et c. intelligendum hoc factum esse, non ex Dei consilio, aut eius præcepto: et nota, quod in malo Rege duo consideranda sunt; primum propria illorum nequitia; alterum quod malus ille existens, alijs prophetet, aut regnet, Primum, videlicet regis, aut prophetæ culpa nunquam est à Deo, et contrarium sentiens manifeste esset hæresis, et blasphemia in Deum. Alterum verò quod malus Rex vel Propheta regnet, uel prophetet, hoc Deus facit propter peccata populi, non quidem, ut prophetando decipiat, aut regnando Tyrannidem exerceat, sed ad eliciendum bonum nempè, ut populum puniat, iuxta dictum Iob. 54. Deus regnare facit hypocritam propter peccata populi; non enim Deus fecit illum hypocritam, sed cum iam ille sit hypocrita, et malus, illum Deus regnare facit propter peccata populi. Vnde Esaia 10. Væ Assur uirga furoris mei, et baculus ipse est, in manu eius indignatio mea et c. et Paulus 2. Thes. 2. Eo quòd charitatem ueritatis non receperunt, ut salui fierent; ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio: ut iudicentur omnes, qui non credunt ueritati.

Quinta hæresis docet Mali esse naturam quandam, et Deum malum Direct. 2. p. q. 6. n. 31. c. fin. 24. q. 3. uer. Manichei.

Sexta hæresis est Mala tantum placere Deo, quantum bona Direct. 2. p. q. 10.

MANDATA. LXXXXIIII.

MANDATA Dei posse ab homine per solas uires naturę impleri, hęresis est Pelagij Direct.2.p.q.6.n.63.cap.fin.24.q.3.

MARIA VIRGO. LXXXXV.

ELVIDIVS asseruit Beatam Dei genitricē post Christi natiuitatem fuisse carnaliter cognitam à Ioseph uiro suo: contra facit Cathec.in 3.artic.pag.53.

Contra hunc hęreticum facit determinatio uniuersalis Ecclesiæ, quę sentit, Dei genitricem fuisse perpetuò uirginem, quoniam sic eam ubique appellat nomine uirginis intactæ, et intemeratę. Secundo com.opin.doct. tam Gręcorum, quàm latinorum, inter Gręcos Theophil. Damasc. Basylius, Chrysostom. Origenes. Tertio facit ratio; quia sicuti in sepulcro Christi nec ante, neque post quisquam alius positus est, ita nec in uentre uirginis, nec antea, neque post alius positus est; si tantus honor sepulcro exhibitus est, multo magis uentri virginis Mariæ; Non obst. Math.1.ibi Ante quam conuenirent, inuenta est in utero habens, et iterum Non cognouit eam Ioseph donec peperit filium suum primogenitum: ex quibus uerbis colligit Eluidius Dei genitricem, postquam peperit Christum,

stum, esse à Ioseph cognitam carnaliter, eamq; peperisse filios alios, quos (ut ait) Euangelium appellat fratres Christi; nam apud Math. 17. dicunt Iudæi Christo, Ecce mater tua, et fratres tui foris stant quærentes te; nam Resp. quod Christus moriens commendasset eam alicui ex filijs eius, non autem Ioanni; ad illud, quod dicit Math. Antequam conuenirent, inuenta est in utero habens; nam Resp. quod illa dictio antequam sepè dicitur per comparationem ad ea, quæ ventura erant, si alio modo eorum euentus non fuisset prohibitus Esa. 65. Antequam clament ego exaudiam; quia .n. multa concedit Deus nobis non petentibus, dicitur exaudire nos antequam clamemus. Et tamen ibi illa vox, antequam non dicit respectum ad futura, quoniam nullus clamat, postquam exauditus est, sic antequam conuenirent inuenta est in vtero habens, quia etsi postquam inuenta est, nunquam tamen conuenerunt. Non obst. illud Mat. 1. Non cognouit eam donec peperit filium suum primogenitum; nam Resp. quod dictio donec, non significat finem et terminum actus designati per uerbum cui additur, ita vt post talem finem iam postea non sit tale opus, aut operatio, per uerbum, cui additur designata; sed solum significat continuationem actus per uerbum, cui additur designati, nullo habito respectu ad futura, siue ille idem actus postea succedat, siue non Esa. 45. Vsque ad senectam ego portabo eos, et tamen postquam senuerimus

non

non minus portabit nos, et Psalm.20. Vsque in senectam et senium Deus non derelinquas me: donec annunciem brachium tuum generationi omni, quæ uentura est; vbi sunt talia aduerbia, uidelicet vsque donec, et tamen post illa tempora non petit Dauid derelinqui, et Math.vlt. Ego uobiscum sum usque ad consumationem seculi, et tamen post erit uobiscum; de coruo, quem misit Noe ab arca dicitur quod non reuertebatur, donec siccarentur aquæ; qui tamen nunquam postea fuit reuersus, etiam siccatis aquis, sic Psalm.122. Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri; et tamen semper habebimus oculos ad Dominum Deum nostrum, iuxta Psal.16. Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper, et Psalm. 118. Tota die meditatio mea est, simil.Paul.1. Cor.15. Oportet illum regnare, donec ponat inimicos suos scabellum pedum suorum; et tamen Luc.1. dicit Regni eius non erit finis. Non obst.etiam quod dicit Eluidius, si Christus est (inquit ille) primogenitus virginis, ergo habuit alios deindè filios; nam Resp. quod non semper hęc vox primum, aut primogenitum dicitur per comparationem ad secundum, sed id quod solum est, dicitur aliquando primum, et primogenitum. Num.18. Quicquid primum erumpit de vulua cunctæ carnis, quam offerunt Domino, siue ex hominibus, siue ex pecoribus fuerit, tui iuris erit, ita duntaxat, ut pro hominis primogenito precium accipias. Ecce uno

contex-

contextu vocatur primum, et primogenitum etiam id quod solum est; nam aliàs, qui vnum tantùm filium habebat, non teneretur illum offerre Deo, quod est falsum, quia Dei genitrix nullum alium filiũ habebat, qñ filium suum manibus Simeonis obtulit, Luc.cap.2. Non obst. quod in Euangelio dicatur Christum habuisse fratres, quia in literis sacris appellantur fratres illi, qui nobis consanguinitate sunt coniuncti, quamuis non sint ex ijsdem parentibus orti, Genes.13. vbi Loth vocatur frater Abraam, quem tamen eadem scriptura testatur fuisse filium fratris Abraæ Direct.2.p.q.6.n.46.cap. fin.vers.Antidicom.Mariæ 24.q.3.

Secunda hęresis est Nestorij asserentis Beatam Virginem Mariam non esse dicendam Dei genitricem; dicit.n. in Christo esse duas personas, unam uidelicet humanam, secundũ quam Maria dicitur Mater Christi; et alteram diuinam, secundum quam dicit Mariam non esse Mater Dei. Contra quam uide quæ dixi supra tit. de Christo hæresi tertia, Direct.2.p.q.6. n.64.p.2.quęst.13.cap.fin.ver. Nestoriani 24. quæstio.3.

Tertia hæresis docet Mariam relaxare culpas, et peccata, Direct.2.p. in art.Raim.52.

MARTYRIVM. LXXXXVI.

BASILIDES dixit Non esse aliquod crimen negare Christũ persecutionis tępore.

Contra

Contra facit primo Sapient. 1. Os quod mentitur occidit animam: at qui ore negat, corde autem fatetur, mentitur; occidit ergo animam, quæ multo melior est corpore. Nolite enim timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius eum timere, qui potest corpus, et animam mittere in gehennam, Math. 10. et infra dicit, Omnes ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram patre meo, qui in cœlis est; qui aũt negauerit me coram hominibus, negabo et ego eum coram patre meo, qui in cœlis est. Secundo Math. 5. Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniã ipsorum est Regnum cœlorum. Tertio Roman. 10. Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, et in corde tuo credideris, quod Deus illum excitauit à mortuis, saluus eris: corde .n. creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem. Quarto Act. Apost. 1. Eritis mihi testes in omni Iudęa, et Hierusalem, et Samaria, et usque ad vltimum terræ; quod si in persecutione negassent Christum ore, corde autem confiterentur, essent falsi testes, et mendaces, et Prou. 21. dicit Testis falsus peribit.

Secunda hæresis Petiliani Donatistæ docet, Eos qui se pro peccato commisso interimunt, eo quod puniunt in se quod dolent commisisse, debere martyres nuncupari.

Contra hunc errorem facit exemplum Iudæ Math. cap. 27. Tunc videns Iudas, qui eum tradidit,

didit, quod damnatus esset, pœnitentia ductus retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, et senioribus dicens: Peccaui tradens sanguinem iustum: Iudam autem fuisse damnatum nullus Catholicus dubitat; cum Psalm. 108. de eo dicat, Cum iudicatur exeat condemnatus; et oratio eius fiat in peccatum. Fiant dies eius pauci, et episcopatum eius accipiat alter; de qua subrogatione Iudæ dicitur Act. Apost. 1.

Tertia hæresis est Circumcellionum, qui dicunt Omnes, qui mortem vltranei patiuntur, esse martyres dicendos, siue talem mortem ab alijs inflictam patiantur, siue eam sibi ipsis infligant.

Contra facit primo Exod. 20. ibi Non occides, conc. Math. 5. vbi quælibet hominis occisio prohibetur præter illam, quæ ex præcepto Iudicis in vindictam malefactorum fit; si ergo non licèt occidere alium, multo minus se ipsum. Secundo facit ratio, quia hoc esset contra naturalem inclinationem, quę est ad conseruationem uitæ. Tertio si interfectio sui ipsius esset martyrium meritorium, utique Paulus non prohibuisset custodi carceris, qui uoluit se interficere Act. Apost. 16. Direct. 2. p. q. 6. n. 53. c. fin. vers. Circumcelliones 24. q. 3.

MATRI-

MATRIMONIVM. LXXXXVII.

HÆRESIS est asserere Matrimonium esse malum Direct.p.2.q.11.

Item Matrimonij, et Virginitatis nullam esse distantiam 2.p.q.6.

Item Matrimonium dissolui per fornicationem, Turrianus lib.5.cap.10.

Item Matrimonium non esse sacramentum heresis est, Echius tit.11.de matrim.

Idem si quis dicat, eius causam spectare ad Iudicem secularem Turrian.11.lib.5. Hosius tit. de sacram. Matrim. cap.55. et seq. Concil. Trident. sess.24.Can.1. De hoc dicam latius infra verb. Nuptiæ.

MELCHISEDECH. LXXXXVIII.

MELCHISEDECHIANI dicebant, Melchisedech sacerdotem non fuisse hominem purum, sed fuisse Christum, aut aliã quandam Dei uirtutem.

Contra facit primo Genes.14. At uerò Melchisedech Rex Salem proferens panem, et vinum, (erat .n. sacerdos Dei Altissimi,) benedixit ei, et ait: Benedictus Abram Deo excelso, qui creauit cœlum, et terram: et benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus

bus tuis sunt; et dedit ei decimas ex omnibus: ex quibus verbis colligitur quod Melchisedech fuit homo; non autem Christus, nec aliqua Dei virtus; non .n. est Deus vnius regni soli Dominus, nec Deus est Deo sacerdos, neque Deus reddit gratias Deo. Secundo Hebr.7. dicit, q̃ Melchisedech per omnia assimilatus fuit filio Dei; at omne, quod assimilatur alteri, non est eiusdem naturę indiuiduæ cum illo, Spiritus sanctus est eiusdem naturæ cum Filio Dei; non ergo Melchisedech dicitur Spiritus sanctus; Non obst. quod Melchisedech dicatur sine Patre, et sine Matre, et nō habere initium dierum, neque finem vitę; nam Resp. quod per hoc non dicitur, quod non habuerit Patrem, et Matrem, et quod non mortuus fuerit, sed quod scriptura non expresit de Patre, et Matre eius, etiam de eius morte cap. fin. 24. q. 3.

MENDACIVM. XCIX.

IOANNES Cassianus docet hanc hæresim, quòd licitum sit mentiri pro vita hominis saluanda, aut pro magno beneficio homini impendendo, nec solum hoc, sed etiam humilitatis causa, vt videlicet virtutes suas mendacio contegat, de hoc tractat Hosius tit. de octauo præcepto: cap. 83. Cathec. in 8. præc. pag. 480.

Contra facit primo Psalm. 5. Perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Secundo Psal. 14. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut

quis

quis requieſcet in monte ſancto tuo; dixit infer. Qui loquitur veritatem in corde ſuo, qui non egit dolum in lingua ſua. Tertio Sapient. 1. Os quod mentitur occidit animam. Quarto Eccl. 17. Noli velle mentiri omne mendacium: Qui omne mendacium prohibuit, nullo permiſit. Quinto Iob. 27. Nec lingua mea meditabitur mendacium. Sexto com. opin. doct. Aug. ſuper Pſalm. 5. Greg. lib. 18. Moral. Iſid. in lib. Synonymorum, et Ariſt. in 4. Eth. dicit mendacium per ſe malum eſse. Septimo adeſt definitio Eccleſiæ cap. ſuper eo de vſuris, ibi cum ſcriptura ſacra prohibeat pro alterius vita mentiri, Non obſtant exempla aliquorum ſanctorum Patrum, qui uiſi ſunt mentiri, vt Abraam, qui dixit Sarram eſse ſuam ſororem, quæ non erat; nam ad hoc Reſp. eos non fuiſse mentitos, quoniam etſi verum occultarunt, falſum tamen non dixerunt; aliud .n. eſt occultare verum, aliud dicere falſum; præterea dato quod aliquod falſum dixerint, aut ſimulando fecerint, talem falſitatem ſcriptura non laudat; non.n. eorum geſta omnia, quæ in ſcriptura narrantur, propterea quod ſcripta ſunt, laudantur; alioquin fieret, vt aliqua eorum peccata, quæ vt homines commiſerunt, etiam eſſent laudata; quod abſit, vt fuit homicidium, et adulterium Dauid; præterea dato, quod aliqua facta, vel dicta ſanctorum Patrum in facie appareant mendacia, et falſa, et laudantur, illa iuxta Myſterium latens accipienda ſunt, non iuxta literæ corticem,

quem-

quemadmodum Iacob dixit se esse Esaù primogenitum Isaac: Qui iuxta literæ corticem verus non erat; per spiritum tamen prophetiæ, qua vsus est verum dixit, Genes.27. eo.n. facto figurauit, et prophetauit minorem populum, videlicet Gentilium substituendum fore in locum primogeniti, videlicet populi Iudęorum cap. Gaudemus de diuort. vbi ita interpretatur ille textus; ad illud quod dicunt causa humilitatis esse mentiendum, adducunt Math.6. Non videaris hominibus iciunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito et infra: Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua, et iterum, Qui talia opera faciunt receperunt mercedē suam; nam Resp. ex mente diui Augustini, quod Deus per illa verba non opus, sed intentionem prohibuit; prohibuit quidem inanis gloriæ appetitū, ita vt etiam si opera nostra publicè fiant, non hac intentione fiant, vt videantur: ipsam tamen operum manifestationem non prohibuit, alioquin esset sibi contrarius Luc. cap.5. Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est, dixi in summa pec. cap.p.1.q.26.tit.6.

Secunda hæresis docet Mentiri licere contra proprium iuramentum, et Sectam suam, quantum possunt occultare, Direct.2.p.q.12.hær. 20. et q.14.hær.3.

MENDICITAS. C.

IOANNES Vuicleph et impius Lutherus docent Non esse licitam mendicitatem; quapropter Monachos mendicantes execrarunt dicentes, illos debere viuere per labores manuum, non per mendicitatem.

Contra facit primo Math. 10. ibi Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in Zonis vestris, deindè dicit, non peram in via, neque duas tunicas, neque calciamenta, neque virgam, et ostendit vndè habituri sint elemẽta, dicens. Dignus est operarius mercede sua, Luc. 10. et alibi Mat. 10. Dignus est mercenarius cibo suo, et 1. Cor. 9. Quis militat suis stipendijs vnquam? quis plantat vineã, et de fructu eius non edit? quis pascit gregẽ, et de lacte gregis nõ comedet? et infra Si nos vobis spiritualia seminamus; magnum est, si nos carnalia vestra metamus? et 1. Corint. 16. decernit se facturum collectas pro sanctis in Ecclesia Macedoniæ. Secundo facit com. opin. doct. Aug. in Psal. 108. Nutantes transferantur filij eius, et mendicent, et Ambr. libr. de Vinea Naboth, Theoph. super Luc. cap. 10. Tertio adest definitio Eccl. Concil. Vien. sub Clem. 5. et Concil. Constant. 8. artic. 24. Non obst. Deut. 15. Omnino egens, et mendicus non erit inter vos; nam Resp. illa verba non esse prohibitoria, sed promissoria: Hoc .n. Deus promittit seruanti legem

gem suam iuxta illud Esa. 1. Si audieritis me, bona terræ comedetis, quòd si essent prohibitoria peccasset Helias mendicans à Vidua, et lazari mendicitas non laudaretur Luc. cap. 16. Secundo Resp. quòd Dominus ibi præcipit, vt tantam pauperum curam haberent, vt non sinerent illos propter inopiam mendicare 3. Reg. 17. Non dederunt pauperes in terra habitationis tuæ; id circo præcipio tibi, vt aperias manum tuam fratri tuo egeno, et pauperi, qui tecum versatur in terra. Secundo non obst. Psalm. 36. Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem; nam Resp. ex mente Augustini, ibi non esse intelligendum de pane corporali, quem constat à multis iustis fuisse quæsitum; sed de pane spirituali verbi Dei; quem panem nunquam Deus iustis denegauit; panem tamen corporalem sæpè numero Deus iustis negauit, vt per talem præsuram melius valeant assequi Regnum Dei.

MERITVM. CI.

INTER alios Lutheri errores is vnus est, qui ait, Nullum esse hominis meritum ad gloriam assequendam. Tantum enim gratiæ tribuit, vt nullum locum relinquat libero arbitrio.

Contra facit primo Eccl. 16. Omnis misericordia faciet locum vnicuique secundum meritum operum suorum. Secundo Luc. 20. vbi paterfamilias mittit operarios in vineam suam,

ibi Nonne ex denario conueniſti mecum? Tolle quod tuum eſt, et vade; tuum dixit quoniam oſtendit illud denarium eſſe debitum, ſed vnde debitum, certè ex conuentione. Tertio Marc. 9. Quis quis potum dederit vobis calicem aquæ frigidę in nomine meo, quia Chriſti eſtis; amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam. Quarto 1. Corint. 3. Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem. Quinto Hebr. 3. Beneficentiæ, et communionis nolite obliuiſci; talibus.n.hoſtijs promeretur Deus. Sexto Sapient. 3. Tentauit illos Deus et inuenit illos dignos ſe; ſi digni, ergo meritum habentes. Septimo ad Theſ. 1. loquens de tribulationibus dicit, Quas ſubſtinetis in exemplum iuſti iudicij Dei, vt digni habeamini Regno Dei, pro quo et patimini. Octauo Coloſ. 1. Dignos nos fecit in parte ſortis ſanctorum; Non obſt. quod Paulus dicat, quod Deus fecit nos dignos, ergo non ex nobis: nam Reſp. quod nos non ſumus ex nobis ſufficientes ad gloriam promerendam; ſed quòd illam mereamur eſt ex gratia Dei, quæ nos et præuenit, et euntes comitatur. Itaque Deus per gratiam, quam nobis donat, facit nos dignos ſe, ergo habet aliquam meriti rationem. Non obſt. Roman. 8. vbi ait Apoſtolus, non eſſe condignas paſsiones huius ſeculi ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis; nam Reſp. hìc non accipi meritum, vt obligationem, et æqualitatẽ naturalem innuat, ſed aliam æqualitatem, quæ non inſurgit ex natura

tura rerum, sed ex pacto quodam; quo pacto inito æquale erit opus, quod antè non diceretur æquale, et debitum diceretur, quod aliàs non diceretur sic, quia Deus promisit seruanti mandata se daturum vitam æternam; post talem promissionem debet Deus dare gloriã seruanti sua mandata. Quod debitum non oritur ex operibus nostris, sed ex benignitate Dei, quia promittens nobis se ipsum obligare voluit. Hosius lib. confessionis Catholicæ fidei cap. 73. Cathe. in sacram. pœnit. pag. 320. et seq.

Secunda hæresis est tota huic proximè contraria; quoniam ait, Hominem sine auxilio gratiæ Dei posse ex sua virtute naturali promereri vitam æternam.

Huius hæresis Author est Pelagius, de qua dixi supra Tit. de Gratia.

MIRACVLVM. CII.

INTER alios errores Vualdensium est vnus, quo dicunt Nulla vera miracula fieri in Ecclesia, de quibus agitur in Concil. Trid. sess. 25. Tit. de Inuocatione.

Pro tollendo hunc errorem notandum est, quòd miraculum est res insolita supra naturæ potentiam operata.

Itaque duo oportet inesse, vt aliquod possit dici miraculum; quòd videlicet sit supra naturæ potentiam, et quòd non sit ex communi consuetudine: de his Hosius Tit. de traditionibus

cap.92. Quod si alterum horum desit, minimè miraculum est dicendum; hac de causa creatio animæ humanæ non est censenda miraculum; quia etsi illius creatio excedat potentiam naturæ, non est tamen res insolita; cum Deus quotidie nouas creet animas. Eadem ratione si vnus homo nascetur cum septem digitis in qualibet manu, non dicitur miraculum, quia licèt sit insolitum, non tamen excedit potentiam naturæ, quoniam à causis naturalibus hoc procedere potest. Contra facit primo Psalm.77. Et obliti sunt benefactorum eius, et mirabilium eius, quę ostendit eis. Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Egipti, in campo Thaneos; Secundo Exod.11. ibi Vt sciatis, quanto miraculo diuidat Dominus Ægiptios, et Israel. Tertio Num.26. Et factum est grande miraculum, vt Chore pereunte filij illius nõ perirent. Quarto Ioan.5. illic inuenies cęcos visui restitutos, claudos ambulantes, Paralyticos sanatos, leprosos plures mundatos, mortuos suscitatos; quòd si Vualdenses suam assertionem restringunt ad miracula, quæ à sanctis fieri dicuntur, adhuc eorum assertio est hæretica; nam de Petro dicitur Act.Apost.3. quod ad vocem Petri consolidatæ sunt bases cuiusdam claudi petentis elecmosynam ante fores templi, et Act.9. Sanatus est alius, qui fuerat Paralyticus iacens in lecto annis octo; Non obst. quod dicit Psalm.17. Ille est, qui facit mirabilia magna solus; nam Resp. verum esse, illa omnia à solo Deo fieri,

sed

sed vt Deus illa fecerit, sanctorum merita sunt in causa; ad quorum exaltationem Deus vult miracula fieri, et quia propter merita illius sancti fiunt, dicuntur fieri ab illo sancto: dicitur enim Ioan. 14. Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quę ego facio et ipse faciet, et maiora horum faciet. Aduerte, quod non dixit maiora horum propter merita illius, ego faciam, sed dixit ipse faciet, et maiora horum faciet, et apud Marc. cap. vlt. Signa eos, qui crediderint hæc sequentur. In nomine meo Dęmonia eijcient, non dixit, ad eorum preces ego eijciam, sed dixit, ipsi eijcient, ipsi serpentes tollent, ipsi linguis loquentur nouis.

MISERICORDIA. CIII.

MISERICORDIAE opus magis placere Deo, quàm sacrificium altaris, error est Arnaldi. 2. p. q. 11. Direct.

MISSA. CIIII.

IOANNES Vuicleph hæreticus docet Missam non esse à Christo institutam, sed humanis inuentionibus Ecclesiæ illatam.

Pro tollendo hunc errorem dicendum est, quòd Missæ substantialia quatenus est consecratio Eucharistiæ sub utraque specie, oblatio illius, et sumptio oblationis, certum est, quod Christus Missam ordinauit Luc. 22. ibi Chri-

ſtus poſtquam corpus ſuum Diſcipulis manducandum dedit, dixit: Hoc facite in meam commemorationem. Quibus verbis Diſcipulis precepit, vt illud, quod ipſe fecit, illi facerent in commemorationem eius. Secundo adeſt com. opin. doct. ex qua colligitur, quòd Miſſa hoc modo ſumpta, eſt à Chriſto inſtituta, hoc dicit Rabanus lib. j. de inſtit. Cler. cap. 32. Iſid. lib. j. de Eccl. offic. cap. 15. Ambr. in Miſſa Cœnæ Domini, Euſebius Miſſenus ſerm. 5. in Paſcha te, Chryſoſtom. in opuſcolo de ritu Miſſæ, Cyprianus lib. 2. Epiſtol. 3. Alex. 1. in 1. Epiſt. ad fideles, Martialis Diſcipulus Domini Epiſt. ad Burdeg. cap. 3. Tertio adeſt definitio Eccleſia Concil. Conſtantienſis artic. 5. tot. tit. de celebr. Miſſ. Concil. Trident. ſeſſ. 22. Can. 2. Alia verò ſucceſſu temporis ab Apoſtolo Petro eiuſque ſucceſſoribus addita ſunt vt teſtantur Vgo lib. de ſacramẽtis, Iſid. lib. 1. de offic. Eccl. c. 15. Remig. de offic. Miſſę, et ex antiquis Theleſphorus in Epiſt. ad oẽs chriſtianos, Clemens 1. in Epiſtola 3. Abdias Babiloniæ Epiſcopus lib. 7. Apoſtolicæ hyſtoriæ. Cathec. de ſacram. Euch. pag. 274. et ſeq.

Secunda hæreſis Martini Lutheri eſt, qui negat Miſſam eſſe ſacrificium, immo quo multo peius eſt negat, Miſſam eſſe aliquod opus bonum: de hoc tractat Concil. Trident. ſeſſ. 22. cap. 1. 3. et ſeq. et in Bulla Pij 4. de profeſſ. fidei Hoſius tit. de ſacram. Euch. cap. 41.

Contra facit primo ratio, quia tanta eſt legis

et ſa-

et sacerdotij connexitas, vt alterum ab altero auelli non possit Hebr.7. si vbi lex est, sacerdotium adest, vbi erit sacerdotium, erit et sacrificium; at legem Euangelicam habemus, ergo et legis Euangelicæ sacrificium adest. In lege .n. naturæ, quæ vna fuit apud omnes, aliqua fuerunt sacrificia, vnde Iob.1. offerebat holocausta per singulos dies, ne fortè filij eius peccassent; lex quoque Mosayca erat sacrificij plena; Populus quoq; gentilis iuxta diuersitatem Idolorum diuersa habebat sacrificia; multo ergo magis in lege Euangelica, in qua clariorem Dei cognitionem habemus, necessarium est, vt aliquod sit in ea sacrificium excellentius omnibus aliorum legum. Tale autem nullum reperiri potest, nisi in Missa, in qua verum Christi corpus, verusq; eius sanguis Deo offertur, Missa ergo est sacrificiū. Secundo ad conuincendam hanc hæresim supponendum est, quòd quatuor considerantur in omni sacrificio: primo cui offertur, qui est ipse Deus, et hoc non reuocatur in dubium: secundo à quo offertur, et iste est sacerdos, de quo dicam infra ver. Sacerdos: tertio quid offeratur, de quo modo dicemus: quarto pro quibus offeratur de quibus dicemus in seq. hæresi; quid autem offeratur? Resp. quòd in sacrificio Missæ offertur corpus, et sanguis Christi, quod probatur Hebr.7. vbi Paulus de Christo dicit, eum esse intelligendum secundū Prophet. Psal.109. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. In cuius sacerdotio

cerdotio (vt figura conreſpondeat figurato) nihil aliud expreſsit ſcriptura niſi quòd panem et vinum obtulit Deo pro victoria, quã habuit Abraam contra quinq; reges Geneſ.c 14.at nihil habetur in lege Euangelica, niſi ſanctiſsima Euchariſtia, in qua ſub ſpeciebus panis, et vini latet corpus, et ſanguis Chriſti: ſequitur, Miſſam, in qua talis oblatio fit, eſse verum ſacrificium; ex miſtyco.n. ſenſu licitum eſt accipere argumentum ad probandum dogma, quando ex alijs ſcripturis conſtat ipſum eſse verum ſenſum, Auguſt. in Epiſt.ad Vinc. Donatiſtam; ex ſcripturis autem hoc idem infra probabitur; ideò ex tali figura colligitur argumentum. Hanc figuram pro Chriſti ſacerdotio intellexit Eucher. in commentarijs ſuper Geneſ. Aug. lib.16. de ciuit. Dei cap.22. Chryſoſtom. Homil.13. ſuper Epiſtol. ad Hebr. Theodoret. in commentarijs ſuper Geneſ.Haym.5. ad Hebr. Caſsiod. ſuper Pſalm.103. ver. Tu es ſacerdos etc. Iſid. de offic. Eccl.cap.18. Hieron. in Epiſtola ad Euagrium, Euſebius Miſſenus in ſerm.5. de Paſchate, Euſebius Cæſarienſis libro 5.cap.3.demonſtrationis Euangeliſtæ, Cyprian. Epiſt.3.lib.2. Tertio facit figura de agno paſchali, de qua dixit Ioan.1. Ecce agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi, et multo apertius Ioan.19. vbi reddit rationem, quare Iudæi non fregerunt crura Chriſti, dicens Facta ſunt autem hæc, vt ſcriptura impleretur. Os non cõminuetis ex eo: quæ verba habent Exod.12.

quæ

quæ autem in manducatione agni paschalis fieri lex mandauit, figura sunt eorum, quæ fideles facere tenentur, quando sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sumunt, Greg. Homil. 22. et Rupertus Abbas super Exod. Cypria. Epist. 3. lib. 2. Quarto Dan. 12. ibi Et à tempore, cum ablatum fuerit iuge sacrificium, et posita fuerit abominatio in desolationem dies mille ducenti nonaginta; in quibus verbis Missę celebratio ostenditur sacrificium; nam tempore Antichristi, de quo ibi loquitur, mali sacerdotes timore perterriti non audebunt publicè Missas celebrare; boni verò dimittent per tres annos, et dimidium, ne tam excellens sacramentum habeatur in contemptum, et irreuerenter tractetur. scriptum est enim, nolite sanctum dare canibus, et nolite mittere margharitas ante porcos. Quinto facit Prophetia Malachiæ loquens aperte Missam esse sacrificium Malac. 1. ibi Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu. n. Solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus, et omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda; quia magnum est nomen meum in Gentibus. Ecce repudiantur ibi sacrificia veteris legis cum dicit, Munus non suscipiam de manu vestra; et cum dicit. In omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda, de Eucharistia loquitur, quæ ex se munda est, et à nulla persona munditiam capit,

ita

ita interpretatur Aymon, Damasc.lib.4.c.14. de fide Orthodoxa, Eusebius Cæsar. lib.7. demostr.Euang.cap.10. Iustinus Martyr in Dialogo cum Tri phone aduersus Iudæos, Ireneus lib.4. cap.32. aduers. hæreses. Sexto facit Luc. cap.22. ibi Et accepto pane gratias egit, et fregit, et dedit eis dicens, Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, Hoc facite in meam commemorationem, vbi corpus suum in cœna pro nobis obtulit Deo, vt testatur Rupertus in commentarijs super Genes. Beda super Marcum ver. Et manducantibus illis, Hier. in Psalm. 109. ver. Tu es sacerdos in æternum etc. Ambr. in Missa de Cœna Domini, Euseb. 1. demostr. Euang.cap.10. allegans Psalm.22. Parasti in conspectu meo mensam contra eos, qui affligunt me. Pinguefeci sti in oleo caput meum, et calix tuus inebrians, quam præstantissimus Cyprian. lib.2. Epist. in Epist.3. Septimo, et vltimo facit Concil. Tolet. duodecimum c.5. cap. firmiter de Summa Trin. et fide cath. Sexta Synodus generalis cap.32. Concil. Ephes. ad quæ addo Concil. Trident. sess.22.cap.1. et seq. Non obst. quod dicit impius Lutherus, Missa est quædam commemoratio cœnæ dominicæ; at Christus cœnans non obtulit corpus, et sanguinem suum, sed postea moriens in cruce; sacerdos ergo in cœna non sacrificat, nec offert Deo corpus, et sanguinē Christi, quia dixit Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis; nam Resp. Missam esse non solum

lum repręsentationem cœnæ dominicæ, sed etiã passionis Christi. Paulus 1.Cor.11. Quotiescunque manducabitis panem hunc, et calicem Domini bibebitis, mortem Domini annunciabitis donec veniat; cum igitur Christus moriens se ipsum sacrificauerit, et obtulerit Deo Patri in cruce, iure possunt sacerdotes offerre in Missa, quæ est quædam passionis Christi repręsentatio; præterea Resp. falsum esse, Christum in illa sanctissima cœna non obtulisse Deo Patri corpus, et sanguinem suum; bis ergo corpus, et sanguinem suum pro nobis obtulit Deo Patri: primo qñ cœnauit; secũdo qñ affixus est cruci; ad illud, qđ dicit Exemplũ dedi vobis etc. Resp. illa verba esse dicta à Christo non qñ cœnauit, sed qñ lauit pedes Discipulorũ suorum; iuxta q̃ lectionẽ dixit, Exemplũ dedi vobis etc. Non obst. secundo quod dicentes Missam esse sacrificium, Christum spoliant illo magno honore sacerdotis æterni; nam Resp. quod sacerdotes non dicuntur suffraganei, neque consortes Christi, vt fatetur Caluinus; sed illius ministri, per quos ille suum sacerdotium in æternũ exercet; vnde 1.Ioan. ibi Hic est, qui baptizat in Spirito sancto, vbi Aug. notat malitiam sacerdotis non obstare sacramento, idem Eusebius Missenus serm. quinto de Pascha. Tertio non obst. quod dicit Caluinus, quod virtutem passionis, et mortis Christi minuimus, dum Missam dicimus esse sacrificium; quia hoc ipso fatemur (inquit ipse) sacrificium mortis Christi,

sti, non esse sufficiens ad remissionem peccatorum, cum opus sit toties illud in Missa iterari; nam Resp. Christum fecisse duas oblationes valdè diuersas, alteram incruentam in cœna, alteram cruentam in cruce; vna quidem, et eadem fuit in ambabus oblationibus hostia, corpus videlicet suum, quod in vtraque oblatione obtulit Deo, sed quia bis et diuersis modis idem corpus suum Deo Patri obtulit, ideo dico illum duas, et diuersas fecisse sui corporis oblationes; non .n. fit vt suppleamus defectum oblationis factæ à Christo in cruce; sed Missam celebramus, vt per Eucharistiam, sicuti per alia sacramenta, virtus, et meritum passionis Christi applicetur sacerdoti celebranti, et illis pro quibus celebrat. Corpus, et sanguis Christi in Missa offertur Deo Patri oblatione incruenta in sanctificationem pro peccatis nostris, et ideò oportuit talem oblationem in Missa fieri, quæ iterari posset, vt per illam possemus quotidie expiare peccatà, quæ quotidie committimus, et quotidie iteramus; et quia ille non potest iam mori, dedit nobis hoc sacramentum corporis et sanguinis sui, vt sicut passio illius redemptio, et ablutio fuit Mundi, ita etiam ista oblatio, redemptio, et mundatio sit omnibus in vera fide offerentibus, bonamque intentionem habentibus. Non obst. quarto, quod dicit Lutherus Missam non esse sacrificium, dicens, Eucharistia est testamentum Christi, ergo non est oblatio à sacerdotibus facta; nam testamentum est

pro-

promissio testatoris; sacrificium verò offertur altari, pugnāt autem promittere, et offerre. Quod autem Eucharistia sit testamentum probatur Luc.22. ibi Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, et Paul.1.Corint.11. nam Resp. falsum esse Eucharistiam esse testamentum iuxta veram illius significationem: quia Eucharistia non est promissio, sed est donum, qđ Christus dedit proximus morti; quod aūt testator antè mortem suam donat, non est testamentum, sed donatio; ad illud Lucæ 22. dicendum est esse intelligendum, iuxta Math.26. et March.14. vbi dicitur Hic est calix sanguinis mei noui testamenti, quia nouum testamentum fuit sanguine Christi confirmatum; ita interpretatur Beda, et Haymon. super Paulum ad Hebr.9. Innoc.3.cap. cum Marthæ de celebr. Miss. sic interpretatur Exod.24. ibi Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his: sanguinem fœderis dixit, quia illo sanguine confirmauit Dominus Fœdus, qđ pepigit cum filijs Israel, vnde Paul. ad Hebr.9. Vbi.n. testamentum, mors necesse est intercedat testatoris, et ita interpretatur Anselm.d.loco: iuxta hunc sensum intelligendus est Nich. de Lyra super Psal.110. vbi Missam appellat testamentum, et dicitur testamentum; quia Missa est in testamento Christi contenta, et in illo nobis mandata: et dicitur sacrificium, quia in illa offertur Deo Patri corpus, et sanguis Christi filij sui. Quinto non

obst.

obst. quod dicit Lutherus, arguens ex ratione doni, sic dicens: Eucharistia est donum Dei, quia Christus dicit, Accipite et comedite ex eo omnes. Ergo non potest esse oblatio nostra; pugnant enim (vt ille ait) inter se donum, et oblatio; quia non potest quis rectè alteri offerre, quod ab illo accepit: nam Resp. Eucharistiam esse donum, et illud quidem maximum; non tamen sequitur, quòd non possimus illud donum Deo offerre; nam hac ratione meritò dicere, possemus nihil nos posse Deo offerre, quia nihil habemus, quod non sit ab illo nobis donatum, Psalm. 49. Meæ sunt omnes ferę syluarum: iumenta in montibus, et boues; et tamen sacrificia veteris legis fiebant ex illis. Præterea cor contritum, et humiliatum, quod fatetur Lutherus esse verum sacrificium, est nihilominus donum Dei, Paul. 1. Cor. 4. quid habes (inquit) quod non accepisti? Sexto non obst. arg. Lutheri dicentis, idem simul recipi, et offerri non potest, neque ab eodem accipi simul, et dari, ergo sacerdos dici non potest, quod offerat Eucharistiam, quam totam sumit; est .n. natura sacrificij, vt totum Deo offeratur, et nihil hominibus relinquatur; nam Resp. falsum esse, quod de natura sacrificij, vt totum Deo offeratur, et nihil hominibus relinquatur, Psalm. 49. Nunquid manducabo carnes Taurorum, aut sanguinem hyrcorum potabo? si Deus non comedebat carnes, quæ tunc illi offerebantur, non periebant, sed multę ex præcepto Domini manebant

penès

penès sacerdotes cap.2. 5. et 7. Leuit. Erat tamē aliquod sacrificium dictum holocaustū, quia totum comburebatur igne, non ex natura sacrificij, sed ex peculiari modo offerendi illud, aliàs omnia sacrificia essent eiusdem conditionis.

Tertia est hæresis, quæ ait Missam non posse offerri pro peccatis, nec posse prodesse viuis, aut defunctis, sed soli sacerdoti: dicit .n. Lutherus, impium esse, si Missa canatur pro peccatis.

Contra facit primo Heb.5. ibi Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quę sunt ad Deum, vt offerat dona, et sacrificia pro peccatis. Secundo est com.opin.doct.Chrysost. Homil.69. Ambr. in Epistol. Consolat. ad Faustum, Aug. lib.9. Confes.Cyprian. lib.1. Epist.9. Tertull. lib. de Corona Milit. Alex.1. in Epist.ad omnes fideles. Tertio adest defin.Eccl.Concil.Cabil. cap. visum est de consec.distin.1. addo Concil. Trident. sess.22.cap.2. de his Echius tit.17. de sacrificio Missæ Concil.Trid.sess.22.Can.3.

Quarta est hæresis asserens Impostura esse Missam celebrare in honorem sanctorum, Concil.Trident.sess.22.Can.5.

Quinta asserens Canonem Missæ errare ibid. Can.6.

Sexta damnans cęremonias, et indumenta, quibus in Missa vtimur ibid.Can.7.

Septima asserens Missas abrogandas, in qui-

bus solus sacerdos sacramentaliter communicat ibid. Can. 8.

Octaua dicens, et damnans ritum consecrationis submissa voce, necnon lingua vulgari celebrari debere, et aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit cõtra Christi institutionem ibid. Can. 9.

MONACHATVS. CV.

VVALDENSES dixerunt Mendicantium Religiones fuisse malorum Dęmonum inuentionem, Ioannes verò Vuicleph damnauit omnem statum Monachorum, quem sequutus est Lutherus.

Contra facit primo com. opin. doctorũ Thomas Vualdensis Carmelita. 1. Tomo doctrinalis fidei, Albertus Magnus in defensorio mendicantium, S. Thom. lib. de sancto Amore, Chrysostom. in 3. libris vitæ Monasticæ, Iodicus in lib. de stat. Monac. Ioan. Reffes. in opere contra Lutheri captiuit. Secundo adest definitio Ecclesiæ Concil. Constantiens. sess. 8. vide quæ dixi supra de Mendicitate, et quæ dicam inferius de Voto, Turrianus lib. 5. cap. 2. Hosius de confessione fidei cap. 88. et tot. tit. de St. Mon.

MVLIER. CVI.

PEPVSIANI hæretici dixerunt Mulieres iustè posse ad sacerdotium promoueri, quam

quam hæresim sepultam suscitauit Martinus Lutherus.

Contra hanc hæresim primo facit ratio, quia sacerdotis partes sunt tres; prima, corpus Christi ex pane conficere; secunda, audire peccata in confessione, et ab illis absoluere; tertia, docere populum; nullum autem istorum potest Mulier: potestas .n. consecrandi fuit data Apostolis, cum Dominus dixit, hoc facite in meam commemorationem; quod si non potest circa corpus Christi verum, nec etiam circa corpus Christi mysticum, quod innititur circa corpus Christi verum; non potest ergo nec pœnitentes absoluere; qui .n. consecrare non potest, nec etiam absoluere potest; quod patet etiam in potestate collata absoluendi, quæ data fuit Apostolis, non autem mulieribus, Ioan. 20. ibi Quorum remiseritis peccata, remissa erunt etc. et dato quod de hoc nullum esset sacræ scripturæ testimonium, ratio est in promptu, quarè non possint confessiones audire, quia sunt garrulæ, male audientes de taciturnitate, et parum tacent si quid secretius audiant. Secundo sacerdoti ex officio competit doctrina Malac. 2. Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent de ore eius, quia Angelus Domini exercituum est, quod munus manifestè prohibetur mulieri, Paulus 1. Timot. 2. ibi Mulier in silentio discat cum omni subiectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio. Si ergo mulier non potest con-

secrare, absoluere, et docere, sequitur quod officio sacerdotis minimè fungi possit.

Secunda hæresis est Mulieris obsculum esse peccatum mortale; non autem concubitum, Direct. 2. p. q. 7. hær. 7.

Tertia est Mulierem nunquã ab homine esse tangendam 2. p. q. 13. hær. 14.

MVNDVS. CVII.

VNA est hæresis, quę dicit Materiam elementorum, ex qua factus est mundus, non esse factam à Deo, sed esse Deo coęternam.

Huius hęresis Authores fuerunt Seleucus, et Hermias, et alij.

Contra facit, quod habetur in 1. Genes. de Creatione mundi, et quod habetur 1. Ioan. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, et iterum In mundo erat et mundus per ipsum factus est; alia asserit Plures mundos esse cap. fin. in fine 24. q. 3. Direct. 2. p. q. 6. n. 70.

Secunda hæresis docet Mundum non esse finiendum, et hæc est Albanensium.

Si capiant mundum pro sola elementorum et cœlorum substantia, talis sententia non est hæretica, quia peracto iudicio cęlum manebit, et etiam elementa iuxta eorum substantiam, immo puriora, quàm nunc sunt: si verò capiatur mundus pro habitatoribus mundi, pro vt capit Ioan. 1. Mundus eum non cognouit, et Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium

suum

suum vnigenitum daret, iuxta hanc mundi significationem error est apertus dicere, mundum non esse finiendum, quia iudicium vniuersale est futurum, in quo omnes comparebunt, quod si non finiretur, non posset fieri, quoniam quod infinitum est, nunquam poterit in vnum comprehendi.

Tertia hæresis docet Mundum esse creatum ab angelis, non à Deo, quam docuit Simon Magus.

Contra faciunt, quæ dixi supra tit. de Creaturis hæresi. 1. Direct. 2. p. q. 6. n. 3. c. fin. vers. Menandriani 24. q. 3.

Quarta hæresis docet Mundum factũ à Deo, sed ponunt plures Deos.

Contra quam dixi supra tit. de Deo hæresi. 1.

Quinta hæresis docet Hunc mundum, etiam post resurrectionem mortuorum in eodem statu, in quo nunc est, esse mansurum, neque ita esse mutandum, vt sit cœlum nouum, et terra noua.

Contra facit primo Psalm. 101. Initio tu Domine terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli, ipsi peribunt, tu autem in æternum permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent, et velut amictum mutabis eos, et mutabuntur. Secundo Isa. 30. Luna fulgebit, vt sol, et sol septuplum lumen accipiet; vbi interitum significat pristinorum, sed commutationem in melius. Tertio 1. Corint. 7. Præterit enim figura huius mundi, consideremus,

quid dixerit figura præterit, non substantia: Quarto Math.24. Cœlum, et terra transibunt, quæ verba intelligit Hier. sicuti d. Psalm.101. Quinto 1.Petr.3. ibi Nouos cœlos, et nouam terram, et promissa ipsius expectamus. Sexto Esa.30. Ecce enim ego creo cœlos nouos, et terram nouam, et non erunt in memoria priora. Septimo Apocal.21. Vidi cœlum nouum, et terram nouam dicit non quod alia sint, sed quia in melius omnia mutata, vt inquit Hieron. cap.65. Isaiæ.

NEGANTES. CVIII.

NEGANTES Deum ore tantum metu supplicium non peccare, hæresis est Director.2.p.q.10.hær.7.

NOX. CIX.

NOCTIS vigilias culpandas esse hæresis est, Direct.2.p.q.6.nu.62.cap.fin. ver. Hyctages 24.q.3.

NVDITAS. CX.

FVIT hæresis Adamianorum dicentium Nuditatem esse bonam et honestam.

Contra facit, quia et si Adæ nuditatem in paradiso imitentur, illius tamen innocentiam non seruant, immo peccatum augent illius, quoniam

niam licèt ante peccatum, Adam, et Eua fuiſsent nudi, poſt peccatum tamen fecerunt ſibi perizomata, et Deus fecit illis tunicas pelliceas, Ganeſ.3. et Deuter.22. ſtatuit Deus populo Iſrael quoddam genus veſtimenti, per quod ab alijs nationibus diſtingueretur, et Exod.39. ſacerdos ex præcepto peculiare habebat veſtimentum, cũ offerre debebat, et intrare in Sancta ſanctorũ, deinde Ioan.19. veritatis magiſter inconſutilẽ tunicã habebat de ſuper contextã, Direct. 2.p.q.6.n.14.cap.fin. ver. Adamiani 24.q.3.

Alia hæreſis docet Nudibus pedibus ambulare cap.fin.in fine 24.q.3.Direct.2.p.quæſt.6. numero 70.

NVPTIÆ. CXI.

PRIMA hæreſis Tatiani docet Nuptias eſſe illicitas, omnesque illos peccare dicunt, qui nuptiarum fœdera inter ſe iungunt.

Contra facit 1.Timot.4. ibi Spiritus autem manifeſtè dicit, quia in nouiſsimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, et doctrinis, Dęmoniorum Hypocriſi, loquentium mendacium, et cauteriatam habentium ſuam conſcientiam prohibentium nubere. Secundo Ioan.2. vbi Chriſtus interfuit nuptijs, easque decorauit. Tertio ſi eſsent malę, Chriſtus eſset author malorum, quia eas inſtituit Geneſ.1. ibi Creſcite, et multiplicamini, et replete terram. Quarto Math.19. Chriſtus

approbauit nuptias, cum dixit, Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio masculum, et fœminam fecit eos, et dixit, propter hoc ergo relinquet homo Patrem et Matrem, et adhærebit vxoris suæ, et erunt duo in carne vna, itaquè iam non sunt duo, sed vna caro, quod ergo Deus coniunxit homo non separet. Quinto 1.Corint.7. His autem, qui matrimonio iuncti sunt præcipio non ego, sed Dominus vxorem à viro non discedere, et rursus, Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem; si autem acceperis vxorem non peccasti, et si nupserit virgo non peccat. Sexto ad Hebr.13. Honorabile connubium omnibus, et thorus immaculatus. Septimo 1.Petr.3. vbi Petrus præcipit mulieribus, vt sint subditæ viris suis, et viris præcipit, vt præstent honorem mulieribus, tanquam cohæredibus gratiæ. Octauo adest definitio Ecclesiæ Concil. Grangrense c.14. Conc.Brac.1. capitul.11.

Secunda hæresis est, quæ primas nuptias admittit, secundas tamen damnat.

Huius hæresis Authores sunt Cathaphryges quorum Princeps fuit Montanus, et multi alij.

Contra hanc hæresim facit primo Deut.25. ibi Vxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater eius, et suscitabit semen fratris sui, et primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit. Secundo ad Rom.7. Mulier viuente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est à

lege

lege viri, vt non sit adultera, si fuerit cum alio viro, et 1.Corint.7. Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius viuit. Quod si dormierit vir eius liberata est à lege; cui autem vult nubat tantum in Domino. Tertio multi viri sancti plures successiuè habuerunt vxores Abraam Genes.25. Sara habuit plures viros. Tob.6. Quarto definitio Eccl. Concil.Nic. et Concil.Florent.

Tertia hæresis negat In nuptijs aliquid esse sacramenti.

Huius hæresis Authores fuerunt Armeni, quos sequutus est Lutherus negans Matrimonium esse institutum in signum, illudque esse sanctum, contra facit Cathe.de sacram.matrim.

Quod autem Matrimonium sit sacramentum institutum in signum facit primo ad Ephes.5. ibi Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo, et in Ecclesia. Secundo adest definitio Ecclesiæ Conc.Constantiense sess.15. et Concil.Trid.sess.7.Can.1. Non obst. quod dicit Caluinus in opere de institutione christiana c.19. dicens Matrimonium ante tẽpora Gregorij non esse sacramentum cognitum; nam Resp.quod Ambr. exponens illud Pauli proximè citatum, illud appellat sacramentum, idem dicit Aug. lib. de bono Coniugali cap.7. Qui integro seculo ante Gregorium fuere. Non obst. secundo quod dicit Lutherus, quòd locus Pauli Græcè non dicitur sacramentum, sed Mysterium; nam Resp. si coniugium maris et fœminæ

minæ repreſentat coniugium Chriſti cum Eccleſia, ergo ſignum eſt alterius rei, quod dicitur ſacramentum; præterea in verbis conſecrationis calicis adſunt verba, Myſterium fidei, quod tamen eſt ſacramentum. Non obſt. tertio quod dicit Lutherus, Matrimonium fuit ab initio mundi, et adhuc permanet apud infideles: non minus .n. erant matrimonia Patrũ ſancta, quàm noſtra, nec minus vera infidelium, quàm fideliũ, nec tamen in eis ponunt ſacramentum; nam Reſp. quod hæc duo falſa ſunt; primum falſum eſt, matrimonium ſanctorum Patriarcharum non eſſe ſacramentum; nam omnes doctores tenent matrimonium illorum ſanctorum virorum, qui in lege naturę aut Moyſi vixerunt, fuiſſe verum ſacramentum, quia cum illi Deo reuelante habuerint fidem Chriſti incarnandi, matrimonium illorum fuit ſignum coniunctionis illius, qua Chriſtus cum Eccleſia tanquam cum ſponſa ſua coniungendus erat; ſicut matrimonium, quod nunc cum fide Chriſti incarnati contrahitur, ſignum eſt illius coniunctionis, qua Chriſtus iam coniunctus eſt cum Eccleſia: ſecundum falſum eſt, matrimonia infidelium eſſe æqualia matrimonijs chriſtianorum cum apud Gentiles matrimonia talia fuerint, vt apud multos eorum vix vllum fuerit verum, rectumque matrimonium; ſed potius proſtribula, et ſcorta, et licèt cap. Gaudemus de diuort. appelletur matrimonium infidelium ſacramentum, hoc non eſt propriè, et verè ſacramentum, ſed

ſolum

solum ita dicitur propter vinculum indissolubile, sed non quod sit vere signum repręsentans coniunctionem Christi, et Ecclesiæ; cum igitur sit ostensum matrimonium esse sacramentum, sequitur, quod ex eo conferatur gratia; præterea qui vxori suæ copulatur, non causa libidinis explendæ, sed solum propter Deum, vt reddat debitum vxori petenti, et vt prolem gignat ad Dei seruitium, Spiritum sanctum habet, nisi aliquid aliud extraneum accedat, quod præsentiam Spiritus sancti impediat: nam qui sic illud facit, iustitiam operatur, et ideo augumentum gratiæ meretur. Diligentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum Paul. ad Roman. 8. prętera habetur 1. Genes. Benedixit illis Deus, et dixit, crescite, et multiplicamini; non enim est verisimile, quod tantùm ad corpora habuerit respectum, sed etiam ad animas: præterea ad Hebr. 13. Honorabile connubium, et thorus immaculatus; thorus macula carere non posset, si coniugium careret gratia: præterea quid est aquam in nuptijs conuerti in vinum, nisi insipidam concupiscentiæ carnalis aquam per occultam Dei gratiam in optimi saporis vinum esse conuersam? Ioan. 2. præterea matrimonium datum est in remedium 1. Corint. 7. ibi Melius est nubere, quàm vri, si datur in remedium ergo confertur gratia, per quam minuitur concupiscentiæ carnalis incendium: nam aliàs non esset in remedium, sed in incendium Concil. Triden. sess. 24. cap. 1. et seq. Hosius tit. de sacram. matrim.

trim.cap.55. doct.com.in 4. sent. distin.26.

Quarta hæresis docet Licitum esse cuilibet viro duas vxores matrimonio sibi copulatas simul habere.

Huius hæresis primi Authores fuerunt Anabatistæ.

Contra facit primo ratio, quia vir et vxor per matrimonium legitimè contractum non habent potestatem sui corporis, adeò vt alter alteri qua sibi ipsis se tradere possint: probatur 1. Corint. 7. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier, quòd si aliter faciunt peccant, quia ibidem Paulus inquit, quoniam vindex est Dominus de his omnibus: nunquam autem Dominus vindictam sumit, nisi propter peccatum. Secundo, si vir prima vxore viuente potest adhuc ducere secundam, pari ratione viuentibus duabus poterit superinducere tertiam, et quartam, et deinceps quot quot alere poterit; quo casu si omnes illæ vxores petant debitum à marito, cui reddere prius tenebitur, omnibus simul non tenetur, quia non potest, ergo nulli, et per consequens nulla illarum habebit potestatem corporis illius, quod est contra doctrinam Pauli. Tertio facit ratio discordiæ, quæ oriretur ex pluribus vxoribus rixantibus; quælibet.n. virum propitium sibi quærere procuraret, quæ discordia displicet Deo, qui tantùm nobis pacem commendauit. Vltra rationes adductas facit quarto Genes. 2.

ibi

ibi Propter hoc relinquet homo patrem, et matrem, et adhærebit vxori suæ, et erunt duo in carne vna: vbi dicit adhærebit vxori suæ, non autem vxoribus suis. Et non dixit erunt tres, vel plures in carne vna; sed erunt duo in carne vna; quibus verbis colligitur sancitum esse, vt vnus vir vnam, et non plures simul habeat vxores, et illa sunt verba Dei prolata per os Adæ, tanquã per os prẽconis, vt habetur Math. 19. ibi Non legistis, quia qui fecit ab initio masculum, et fœminam fecit eos, et dixit: propter hoc dimittet homo patrem, et matrem, et adhærebit vxori suæ, et erunt duo in carne vna; quod autem ex illis verbis prohibeantur plures vxores simul, docet hoc ibidem Hier. super Math. cap. 19. et Chrysostom. Homil. 63. super Math. Theophyl. in comentar. super Math. d. loco; Quinto facit 1. Corint. 7. Vnusquisque suam vxorem habeat propter fornicationem, et vnaquæque suum virum; in quibus verbis duo adnotanda sunt, primum quod vnicuiq; vnam tantum concedit vxorem, non plures; suam .n. dixit non suas. Alterum est quod dicit propriam uxorem, et proprium aut suum uirum; nihil autem potest uerè esse proprium alicui, nisi illi singularem, et nulli alteri cõmunem in ea re habuerit possessionem, quia si multi illam possident, neutri erit propria. Sexto facit altera ratio, quia Christus unam tantum habuit sponsam, uidelicet Ecclesiam, ergo nemini licet plures habere uxores; quia matrimonium est sacramentum signans

coniun-

coniunctionem Christi cum Ecclesia; oportet enim ut signum sit conforme signato, et sic necesse erit uirum unam tantùm habere uxorem, pro ut Christus unam habet sponsam, uidelicet Ecclesiam. Vltimo adest definitio Ecclesię cap. Gaudemus de diuort. et Concil. Triden. sess. 24. Can. 2. Non obst. primo, quod obijciunt Anabatistæ de exemplo sanctorũ patrum, ut Abraã, et Iacob, qui plures uxores habuerunt; nam Resp. Aug. cap. 13. et cap. 15. de bono coniugali, quod non est nunc propagandi necessitas, quæ tunc fuerat: sicut .n. pro uarietate temporum statuta humana uariantur, ita Deus pro uarietate temporum uarias condidit leges, et uarias etiam eiusdem legis fecit dispensationes; illi enim id fecerunt propter reuelationem diuinam de hoc illis factam. Secundo non obst. quod dicit Aug. lib. de virginibus, quod antiquis patribus nullum fuit peccatum pluribus fœminis uti, quia nulla lege erat prohibitum; nam Resp. quod illud fuit ex dispensatione diuina approbatum; quod autem dicitur nulla lege diuina fuisse prohibitum, intellige de lege scripta, quia antè legem Moysi fuerunt illi patres, qui ex dispensatione diuina plures habebant uxores, quo nulla erat scripta lex diuina, Non obst. tertio quod dicit S. Thom. 4. sent. distin. 33. artic. 1. q. 2. lex de unitate uxoris non est humanitus, sed diuinitus instituta, nec unquam uerbo, aut literis tradita, sed cordi impressa; nam Resp. S. Thom. intellexisse de lege expressa, et manifesta;

festa; nunquam .n. in sacris literis sunt de hoc uerba propria formalia, et aperta; sed colligitur ex alijs sacræ scripturæ uerbis. Vltimo non obst. Deut.21. ibi Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, alteram odiosam; nam Resp. quod lex utitur uerbo præteriti temporis; non .n. dicit si quis habet, sed si quis habuerit; ibi .n. probatur, quod homo potest successiuè plures uxores, sed non plures simul, quod nunquam lex concesit.

Quinta hæresis est, quæ docet Nuptiarum fœdus, et vinculum posse pro Coniugum arbitrio disolui.

Huius hæresis Author fuit Montanus, quem sequutus est Erasmus, et Lutherus.

Contra facit primo Marc.cap.10. Quicunq; dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit uirum suum, et alij nupserit, mœchatur. Secundo Luc.cap.16. Omnis qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, mœchatur, et qui dimissam à uiro ducit, mœchatur; ex quibus uerbis apparet, quod etiam existente adulterio uxoris, non licet uiro ab illa sic discedere, ut aliam ducat uxorem; quia adulterium super eam committeret. Tertio facit ratio, quia post quam maritus uxorem eiecit à societate sua, adhuc potest facti pœnitere, et illam ad se reuocare, 1.Corint.7. Si autem uir sibi illam reconciliari uelit, non est opus, nouum inter illos contrahere matrimonium, et iterum repetere uerba,

ba, quibus olim contraxerunt matrimonium ex quo conuincitur, uinculum prioris matrimonij non esse solutum per fornicationem; quia aliàs esset necesarium, ut nouum inter se contraherent matrimonium, cum sibi inuicem reconciliarentur; Quarto Math. 5. et 19. vbi postquam dixit non esse licitum uxorem dimittere, nisi ob cãm fornicationis, statim addidit; et qui dimisam duxerit adulterat, et alibi; et qui dimisam duxerit, mechatur, et Luc. 16. Qui dimisam à uiro ducit, mechatur: ex quibus uerbis colligitur, dimisam adulteram non posse alicui alteri uiro nubere, et per consequens nec uir aliam ducere poterit; alioquin contractus esset pro una parte solutus, et pro altera ligatus; nec obst. si dicatur, hoc esse in uxoris pœnam, quæ priuatur coniugio propter adulterium; nam Resp. hoc argumentum tolli per illa uerba; Et qui dimisam duxerit, adulterat. Non.n. adulteraret, qui illam duceret, si illa non esset uxor alterius uiri, præsertim si quis eam duceret, solutus esset ab omni uinculo matrimonij. Quinto Si uxor innocens, quæ uirum adulterum dimisit, non potest uiuente illo alteri nubere, sed manere debet innupta, aut uiro suo reconciliari 1. Cor. 7. Ergo neque uir castus, qui adulteram uxorem dimisit, poterit illa uiuente alteram ducere; quia in rebus, quæ ad matrimonium spectant, pares semper esse censentur; quicquid dicat cap. uxor 32. q. 7. ubi sunt uerba Ambrosij falso relata. Sexto ad

Rom.

Rom.7. Quæ ſub viro eſt mulier viuente uiro alligata eſt legi; ſi autem mortuus fuerit uir eius, ſoluta eſt à lege uiri: igitur uiuente uiro uocabitur adultera, ſi fuerit cum alio uiro, et 1.Corint.7. Mulier alligata eſt legi, quanto tempore uir eius uiuit; quòd ſi dormierit uir eius liberata eſt: ſi mulier alligata eſt uiro, quanto tempore ille uiuit; ergo poſtquam ipſa commiſit adulterium adhuc alligata eſt uiro, quia uir eius non deſijt uiuere propter uxoris adulterium. Septimo addi poteſt Marc. 10. ibi Quos Deus coniunxit homo non ſeparet; non enim facto hominis ſolui poteſt, quod à Deo ligatum eſt, cum ſecundum naturam ſit vnum quodque diſſolui eo uinculo, quo ligatum eſt. Octauo adeſt opinio com. doct. Anſelm. ſuper 5.Mat. idem ſuper 19. eiuſdem, Theophyl. ſuper Paulum ad Epheſ. 5. Beda ſuper 19. Marci, Iſid. lib. 2. cap. 19. de Eccl. offic. Chryſoſtom. ſuper Homil. 17. ſuper Math. de Homil. 63. ſuper eundem, Orig. Tract. 7. ſuper Mat. Clemens Alex. lib. 2. ſtromatum, Euariſt. Papa in Epiſtol. 2. Nono adeſt definitio Eccleſiæ cap. Gaudemus de diuort. cap. ex parte de ſponſalib. Concil. Mileuitanum cap. 17. Concil. Florent. et Conc. Trident. ſeſſ. 24. Can. 2. Tertium indiuiſibilitas matrimonij propter hoc, quod ſignificat indiuiſibilem coniunctionem Chriſti, et Eccleſiæ: ſed forte aduerſarij noſtri dicent, uerba illa, quæ ſunt apud Marc. 10. et Lucam 16. eſſe interpretanda cum exceptione cā fornicationis Mat. 19.

ibi Dico autem uobis, quia quicunque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mechatur; et qui dimissam duxerit, mechatur: nam Resp. primo, quod Mathęus est interpretandus per Lucam, et Marchum ambos concordes, non autem ipsi per ipsum. Secundo Resp. si quis Lucæ, et Marco exceptionem de causa fornicationis ponere uoluerit, in illo eodem loco illam collocare debet, in quo illam collocauit Mathęus, ut solum excipiat à parte priori, et non à posteriori. Tertio Resp. quod in Luca, et Marco est generalis sententia; in Matheo autem est limitata Aug. libr. 2. de adult. coniug. cap. 9. vbi dicit, quod sceleratius mechatur, qui non causa fornicationis uxore dimissa, alteram duxerit; quod genus adulterij commemorat Math. cap. 19. sed quicunque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium etiam committit, pro ut commemorat Marc. 10. et Luc. 16. ex quibus uerbis colligitur illa uerba Mathæi, nisi ob fornicationem, non est exceptio, sed quædam limitatio, seu restrictio, ac si dixisset, non in causa fornicationis, aut sine causa fornicationis, aut non propter fornicationem, undè sequitur ex uerbis Mathæi, quod dimittens propter fornicationem, et aliam ducens non mechetur; sed Math. addidit illa uerba, ut per illa ostenderet, fornicationem uxoris, causam esse sufficientem ad dimittendam uxorem, quo ad thorum; Quarto Resp. quod Math. bis de diuortio differuit c. 5. et c. 19.

etc.19. in c.5. dicit: Omnis qui dimiserit vxorem excepta fornicationis causa, facit eam mę-chari, et qui dimissam duxerit, adulterat; in cap.19.dicit Quicunq; dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, męcha-tur, et qui dimissam duxerit męchatur; ex quibus apparet diuersitas, quia in cap.5. dicit quod facit vxorem suam męchari, et in cap.19. quod męchatur; est .n. differentia inter męchari, et facere vxorem suam męchari; ille .n. qui facit vxorem suam męchari, vt ait Math.5. est ille, qui vxorẽ suam dimisit, sed non aliam duxit; ex quo patet, quod loquitur de dimisione, quo ad thorum; non autem quo ad vinculum, quia nullus dicitur verè dimittere vxorem, etiã quo ad vinculum, nisi quando aliam duxit; nam si de dimisione quo ad vinculum dixisset, superfluè addidisset illa verba; et aliam duxerit, quia illa includuntur in verbo significante dimisionem, cum nullus perfectè ostendat dimittere vxorem viuentem, quo ad vinculum, nisi quando aliam ducit; Quinto Resp.quod ille text.cap.19.patitur aliquem defectum verborum, qui supplęri debet, vt iura iuribus concordentur, quod sępè contingit in sacra pagina, vt verus literæ sensus explicetur, sic dicendo Quicunque dimiserit vxorem suam, non ob aliquam causam, nisi propter fornicationem, et aliam duxerit, męchatur; nam vt Dialetici dicunt, si id quod minus videtur inesse, inest; ergo id quod magis; minor autem apparebat ratio, et qui propter

fornicationem vxoris illam dimitteret, et aliam duceret, censendus esset mechari. Et ideò de illo solo, de quo aliqua poterat suboriri dubitatio loquutus est Math. 19. vt indè omnes intelligerent de reliquis omnibus, qui absque causa fornicationis vxores dimittunt, et alias ducunt, multo istius idem ipsum esse dicendum; peccat igitur grauiter, qui dimissa vxore ob aliam causam, nisi ob fornicationem, aliam ducit, sed grauius, qui ob aliam causam, quàm ex causa fornicationis vxore dimissa aliam ducit; ita colligitur ex cap. Gaudemus de diuort. ibi Quicunque dimiserit vxorem suam ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur; vndè illa verba Math. nisi ob fornicationem intelligenda esse (inquit Innocent.) solam fornicationis causam; ex quibus apparet, quod ex causa fornicationis fit separatio tantùm quo ad thorum; non autem quo ad uinculum. Non obst. primo quod uideatur durum, ut quis sine culpa sua, sed propter solam uxoris suæ fornicationem, illam dimisit, cogatur ad continentiam seruandam, præsertim si talis est natus, ut ad carnales coitus sit pronus; Resp. ut dixit Aug. Pollentio, in lib. 2. de adulterinis coniugijs cap. 10. quod si querelam incontinentię uelimus admittere, necesse nobis erit adulteria permittere; quid si aliquo diurno, et insanabile morbo corporis teneatur coniux, quo concubitus impediatur; quid si captiuitas, uel uis aliqua seperet, ita ut sciat uiuere maritus uxorem, cuius sibi copia denegatur,

censes

censes ne admittenda incontinentium murmura, et permittenda adulteria? absit, eodem modo respondet Innoc. cap. quanto de diuort. obuiatur .n. malitię multorum, qui dissimularent causam dimittendi in odium coniugum, et alteram ducendi. Secundo non obst. quod uir non tenetur uxori, neque uxor uiro, nisi ad reddendum carnale debitum, et ad cohabitationem, et ad mutuum obsequium; ab his autem dissoluitur per diuortium coniux innocens, in cuius fauorem concessum est diuortium; ergo saltem ille transire poterit ad secundas nuptias; nam Resp. non esse uerum assumptum, quia inter uirum, et uxorem oritur duplex obligatio mutua. Vna affirmatiua, qua sibi inuicem debitum reddere tenentur, et mutuum obsequium, et hęc prorsus tollitur per diuortium. Altera est negatiua, qua quisque illorum tenetur non reddere alteri carnalem copulam, nisi illi soli, cui alligauit per matrimonium, et hæc non tollitur, nisi per mortem alterius coniugis; nec est durum, quod innocens coniux teneatur seruare continentiam post diuortium, quia quando matrimonium contraxit, ipse ad hanc duritiam, et asperitatem tolerandam obligauit; quo fit, ut quod à principio promisit, postea sit obligatus tenere; neque in hoc fit illi iniuria, quia sciens tale uinculum esse in matrimonio, et uoluntariè se tali uinculo ligauit. Scienti autem, et uolenti non fit iniuria. Tertiò non obst. eodem modo esse intelligendam dimissionem Euange-

licam, quæ fit propter fornicationem, quo intelligebat dimissio legis antiquæ, quæ dimissio erat perfecta, non solum quo ad thorum, sed etiã quo ad uinculum Deut. 24. nam Resp. quòd Dominus ipse declarat hoc dubium, dum Mathę. 5. dixit, Nisi abundauerit iustitia uestra plusquam Scribarum, et Pharisęorum non intrabitis in Regnum cœlorum; deindè progressus est ad reformandos mores, seu errores, quibus Scribę, et Pharisęi erant infecti, et unus ex illis erat in repudio uxoris, quod licèt esset eis permissum, si tamen aliam ducebant, peccabant: ideò Christus dixit, non Deus permisit; sed Moyses: faciebant. n. contra ius naturæ, in quo nemo dispensare potest, nisi ille, qui est supra naturam, et est notandum quod illud factum fuit ad duritiam cordis eorum; prætereà dicitur ibi, quod Moyses illud permisit, quod est propriè malorum, Chrysostom. Homil. 33. super Math. et illud permisit, ut maius malum euitaret, nempè homicidium, et in hoc tria considerandà sunt: primo prohibuit dimittere uxorem sine causa: deinde permisit dimittere uxorem ex causa turpitudinis, si illa turpis fuisset; tertio præcepit dari libellum repudij, si illam dimitteret, ut per huius libelli donationem auerteret illos ab huiusmodi uxorum dimissione; nam dato libello repudij, non poterat amplius ad illam uxorem redire, nec poterat uxori postea reconciliari; et in hoc differt diuortium legis Euangelicę à repudio ueteris legis;

nam

nam post diuortium coniuges possunt sibi inuicem reconciliari, quo casu vinculum matrimonij non soluitur, quod ex lege naturę dicitur indissolubile. Quarto non obst. si de sola dimissione, quo ad thorum, Christus fuisset loquutus, non solum causa fornicationis fuisset excepta; sed aliæ causæ, quibus fieri potest separatio thori; nam Resp. quod causæ separandi thorum sunt, vbi vertitur periculum homicidij, quod habet maiorem causam, quàm fornicatio; quia vxoricidium tollit coniunctionem animarum; adulterium verò coniunctionem corporum, et maior est obligatio vxoris ad conseruationem propriæ vitæ, quàm ad reddendum debitum marito: illi verò, qui ex mutuo consensu ingrediuntur monasterium, non dicuntur se dimitti, sed quilibet renunciat iuri suo, quod habet super alterum; nam Chrysost. in Homil. 33. super Math. qui dimittit coniugem suam, et aliam non accipit, adhuc maritus est. Quinto non obst. si alter coniugum infidelium conuertatur ad fidem, potest dissolui matrimonium inter illos contractum propter alterius fornicationem spiritualem; ergo etiam per fornicationem carnalem; nam Resp. quod matrimonium infidelium non est ratum; ideò potest dissolui, secus autem est fidelium, quod cum sit ratum dissolui non poterit cap. quanto de diuort. præterea Resp. quod fornicatio spiritualis est multo maior fornicatione carnali, ideò de vna ad aliam non bene colligitur argu-

mentum Concil. Trid. sess. 24. Can. 5. et Can. 7.

Sexta hæresis æquat nuptias virginitati, de qua dicemus infra ver. Virginitas Concil. Trid. sess. 24. Can. 10.

Septima hæresis asserit Ecclesiam non posse constituere impedimenta matrimonij, nec dispensare super expressis in Leuitico, Concil. Trident. sess. 24. Can. 3. et 4.

Octaua Si quis dixerit ratum non consumatum per solemnem Religionem alterius coniugum non dirimi ibid. Can. 6.

Nona Si quis dixerit quo ad thorum ex causa separationem fieri non posse ibid. Can. 8.

Decima Si quis dixerit, sacris initiatos, et regulares professos posse ducere vxorem, ibidem Can. 9.

Vndecima Negans prohibitiones nuptiarum certis temporibus, et alias cęremonias, ibidem Can. 11.

Duodecima asserens Causas matrimoniales nõ spectare ad Iudicem Ecclesiasticum, ibidem Can. 12.

OBEDIENTIA. CXII.

VALDENSES hæretici, quos sequuti sunt Lutherani docuerunt Obedientiam non esse præstandam Prælatis Ecclesiæ.

Contra quam dixi supra ver. Ecclesia hær. 3. Direct. 2. p. q. 12. hær. 5.

OCCI-

OCCIDERE. CXIII.

VValdenses Heretici docuerunt Nullum hominem posse occidi iustè, etiam si id fiat ex Iudicis præcepto.

Contra facit primo Paulus ad Rom. 12. vbi Paulus totam Ecclesiam appellat vnum corpus, cuius caput est Christus; singuli autem homines alter alterius membra, quod si aliquod membrum non potest sanari, inciditur, ne impediat alia membra: sic in Republ. si aliquis homo caret omni spe emendationis, oportet illum perdere vsque ad mortem, et separare à toto corpore, ne reliqua membra inficiat. Vnum .n. pecus inficit omne pecus, quod si mors nunquam esset infligenda, Respublica careret omni pace, terra esset plena latronibus, mare piratis, nullequè res essent tutæ. Secundo facit ratio, si bellum est licitum, pro ut re vera licitum est, vt dixi supra ver. Bellum, sequitur etiam quod et occisiones in eo sint licitæ. Tertio Act. 5. vbi Petrus puniuit morte Ananiam, et Saphiram, quia vendito agro fraudauerunt de precio, non portantes coram Apostolis totum precium, sed aliquid sibi reseruantes: non obst. præceptum diuinum Exod. 20. et Math. 5. ibi Non occides; nam Resp. non esse prohibitam omnem occisionem, sed illam, quæ à persona priuata fit, non autem illam, quæ à Iudice ex iusta causa decernitur infligendam: quod patet, quia in lege veteri

teri erat illud idem præceptum, et tamen in multis præcipiebatur hominis occisio, vt blasphemi et fures nocturni, vndè Saluator noster dixit: Omnis, qui occiderit gladio, gladio peribit, Math 16. et Beatus Hieron. super 22. Hyerc. ait homicidas, et sacrilegos, et venenarios punire, non est effusio sanguinis sed legum ministerium Director. 2. p. q. 14. hær. 5. Cathec. in 5. præc. pag. 441.

Secunda est hæresis Circumcellionum docentium Homines se ipsos occidere, vt palmam martyrij assequi videantur, de qua dixi supra ver. Martyrium. cap. fin. 24. q. 3.

Tertia hæresis docet Licere cuilibet homini occidere Tyramnum, de quo dicam infra ver. Tyramnus.

OPERA. CXIIII.

LVTHERVS impius Hæreticus dicit, Iustũ hominem in omni bono opere peccare.

Rationem adducens dicit, quia semper homo deficit ab illa summa Charitatis perfectione, quam tenemur habere, iuxta primum præceptum de dilectione Dei. Alia est ratio Lutheri deducta ex illo præcepto, Non concupisces Exod. 20. quo dicit esse prohibitum carnis appetitum, quem nullus homo à se potest abijcere, quamuis possit reprimere; quoniam caro concupiscit aduersus spiritum, et spiritus aduersus carnem, Gal. 5. Quia hæc duo aduersantur

santur sibi, vt non quæcunque velimus faciamus; ideo dicit iustum in omni bono opere peccare; contra quas rationes dicemus infra. tit. de Præceptis.

Contra facit primo Genes. 22. Benidicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ; si obedientia Abraæ fuisset peccatum, non fuisset ei à Deo propter illam tantum præmium promissum. Secundo Iob. 1. In omnibus his non peccauit Iob, neque stultum quid contra Deum loquutus est: si in omnibus non peccauit, ergo male dicit Lutherus, quod in omnibus peccamus. Tertio Paul. 1. Cor. 7. Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem. Si acceperis vxorem, non peccasti, et si nupserit virgo non peccauit. Quarto 2. Pet. 1. Hæc. n. facientes, non peccabitis aliquando. Quinto 1. Ioan. 3. Omnis qui in Deo manet, non peccat. Sexto Psalm. 4. Irascimini, et nolite peccare. Septimo Ioan. 5. Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat. Octauo si opera nostra essent peccata non commendarentur in sacra pagina, nec dicerentur lux. Prou. 4. Iustorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit vsque ad perfectum diem, et Saluator noster Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est: peccatum aũt non lux vocat, sed tenebræ, Rom. 13. Abijciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis. Nono si opera

nostra

nostra essent peccata, etiam facta in gratia non placerent Deo, Prou. 21. Facere misericordiam et iudicium magis placet Deo, quàm victimæ, et corporis afflictiones pro Deo moderatè susceptas, Paulus Rom. 12. vocat hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem; peccatum autem nunquam placuit Deo Sapient. 14. Sunt odio Deo impius, et impietas eius. Decimo, operibus bonis ex promissione diuina debetur præmium; peccatis autem pœna, Math. 25. Ibunt iusti in suplicium æternum, iusti autem in vitam æternam. Vndecimo adest definitio Ecclesiæ Concil. Trident. sess. 6. cap. 25. vbi damnat eum, qui dicit peccare in bono, etiam venialiter, ne dum mortaliter. Non obst. 1. Eccl. 7. Non homo iustus in terra, qui faciat bonum, et non peccet; nam Resp. quod sine Dei gratia nullus est iustus, neque iustus sine Dei adiutorio potest vitare omne peccatum. Nam sicut gratia exigitur ad initium boni operis, ita etiam requiritur ad prosecutionem; quod patet, quia ibidem dicitur: Sapientia confortauit sapientem super decem Principes ciuitatis; hoc est gratia Dei magis confortat hominem, quàm omnes Principes mundi, quia adiutus gratia potest vincere omne peccatum; destitutus tamen gratia Dei, etiam si auxilium omnium Principum mundi habeat, non poterit peccatum omne euadere. Secundo non obst. 1. Ioan. 1. Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est,

Resp.

Resp. multa esse peccata venialia, à quibus nullus quantumuis iustus liberatur, quin in multa eorum labatur, quoniam vt inquit B. Iacobus In multis offendimus omnes; non dixit in omnibus, ideò non sequitur, quòd omne opus nostrum sit peccatum: non.n. valet consequentia, omnis homo iustus habet aliquod peccatum; ergo omne opus eius est peccatum. Tertio non obst. Isa. 7. Et facti sumus, vt immundi omnes nos, et quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ; nam Resp. q̃ Propheta loquit̃ nomine illius Populi Israelitici ad illud tempus, quo illa dicebat; quo tempore abundabat peccatum in Populo Israel: propter quod Deus permissurus erat, vt in captiuitatem duceretur, patet quia infra dicit, Non est qui inuocet nomen tuum etc. Nunquid Isaias non inuocabat nomen Domini? Absit vt quis hoc dicere audeat, quod referatur ad illud tempus patet infra, Ciuitas sancti tui facta est deserta, Sion deserta facta est, Hierusalem desolata est etc. Quarto non obst. Gregor. 9. Moral. cap. 1. ibi Quia sanctus vir omne meritum virtutis nostræ vitium esse conspicit, si ab interno arbitrio districtè iudicetur; si voluero contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum pro mille; nam Resp. verum esse omne opus hominis bonum, vitium esse; si Deus illud districtè iudicare velit iuxta rationem debitorum, quibus illi ex natura sumus debitores, et non iuxta misericordiæ suæ rationem, qua rigorem illum iusti-

tiæ temperare voluit. Nam posset Deus si vellet multò plura, et maiora à nobis exigere, quàm nunc exigit; quia tot et tanta nobis contulit, vt si totum id quod agere possumus, illi tribueremus, et in illum solum referremus, adhuc mediam debiti partem non solueremus, vt inquit Chrysostom. lib. de compunctione cordis.

Secunda hæresis docet Nullum opus esse bonum, nisi fiat ex puro atque sincero amore, quacunque ex causa fiat, etiam spe mercedis æternę.

Huius hæresis fuit Author Bugaurius de monte Falcone.

Contra facit primo Psal. 118. Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem; Secundo Luc. 16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula; quibus verbis docet nos facere eleemosynam propter vitam æternam. Tertio Mat. 4. Agite pœnitentiam, appropinquabit. n. Regnum cœlorum. Quarto 1. Corint. 9. Quoniam debet in spe qui arat, arare; et qui triturat in spe fructus percipiendi, et ibidem Nescitis quod ij qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium? sic currite vt comprehendatis. Quinto 1. Tim. 4. Exercete ipsum ad pietatem; nam exercitatio corporalis ad modicum vtilis est; pietas autem ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et futuræ. Sexto 2. Pet. 2. Satagite,

vt

vt per vestra bona opera certam vestram vocationem, et electionem faciatis. Septimo ad Colos. 1. ibi Dilectionem, quam habetis in sanctos omnes propter spem, quæ reposita est vobis in cœlis. Octauo Paulus ad Hebr. 11. laudat Abraam de fide, quam habuit, et obedientiam propter spem vitæ æternæ. Nono adest defin. Eccl. Concil. Trident. sess. 6. Can. 31. ibi Si quis dixerit iustificatum peccare dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit. Non est ergo malum opus, quod fit spe mercedis æternę: quamquam dici potest, non esse meritorium, nisi à charitate procedat; quoniam charitas est radix, à qua tota vis meriti oritur.

Tertia hæresis est Begardorum, et Beguinarum dicentium Hominis imperfecti esse, exercere se in operibus virtuosis, et hominem, cum ad vltimum statum perfectionis venerit, nulla bona opera debere facere.

Contra facit primo Math. 11. Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista, et tamen exercuit se in operibus abstinentię. Secundo Paulus ad Gal. 5. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs et concupiscentijs. Tertio idē Paulus de se ipso ait 2. Corint. 12. Castigo corpus meum et in seruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Quarto ipse Christus vas perfectionis ieiunauit, et alia virtutis opera fecit. Quinto adest definitio Ecclesiæ clem. ad nostram de Hæreticis.

Quarta

Quarta hæresis est Lutheri docentis Nullum opus humanum quantumlibet bonum, esse vitæ æternæ meritorium, neque ad vitam æternam assequendam necessarium: Nam (inquit) qui operibus humanis meritum gloriæ tribuunt derogant meritis Christi, quibus soli salui facti sumus.

Pro præsenti hac hæresi destruenda notandum est, quod nomen meriti non solum tribuitur bonis, sed etiam malis operibus humanis 2. Paral. 19. Idcirco iram Domini merebari; et Hester 16. Non nobis, sed Deo reddente ei, quod debuit, et Iob. 11. Et intelligeres, quod multo minora exigaris ab eo, quàm meretur iniquitas tua, et ad Hebr. 10. Quanto magis putatis, deteriora mereri supplicia, qui filiũ Dei conculcauerit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit? de hoc non est disputandi locus hic. Meritum autem quatenus tribuitur bonis operibus est duplex; alterum dicitur meritum de condigno; alterum verò de congruo, quod propriè meritum dici non meretur; nam ex sola congruitate gratis acceptatur ad præmium, non autem ei debetur ex dignitate sua, neque ex lege: de merito condigno tantùm loqui debemus in præsenti discussione. Meritum de condigno est opus liberum, cui ex naturali et propria dignitate, aut ex lege debetur præmium; dicitur (opus) quo comprehenditur etiam omissio operis; dicitur (liberum) quia ad hoc vt sit meritum, liberum esse oportet,

quod

quod enim voluntatis libertate caret, meriti rationem habere non potest: dicit (cui ex naturali et propria dignitate, aut ex lege debetur præmium) non .n. semper oportet, vt præmium sit debitum ex ipsa operis natura; sed satis est, vt sit debitum ex lege: nam lex potest facere paria, quæ sui natura erant imparia Exempl. 1. Reg. 17. vbi quamuis Dauid propter victoriam illam magno aliquo præmio fuisset dignus, non tamen tanto, vt Rex filiam suam daret in vxorem; sed quia præcesserat promissio Saul Regis; ideo fuit ea dignum cum magnis diuitijs; ex ipsa autē operis natura, hoc est iuxta naturalem condignitatem, siue paritatem intelligimus nullum opus humanum quantumlibet bonum, esse meritorium vitæ æternæ, quia non est illi ex sui natura æquale, quia terrena non æquantur cœlestibus, neque temporalia æternis, et ita dicit Paulus ad Rom. 8. passiones huius temporis non esse condignas ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis; et de hac dignitate, et paritate intelligimus omnes doctores sanctos, quoties dicunt opera nostra non esse meritoria, aut digna vita æterna.

Quod autem opera nostra ex lege mereantur vitam æternam, et sic contra Lutherum facit primo quod dicit Cathec. in 2. pet. orat. dominicæ pag. 548. vbi operibus Regnum Dei comparatur, et Math. 4. ibi Agite pœnitentiam appropinquabit .n. Regnum cœlorum. Secundo Ioan. 5. Venit hora, in qua omnes, qui in

monumento sunt, audient vocem filij Dei, et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ. Tertio Math. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, et infra; Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, vel sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. Quarto 1. Timot. 4. Pietas ad omnia vtilis est promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et futuræ. Quinto Math. 25. Exuriui et dedistis mihi manducare, sitiui et dedistis mihi bibere, hospes fui, et recepistis me, postea subdit: Venite benedicti Patris mei percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Sexto Iac. 1. Qui sustinet tentationem, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Septimo hoc idem promisit suscipientibus sacramenta Marc. 16. Qui crediderit, et baptizatus fuerit saluus erit. Octauo Ioan. 6. Qui manducat hunc panem viuet in æternum. Nono Mat. 20. vbi in ea parabola denarius diurnus significat gloriam cœlestem à Deo promissam omnibus in vinea Domini laborantibus; nam data hac promissione, et facta nobiscum conuentione, opera bona hominis cum adiutorio gratiæ Dei fiunt signa vitæ æternę, et illi æqualia, quæ secluſa illa Dei promissione, fuissent tanto præmio prorsus indigna, vnde noluit promittere illam operibus quantumlibet bonis, nisi illa gratiam suam haberent adiunctam, Ioan. 15. Sine

me

me(inquit ille)nihil potestis facere, et ad Phil.4. Omnia possum in eo, qui me confortat, per hanc gratiam, quæ nos ad gloriam promerendam, potentes fecit, sumus Deo grati, vt ad uitam æternam acceptati, et deindè opera nostra sunt Deo grata, et ab illo ad vitam æternam acceptata; prius quidem respexit Dominus Abel, et postea ad munera eius. Vndè Concil. Arausicanum 2.cap.18. Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quæ non debetur, præcedit, vt fiant. Decimo sacræ scripturæ sæpissimè dicunt, ipsam gloriam cœlestem esse nostrorum operum mercedem; et inde necessariò colligitur, vt opera ipsa sint meritum illius mercedis, Genes.12. Ego protector tuus, et merces tua magnanimis. Vndecimo Sapient.5. Iusti autem in perpetuum viuent, et apud Dominum est merces eorum. Duodecimo Isa.40. Ecce merces eius cum eo. Tertiodecimo Apoc.22. Ecce venio citò, et merces mea mecum est, reddere vnicuique iuxta opera sua. Quartodecimo Math.5. Gaudete, et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Quintodecimo Psalm.18. de custodia mandatorum dicitur. In custodiendis illis retributio multa; quoties tamen scriptura loquitur de vocatione ad gratiã, aut de prima iustificatione, aut de prædestinatione ad gloriam. Hoc.n. modo loquendi ostenditur manifestè, illa omnia gratis, et sine merito dari. Spiritus enim sanctus vbi vult spirat. Ioan.3. Et non vos me elegistis, sed ego elegi vos,

Ioan.15. et Paul. ad Rom.9. Non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis. Cui vult miseretur, et quem vult indurat: quum autem de redditione gloriæ cœlestis loquitur, tunc nomine retributionis, aut mercedis vtitur, vt ostendat illam non gratis, sed sepè propter aliqua propria merita dari, vt putà omnibus adultis: nam etsi Deus gratis, et sine vllo merito nostro prædestinat ad gloriam æternam, non tamen gratis illam reddit homini iam adulto, et rationis compoti; vndè Psalm.17. Saluum me fecit, quoniam voluit me. Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi. In priori parte vbi agit de vocatione ad gratiam, vsus est verbo liberalis donationis dicens, quoniam voluit me; in secundo versu, vbi agit de redditione præmij, vsus est verbo retributionis, dicens; et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meã; in priori parte facit qđ dicit Hyer. Voluntate propria, et non ex meo merito me vocauit, dicente Apost. 2. Ephes. Gratia estis saluati per fidem, et hoc non ex vobis. Sextodecimo Sapient.3. In paucis vexati, in multis bene disponentur, quoniam Deus tentauit eos, et inuenit eos dignos se; non dicit inuenisse dignos bono aliquo temporali, (vt aiunt Hæretici) sed inuenisse eos dignos se; nec dicit Deum fecisse, sed inuenisse dignos. Decimoseptimo 2.Thes.1. Abundat charitas vniuscuiusq; vestrum in inuicem, et infra; vt digni habeamini

beamini regno Dei, pro quo et patimini. Decimo octauo Apocal.3. ibi Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt; si digni sunt ambulare cum Deo in albis; ergo hoc ipsum merentur, quoniam nihil aliud est mereri aliquod præmium, quàm esse dignum illo. Decimo nono ad Hebr.5. dicit Paulus Christum factum esse omnibus obtemperantibus sibi causam salutis æternæ. Causam salutis æternę dixit, quia meruit omnibus obedientibus verè salutem æternam. Vigesimo Paul.2.Corint.4. Id enim quod in præsenti est momentaneum, et leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis. Operatur dixit, vt hoc solo nomine ostenderet esse meritum beatitudinis, vt inquit Aug. in tract. super Psalm.93. Vltimo contra hanc hæresim facit definitio Ecclesiæ cap. firmiter de Summa Trin. et fid. cath. et Concil. Trid. sess.6. Can.32. Non obst. primo, quòd si meritum beatitudinis nostris operibus arrogamus, videmur nimis ingrati Christo, quasi Christus non sit meritus ea nobis; aut meritum ipsius non fuerit sufficiens ad eam nobis impetrandam: sed opus sit illi à nostris operibus adiuuari. Nam Resp. quod etsi aliquam rationem meriti nostris operibus tribuamus; illam tamen ipsi Christo adscribamus, ex cuius merito nobis datum est, vt nostris operibus aliquid mereri possimus: vndè Bernard. in sermon.61. super Cantica, Meum meritum miseratio Domini: non planè

sum meriti inops, quàm diu ille miserationum non fuerit etc. non ergo ex nobis hoc habemus, vt bonis operibus mereamur uitam æternam, sed per solam diuinam clementiam, qua uoluit obtemperantibus sibi promittere uitam æternam; undè 1. Pet. 1. Offerentes spirituales hostias Deo per Iesum Christum acceptabiles; nec gloriæ Christi derogamus, eiusque meritum insufficiens dicimus, sed potius gloriam eius exaltamus; et quia noluit sui meriti sufficientiam adultis sine aliquo illorum opere applicare, quamuis hoc facere potuisset, si uellet, pro ut exhibuit infantibus. Secundo non obst. quod dicunt Hæretici non esse consonum ratio ni, ut per id quod aliquis nobis donauit, aliquid apud illum mereamur; at opera nostra, per quæ nos meremur, sunt dona Dei, iuxta Iacob. 1. Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum; ergo ex his dicendum est nos non mereri. Nam Resp. quod si hoc argumentum ualeret, per bona opera non mereremur etiam bona temporalia, quod tamen fatentur hæretici; secundo Resp. non pugnare inter se hæc duo, donum Dei esse, et meritum apud Deum, ut inquit Bernard. serm. 68. super Cantica, ubi dicit, merita nostra esse dona data, et præmium respondens meritis esse ex misericordia Dei. Idem, Aug. in Epist. 105. ad Sixtum, Chrysost. Homil. 1. de Adam et Eua, Cœlestinus 1. in Epistola 1. Tanta erga omnes homines est bonitas

Dei,

Dei, ut nostra uelit esse merita, quæ sunt ipsius dona, et pro his, quæ largitus est, eterna præmia sit donaturus; et sic intelligitur ad Rom.6. Gratia Dei uita æterna. Et Zach.4. Adæquabit gratiam gratiæ. Gratia enim dicitur ipsa uita æterna, quia licèt detur propter merita, ipsa tamen merita sunt dona Dei gratuita, et merita non essent sine gratia. Ipsam ergo primam meriti originem considerantes, dicimus gloriam, quæ meritis redditur, esse gratiam; quia ipsa opera, ut essent merita, ex gratia Dei habuerunt. Tertio non obst. Luc.17. Cum feceritis, quæ præcepta sunt uobis, dicite serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus; si ergo inutiles sumus, et si fecimus, quod debebamus, nihil meremur, sed satis est, quod liberemur à debito, et à pœna, quæ ab illo esset exigenda, si debitum non reddidisset; nam Resp. quod nos ex nostra natura, et ex propria natura eorum, quæ facimus etiam si sit implectio mandatorum, adhuc inutiles sumus; nam sine adminiculo Dei eius mandata minimè adimplere possumus: nam ex sola misericordia diuina prouenit auxilium ad exequendum mandata Dei, et liberalitas Dei, qua nobis datur uita æterna, si eius mandata seruauerimus; ideo ne nos superbiamus dicere semper debemus, adhuc serui inutiles sumus; nam dicitur Ioan.15. Sine me nihil potestis facere; secundo Resp. quod Dominus non habebit gratiam seruo suo, qui fecit quæ ei imperauerat; posset.n. si uellet. Domi-

nus à seruis exigere mandatorum suorum exe cutionem absque expectatione præmij; ipse tamen ex sua misericordia uoluit nobis tantum præmium promittere; Præterea Resp. Beda ideò serui inutiles sumus, quia nullam Deo utilitatem ex nostris meritis præstamus; uel quia non sunt condignę passiones huius temporis ad futuram gloriam. Quarto non obst. Sap. 28. Qui sperat in Domino saluabitur, et qui confidit in corde suo stultus est, et Hyer. 17. Maledictus homo, qui confidit in homine, et Psal. 43. Nec enim in arcu meo sperabo, et gladius meus non saluabit me. Si ex operibus nostris non licet sperare uitam æternam, sed ex sola Dei misericordia, inde conuincitur, nos per nostra bona opera non mereri uitam æternam; nam quilibet potest sperare præmium, ex merito suo. Huic obiectioni Resp. pro ut dixi supra tit. de fiducia: Turrianus lib. 4. cap. 8. Echius tit. 5. de fide, Hosius tit. de Charitate cap. 61.

ORATIO. CXV.

ADELPHVS Hæreticus adeò tribuit orationi, ut diceret, eam solam sufficere ad uitam æternam habendam, etiam si reliqua omnia deessent, et baptismus etiam: contra has infrascriptas hęreses facit Cathec. titul. de oratione.

Contra hanc hæresim faciunt, quæ dixi supra de bapt, hęresi 4. et in tit, de ieiunio.

Secun-

Secunda hęresis Mesallianorum docet Nunquam esse cessandum ab oratione, de hac tractat S.Thom.2.2.q.83.art.1. et seq.doct.com. in 4.sent.distin.45.art.1.et seq.

Contra facit ratio, quia oportet hominem comedere, bibere, dormire, curam rei familiaris agere; nullus .n. est, nisi solus Christus, qui uerè possit dicere.Cant.5. Ego dormio,et cor meum uigilat; quod autem inuigilare debeamus super demesticis rebus, presertim Patresfamilias, docet Paul.1.Timot.5. ibi Si quis autem suorum, et maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, et est infideli deterior; et hoc competit etiam Episcopis, qui domui sui bene debent esse prępositi 1.Timot.3. Quis autem domui suę bene præesse nescit, quomodo Ecclesię Dei diligentiam habebit? Non obst. 2.Thes.3. Sine intermissione orate, et Luc. 18. Oportet semper orare, et non deficere; nam Resp. quod illud debet intelligi secundum dictum Pauli 1.Corint.10. Siue ergo manducatis, siue bibetis, uel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite; sic orabat Moyses, cui tacenti dixit Dominus: Quid clamas ad me? Clamabat .n. corde, quamuis tacebat ore, undè is dicitur sine intermissione orare, qui omnia, quę facit, in gloriam Dei facit. Secundo Resp.Aug. lib. de hęresibus cap.57. dicit, illa uerba sic esse intelligenda, ut nulla dies sine oratione intermittatur, undè idem est semper orare, et sine intermissione orare, et qualibet die orare. Tertio

Resp.

Resp. ut intelligatur de horis Canonicis, ad quas quilibet sacerdos tenetur iuxta ritum Ecclesiæ; de quibus Psalm.33. Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Quarto Resp. omnia, quæ iustus secundum Dominum gerit, et dicit, id orationem esse reputandum, Beda super Luc.18. Quinto Responderi potest quod ibi Hyperbole sit loquutio ad rem exaggerandam, ut scilicet semper, et sine intermissione sit orandum, hoc est frequenter, et tali Hyperbole reperitur apud Math.6. Te autem faciente eleemosynam nesciat sinistra tua, quid facit dextera tua, quod fieri non potest, cum anima sit in vtraque manu.

Tertia hæresis est Pelagij, quem sequutus est Lutherus, qui docent Orationem esse prorsus inutilem, nulliusque uirtutis; quia si omnia ex necessitate absoluta contingunt, frustra Deum oramus.

Contra facit primo Math.6. vbi Saluator noster docet nos orare, dicens Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum et c. quod frustra fecisset, si oratio esset inutilis. Secundo ipsemet Dominus orauit, cum ascendit in montem, assumpsit Petrum, Iacobum, et Ioannem, vt oraret. Luc.6. et Math.26. orans dicebat Pater si possibile est, transeat à me calix iste. Tertio illi, qui expectabant Spiritum sanctum, erant unanimiter perseuerantes in oratione Act.1. Quarto Dæmonia eijciuntur oratione Math.17. Quinto Paulus et Silas in carcere adorantes, subito

bito terremotus factus est magnus, ita vt mouerentur fundamenta carceris. Sexto Iac. 5. Tristatur aliquis vestrum? oret æquo animo, et psallat, et infra; infirmatur quis in vobis? inducat presbiteros Ecclesiæ, et orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei saluabit infirmum, et postea, confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro inuicem vt saluemini. Multum .n. valet deprecatio iusti assidua. Septimo 3. Reg. 17. Helias erat homo similis nobis, passibilis, et oratione orauit, vt non plueret super terram, et non pluit annos tres, et menses sex. Et rursum orauit, et cœlum dedit pluuiam, et terra dedit fructum suum. Octauo Math. 21. Quæcunque petieritis in oratione credentes accipietis. Nono adest definitio Ecclesiæ Concil. Tol. 4. cap. 9. et Concil. Mileuit. cap. 8. Hosius de conf. Cath. fidei cap. 59.

Quarta hæresis Ioan. Vuicleph asserit Orationes, quæ vni personæ specialiter applicantur, non plus prodesse illi, quàm si generaliter pro omnibus fierent.

Contra facit primo Iob. 42. vbi Dominus conuersus est ad pœnitentiam Iob, cum oraret ille pro amicis suis. Secundo Act. 12. cum Petrus Apostolus esset in carcere, oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo, et tandem oratio Ecclesiæ profuit Petro; quoniam misit Dominus Angelum suum, et liberauit eum de carcere; nec tũ præfuit alijs, qui

erant

erant in carcere. Tertio 1.Thes.1.Paul.Thessalonicensibus scribens dicens se pro illis orare, Memoriam vestri facientes in orationibus nostris sine intermissione. Quarto ad Rom.15. rogat vt orent pro eo. Obsecro vos fratres, per Dominum nostrum Iesum Christum, et per charitatem sancti spiritus, vt adiuuetis me in orationibus vestris pro me ad Dominum, et 2.Col.1. Quoniam adhuc eripiet de periculis adiuuantibus vobis in oratione pro nobis, et ad Colos.4. Orationi instate in ea gratiarum actione, orantes simul et pro nobis, vt Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi, et Thes.3. Orate pro nobis, ut sermo Dei currat, et clarificetur; ex istis duobus vltimis locis sumpta est in Ecclesia Catholica consuetudo inuocandi virginem in initio cuiuslibet prædicationis verbi Dei. Quinto 1.Timot.2. Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, et omnibus, qui in sublimitate constituti sunt, vt quietam, et tranquillam vitam agamus in omni pietate, et castitate. Sexto adest definitio Ecclesiæ Conc.Constant. sess.8. damnans decimum nonum articulum Ioannis Vuicleph.

Quinta hæresis docet, Orationem pro defunctis nihil prodesse, Direct.p.2.q.14. Turrian. lib.4.cap.13.

Sexta dicit Non esse dicendam nisi orationem dominicam, Direct.2.p.q.14.hær.18.

ORDI-

ORDINES. CXVI.

ASSERERE ordines Prælatorum, et Religiosorum esse in detrimentum fidei, est hæresis, Direct.2.p.q.12.n.13.

ORDO SACRAMENTVM. CXVII.

LVTHERVS Hęreticus asserit Ordinem non esse sacramentum, neque in eo esse aliquam imparitatem, sed omnes christianos dicit esse in eodem ordinis gradu, de hoc tractant doct. com. in 4. senten. distin.24. et Concil. Trident. sess.23.

Quod autem sit sacramentum patet, quia confert gratiam, et eius est aliquod signum sensibile. Quod autem conferat gratiam facit primo 1.Tim.4. Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbiterij, et 2.Tim.1. Admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, quæ in te est, per impositionem manuum mearum. Secundo si in collatione ordinis non conferretur gratia, vtique nulla opus esset præparatione; nempè vt conferretur ieiuno, et oranti, vt legitur in Actis 13. ideò personę meritum diligenter examinatur, Act.6. Manus citò nemini imposueris. Quod autem ordines non sunt pares, patet ex figura Exod.17. vbi erant gradus distincti,

maiores

maiores scilicet, et minores. Quod autem ordo sit sacramentum, et in eo sit distinctio graduum maiorum et minorum adest definitio Ecclesiæ Concil. Cartag. 4. cap. 1. et seq. cui addo Conc. Trident. sess. 23. Can. 1. et seq. Echius tit. 7.

Secunda hæresis docet Non esse potestatem aliquam consecrandi, et offerendi corpus et sanguinem Domini, et peccata remittendi, et retinendi Conc. Trid. sess. 23. Can. 1.

Tertia Si quis dixerit præter sacerdotium non esse in Ecclesia alios ordines, et maiores, et minores, ibid. Can. 2.

Quarta Qui dixerit per ordinem non dari Spiritum sanctum, nec imprimi caracterem, et sacerdotem fieri posse laycum, ibid. Can. 4.

Quinta Contemnens cęremonias ordinis, ibidem Can. 5.

Sexta negans in Ecclesia hyerarchiam, quæ constat ex Episcopis, presbiteris, et alijs ibidem Can. 6.

Septima negans Episcopos esse presbiteris superiores, et asserens ordines conferendos esse de populi consensu, ibid. Can. 7. et seq. Cathec. de ordine.

OVA. CXVIII.

OVa, Carnes, et Caseum nunquam esse comedenda, hæresis est Manich. Direct. 2. p. q. 13. hær. 12.

PANIS

PANIS. CXIX.

PANEM solum, et caseum Deo esse offerendum, hæresis est, Direct. 2.p.q.6. nu.22. cap.fin.24.q.3.

PAPA. CXX.

LVTHERVS odio Papæ, non autem ex zelo motus hanc inter alias hæresim suscitauit, qua omnem potestatem à Papa eijcit dicens, Pontificum nomen esse inane, meraque Tyrannide factum esse ait, vt Papa super alios Episcopos fuerit exaltatus, de potestate Papæ latissimè tractat Turre.crem. in summa de Ecclesia per totam Nic.Sand. de Vis.Mon.Eccl.

Contra facit primo Math.16. ibi Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, et tibi dabo claues Regni cœlorum; et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum et in cœlis: et quodcunque solueris super terram, erit solutum et in cœlis. Quibus verbis multa sunt, quæ Primatum Petri manifestè docere videntur; primo mutatio nominis Simonis, quod nunquam mutauit absque collatione magnorum beneficiorum, et absque exaltatione ad aliquã dignitatem, vt fecit Abrahę, et Sarę Genes.17. ex quibus Christus secundum carnem propagandus erat; sic Iacob vocatus est

Israel

Israel Genes. 32. et Iacobum Zebedęi, et Ioannem fratres eius vocauit Christus Boanerges, hoc est filios tonitrui Marc. 3. Quos præ cęteris Apostolis post Petrum multum extulit Mat. 17. Luc. 2. Hos .n. assumpsit in testes suæ glorioſæ transfigurationis Math. 26. nomen autem Petrus à petra deriuatur, quia cum Christus vocetur petra secundum Paulum 1. Cor. 10. conuincitur indè Petro tale nomen fuisse datum, quod nomini Christi simillimum foret, cuius vicem in terris Petrus erat habiturus; secundo notandum est in d. textu. ibi Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, dicitur .n. primo Petrus, deinde Petra, super quam fundanda erat Ecclesia, vt interpretatur, Theophylactus, Hieron. et Hylarius, Chrysost. ibidem Aug. lib. contra Epistolam Donati et et serm. 26. de sanctis, Greg. lib. 6. Reg. Epistol. 36. tertio notandum est in dicto loco, q̃ soli Petro nominatim promisit Christus claues Regni cœlorum omnium; quoniam etsi alijs Apostolis datæ sint claues, non tamen cœlorum omnium, sed cœli: Petro .n. dicitur, quodcunque solueris super terram, erit solutum et in cœlis; cum verò omnibus Apostolis simul dantur claues; sic dicitur Math. 11. Amen dico vobis quæcunque alligaueritis super terram erunt ligata et in cœlo, et quæcunque solueritis super terram erunt soluta et in cœlo, ex quo colligitur fortiores, et potentiores claues fuisse datas Petro, quàm cęteris Apostolis, q̃d idem adnotauit

tauit Origenes d.cap.16. Math. et Tertullianus de præscriptionibus hæreticorum. Secundo contra hanc hæresim facit Luc.22. ibi Christus Apostolos docens, quis illorum esset maior futurus, dixit Petro, Simon ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos; Petrus ergo declaratus est à Christo cęteris Apostolis maior, quia illi iniungitur onus reliquos Apostolos confirmandi, vt Theophyl. dicit d.loco. Tertio Christus nominatim commisit Petro curam suarum ouium, cum bis illi dixit. Pasce agnos meos, et tertio iterum dixit: Pasce oues meas. Nos autem sumus populus eius, et oues Pascuæ eius Psalm.94. Quarto illa, quę Petrus operatus est, ostendunt eum alijs Apostolis fuisse prælatum; pro se .n. Petrus, et pro Christo didrachma soluit Mat.17. ibi dixit Christus Petro Vade ad mare, et mitte hamum, et eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, et aperto ore eius inuenies staterem; illum sumens da eis pro me, et pro te, vbi Hier. dicit quod tributa pro capite familiæ soluebantur, Petrus autem staterem, hoc est duplex didrachma pro se, et pro Christo soluit, quia iam Christus meditabatur Petrum post se caput Ecclesiæ relinquere; nec tamen dicitur monstrum (vt ait Lutherus) habens duo capita; nam non dicimus Petrum esse caput æquale Christo, sed caput sub Christo hoc est caput Christi loco subrogatũ,

et caput secundum post Christum .i. caput aliorum omnium à Christo. Similiter Petrus dicitur fundamentum secundum post Christum, quia prima petra post Christi petram. Theophyl. super Luc. cap. 22. Et fundamentum post Christum, hoc est fundamentum omnium aliorum à Christo. Secundum opus Petri designatur quod sit primus inter Apostolos, Marc. vlt. ibi Sed ite, dicite Discipulis eius, et Petro, quia præcedet vos in Galileam; si Petrus non fuisset cæteris præstantior, sat erat dixisse; Ite dicite Discipulis eius, sed cum addidit, et Petro, innuit aliquid esse in Petro singulare, propter qđ esset proprio designandus nomine, tanquam aliorum Princeps. Tertium opus est Ioan. 20. cum venirent ad monumentum Petrus, et Ioannes, licèt Ioannes præcucurrerit citius Petro, non tñ intrare est ausus ante Petrum, honorem ex hoc exhibens Petro, tanquam superiori. Quartum opus Act. 1. vbi nisi Petrus fuisset alijs superior à Deo institutus ab alijs non rogatus, in medio illorum non surgeret, vt cunctis sermonem faceret. Quintum opus Act. 2. Post receptum Spiritum sanctum Petrus vnus pro omnibus respondit, quia vnus omnibus præerat. Sextum opus primus fuit Petrus, qui inter Apostolos miraculum fecit Act. 3. ibi Argentum, et aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do. In nomine Iesu Christi Nazareni surge, et ambula; et statim consolidatæ sunt bases eius; quia prior erat in digni-

tate,

tate, et potestate, prior ēt virtutē Dei sui miraculafaciendo ostendit. Septimo soli Petro reuelatio facta fuit delectuū ciborum; qui in lege Moysi præceptus fuit non esse in Ecclesia amplius faciendum Act. 13. Surge Petre, occide, et manduca, quæres etsi omnes tangebat; soli tamen Petro reuelatur; quia Petrus persona erat communis omnium curam gerens; Octauo d. loco Act. 13. Petrus cum tamen esset in alterius Diœcesi, nempè Iacobi in Concilio Hierosolymitano, in medio illorum primus loquitur, et illius sententiæ omnes consenserunt, quod autem non fecisset, nisi fuisset superior etiam in alterius Diœcesi, pro ut est Romanus Pontifex, qui dicitur ordinarius ordinariorum. Nono quotiescunque cathalogus Apostolorum in Euangelio texitur, semper Petrus primo loco recensetur: quod non fuisset factum, si non fuisset cęteris superior Math. 10. Marc. 3. Luc. 6. Act. 1. Petrus ergo qui posterior vocatus ab Andrea, prior omnibus tamen ubique scribitur; et certè nisi in Ecclesia à Deo fuisset institutum, vt vnus esset summus sacerdos, euenire, quod dicitur Iudic. vlt. In illis diebus non erat Rex in Israel, sed vnusquisque, quod videbatur bonum sibi faciebat. Et hac sola de causa (vt existimo) hæretici conantur primatum Petri, et eius successoris minuere, vt videlicet liberius, quas voluerint possint docere hæreses. Vltra loca sacrę scripturæ, et opera Petri in eis, quibus cognoscitur eius primatus;

adest tertio loco com.opin.doct.Greg.lib.Homil. in Homil.21.Theoph.sup.Math.16.et sup. Luc.22. Leo 1. in Epist.9. et in serm.3. Aug. tract. super Ioan.lib.2.tract.56. et contra Donatistas serm.124.Hier. in multis Epist.ad Damas.Papam, Ambr.sup.1. ad Gal.Chrysostom. Homil.56. sup. Math. Athan. in Epist.ad Liberium, Euseb.lib.2. Eccl. Hyst. cap.14. Hylar. super Math.lib.6.Cyprian. lib.1. Epist.3. et libro 4. Epist.8. Origen. Homil.6. super Math. Iren.lib.3.cap.3. aduers. hæreses, Anacletus in Epist.3.de Patriarchis. Quarto, et vltimo adest definitio Ecclesiæ; nam in Concilio Niceno præsedit Asius Cordubensis, tanquam legatus Papę Iulij, in Concilio Ephesin. præsedit Cęcilius Alexandrinus Sedis Apostolicæ legatus, In Concilio Calcedonensi fuerunt legati Leonis Papę Primi; denique nullum fuit hactenus Generale Concilium, in quo si Papa fuit absens, legati illius non præsiderent, nullumque fuit legitimum Concilium, quod non fuerit authoritate Papæ congregatum, et confirmatum: et nō solum in Concilijs hunc primatum exercuit summus Pontifex, sed etiam in litibus sedandis ad illum, tanquam ad Iudicem supremum sunt causæ deolutę ex toto terrarum orbe, vt colligitur ex Epistolis Innocentij, Leonis, Gregorij Primi: Hęc hæresis damnatur in Concil. Constantiense sess.8.artic.36. et Conc.Florent. sub Eugenio 4. Contra hanc hæresim scripserunt, Echius Faber, Roffensis, et Latomus,

Catha-

Catharinus Pygius de Eccl. Hyer. Echius tit. 3. de Primatu Sedis Apostolicæ, Turrianus lib. 2. cap. 6. et seq. Merchior Canus lib. 6. c. 4. Turrecrem. in summa de Eccl. lib. 2. per totũ, Hosius tit. de authoritate Pontificis cap. Sacro sancta 22. distin. cap. in nouo 21. distin. cap. ad Romanam 2. q. 6. cap. non decet 12. distin. cap. licet 2. q. 6. cap. nemo 9. q. 3. cap. qui se scit 2. q. 6. cap. nemini 17. q. 4. cap. loquitur 24. q. 1. cap. non turbatur 24. q. 1. Bernard. lib. ad Eugenium, Ambr. in Lucam lib. 9. cap. 95. Dion. cap. 3. de diuin. Nom. Chrysost. in Mat. Hom. 55. Irenęus lib. 3. cap. 3. contra hæreticos, Cathec. de ordine pag. 353.

Secunda hæresis Pseudoapostolorum fuit, quæ etsi non tollat Papę potestatem; illam tamen asserit pendere à sanctitate, ita vt si Papa bonus non sit, nullam prorsus habeat potestatem: quã hæresim sequutus est Ioannes Vuicleph', et Ioannes Huss. Direct. 2. p. q. 12. hær. 11.

Contra hanc hæresim faciunt, quæ dicam infra ver. Potestas.

Tertia hæresis docet Papam, et Prælatos diuitias habere non posse, Director. 2. p. quæst. 14. hær. 20.

Quarta dicit, Papam esse Antichristum prȩcursorem maiorem, Direct. 2. p. quæst. 15. hæresi. 53.

PASCHA. CXXI.

INTER Asiaticos Episcopos fuit error talis, vt quartadecima Luna dominicum Pascha inuiolabiliter celebrarent, ita vt necessariò faciendum docerent, Direct.p.2.q.6.nu.61. Turrianus lib.5.cap.17. cap. fin. ver. Tessereſcedecatitæ 24. quæst.3. Hosius titul. de traditionibus libro 4.

Contra facit Ecclesiæ statutum, quo cauetur, vt Pascha die dominico celebretur, vt libro 2. Hyst. tripart. cap.12. quæ allegat Concilium Nicenum, et id seruat vsus vniuersalis.

PAVPERTAS. CXXII.

APostolici quidam sic dicti, docuerunt Neminem posse ad vitam æternam peruenire, nisi taliter fuerit pauper, quod nihil proprium habeat, quoniam (dicebant) talis fuit apostolorum vita, Direct.2.p.q.15.hær.2.

Contra facit ratio, quia nihil est vitę æternę repugnans, nisi tale sit expressa prohibitione interdictum; nam quod nunquam est prohibitum, intelligitur esse concessum, et per consequens non potest; cum factum fuerit, ab ingressu gloriæ aliquem impedire: at proprium habere nunquam fuit à Deo sine discrimine prohibitum, ergo erit licitum. Non obst. Luc.14. Nisi quis renunciauerit omnibus, quæ possidet,

non

non potest meus esse Discipulus; nam Resp. quod Christus illis verbis solum prohibuit affectum rerum temporalium, non autem proprietatem. Ille .n. visus est Christo omnibus renunciasse, qui quamuis diuitias habeat, paratus est omnes perdere antequam Deum propter illas offendat, quod si intelligeretur de renunciatione quantum ad opus; non autem quantum ad affectum, quonam pacto esset intelligendum illud Luc. 18? Amen dico vobis, nemo est, qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut filios propter Regnum Dei, et non recipiat multo plura in hoc tempore, et in seculo futuro vitam æternam. Ecce qualiter præcipit relinquere domum; quoniam eodem modo iubet illam relinqui, quomodo iubet relinqui parentes, et fratres, et vxores, et filios. At hæc omnia non ita vult à nobis relinqui, vt illis careamus; sed ne illis cor nostrum taliter figamus, quòd illarum rerum amor nos ab amore Dei separet: sic .n. eas res possidere debemus, vt dicit Psalm. 16. Diuitiæ si affluant nolite cor apponere; Non obst. etiam Math. 10. ibi Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris: nam Resp. illa verba non pertinere ad omnes christianos; sed ad solos Apostolos; neque ad illos pro omni tempore, sed solum pro eo tempore, quo ad prædicandum mittebantur, vt dixi supra ver. Apostoli hæresi. 2. est igitur magis perfectionis opus non habere propria, quàm de necessitate salutis

Math.19. nam si nihil licitum est habere proprij, quomodo Paulus iussisset reddi cui tributum tributum, cui vectigal vectigal?

Secunda hæresis Gulielmi Antuerpiensis adeò paupertatem extollit, vt dicat omnia peccata consumi sola paupertate.

Contra facit primo Exod.23. Pauperis non misereberis in iudicio; si pauper potest damnari, signum est, quod possit esse reus. Secundo Eccl.28. Tres species odiuit anima mea, et aggrauor valdè animę illorum, pauperem superbum, et diuitem mendacem, et senem fatuum et insensatum; Ecce vides pauperem superbũ, et per consequens peccatorem. Tertio si paupertas sufficeret, Christus non dixisset Mat.19. Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et sequere me; satis enim fuisset dicere da omnia pauperibus. Quarto 1.Corint.13. Si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, charitatem autem non habuero nihil mihi prodest; vbi si paupertas fuerit absque charitate, nihil prodest. Si tamen loquamur de paupertate spiritus, quæ est omnium terrenarum rerum contemptus, benè dicere possumus, Mathę. 5. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum cœlorum.

Tertia est hæresis Desiderij Longobardi dicẽtis Paupertatem non solum esse inutilem, sed etiam noxiam.

Contra facit Math. 19. ibi Si vis perfectus esse,

esse, vade, et vende omnia, quę habes, et da pauperibus, et sequere me; et Petrus omnium Apostolorum Princeps ibidem dicit, Ecce nos reliquimus omnia, et sequuti sumus te, quid ergo erit nobis? quod non fecissent, si paupertas esset noxia.

Quarta hæresis est asserens Ecclesiasticos viros debere esse pauperes, et esse contentos sola eleemosyna, de qua dixi supra vers. Ecclesia hæresi. 4.

PECCATVM. CXXIII.

PELAGIVS docuit Nullum esse peccatum originale; quem errorem tutati sunt Armeni.

Contra facit primo 3. Reg. 8. ibi Non est homo, qui non peccet; at paruulus est homo, cui imputari non potest peccatum actuale, quia caret vsu rationis; ergo habebit originale peccatum. Secundo facit Psalm. 50. Ecce .n. in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea; in vtero matris non fit peccatum actuale, ergo erit originale. Tertio Eccl. 40. Graue iugum super filios Adæ à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturę in matrem omnium; quod peccatum licèt tollatur per baptismum, manent tamē toto tempore huius præsentis vitæ multæ calamitates, et miseriæ, quæ ex peccato originali tanquam à fonte ortum habuerunt. Quarto ad

Rom.

Rom.3. Omnes peccauerunt, et egent gratia Dei: si omnes peccauerunt, ergo etiam paruuli, quia cum actualiter non peccent, sequitur quod habeant originale peccatum. Quinto ad Rom.5. Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, et per peccatũ mors; ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt; quod si paruuli peccatum non haberent iniustè morirentur, et paterentur famem, et sitim; necnon à spiritibus vexarentur. Sexto facit ratio, quia oportet, vt baptismi lauacro peccati originalis mãculam deleat, qui in gloriam intrare vult, Ioan.3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei. Septimo adest definitio Ecclesiæ Concil.Mileuit.cap.2.et Concil.Trident.sess.5.cap.si quis Adæ et seq. de hoc dixi in summa pec. cap. p.1. titul.1. quæstio.5. et seq.

Secunda hæresis Armenorum docet Omnes homines ante passionem Christi fuisse damnatos propter peccatum primorum Parentum.

Contra facit primo, quia Abraam, Isaac, et Iacob ante Christum fuerunt, et tamen scriptura testatur eos esse saluos, Math.8. ibi Multi venient ab oriente, et occidente, et recumbent cum Abraam, Isaac, et Iacob in Regno cœlorum. Secundo Luc.16.vbi dixit, diuitem Epulonem esse sepultum in inferno; Lazarus tamen mendicus fuit deportatus ab Angelis in sinum Abraæ. Tertio facit ratio, quia cum Deus sit

iustus,

iustus, simul iustum cum impio non damnat Hebr.11. at multi fuerunt iusti, vt manifestè scriptura testatur, vt Abel, Enoch, Moyses, Iob, et Dauid, ergo non est dicendum eos fuisse damnatos: nunquam ergo Deus aliquem ęterna morte damnat, nisi propter propria demerita Ezech.18. Ecce omnes animę meæ sunt, vt anima patris ita et anima filij, mea est: anima quæ peccauerit ipsa morietur, et infra, Hic non morietur in iniquitate patris sui; sed vita viuet. Pater eius, qui calumniatus est, et vim fecit fratri, et malum operatus est in medio populi sui; ecce mortuus est in iniquitate sua: et dicitis, quare non portabit filius iniquitatem patris? Videlicet quia filius iudicium, et iustitiam operatus est, omnia præcepta mea custodiuit, et fecit illa, viuet vita. Anima quæ peccauerit ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filij sui.

Tertia hæresis Valentini, et Manichei docet Peccatum non esse à libero arbitrio, sed à Dęmone.

Contra facit 1.Eccl.15. ibi Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilij sui. Adiecit mandata, et præcepta sua, si volueris mandata conseruare, conseruabunt te, et in perpetuum fidem placitam seruare. Apposuit tibi aquam et ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum, quod placuerit ei dabitur illi. Præterea aut Dęmon cogit, aut persua-

persuadet, si ergo cogeret, vtique voluntas nostra non esset libera; quod contrarium dixi supra de libero arbitrio; si verò Dæmon persuadet ad peccandum, et tunc si peccatum committitur, fit mediante libero arbitrio, quia persuasio non est coactio. Præterea si angeli mali peccauerũt à libero arbitrio, multo magis potest peccare homo, cuius vires sunt imbecilliores, Iob. cap. 4. Quarto Vnusquisque tenetur à concupiscentia sua abstractus, et illectus Iac. 1. non ergo semper tentatione Dæmonis peccat. Quinto si peccatum esset à Dæmone, frustra daretur præceptum homini vt non peccaret; sed hoc præceptum illi datum fuit Ioan. 5. Ecce iam sanus factus es iam amplius noli peccare, et 1. Corint. 13. Euigilate iusti, et nolite peccare.

Quarta hæresis Lutheri docet Omne opus quantumlibet rectè factum, esse peccatum.

Contra hanc vide, quæ dixi supra tit. de Operibus.

Quinta hæresis docet Aetius, quem sequutus est Lutherus, dicens Solam fidem absque vllo alio opere esse satis ad vitam æternam consequendam, et per consequens nullum peccatum quantumlibet graue imputari habenti fidem.

Contra hunc errorem dixi supra tit. de Fide hæresi. 2.

Sexta est hæresis Armenorum dicentium Esse aliqua peccata prorsus irremisibilia, quæ à nullo vnquam sacerdote remitti possunt.

Contra facit primo Math. 16. Quodcunque liga-

ligaueris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcunque solueris super terram, erit solutum et in cœlis, qui totũ dicit nihil excludit; nõ est ergo aliquod peccatum, quod à Petro remitti non possit. Secundo facit Math. 18. Ioan. 20. ibi Quæcunque solueritis super terram, erunt soluta et in Cœlo, et iterum, Quorum remiseritis peccata remissa erunt; ecce Apostolis datam esse potestatem absoluendi; non hoc vel illud peccatum, sed omnia. Non obst. Mat. 12. Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus; spiritus autem blaspemiæ non remittetur, et Quicunq; dixerit verbum cõtra filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerint contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro; ex quo loco videtur colligere peccatum in Spiritum sanctum non posse ab aliquo sacerdote dimitti; nam Resp. quod ibi loquitur de peccato aliquo in Spiritum sanctum, quod est duritia cordis, qua homo tenuit vsque ad finem vitæ remissionem peccati per pœnitentiam accipere; tale peccatum non remittitur, non quia irremisibile fuerit, sed quia de illo peccator non pœnituit: ideo nunquam in hac vita remittetur; post mortem vero, etiam si pœniteat, non remittetur; quoniam à mortuo perijt confessio; quamdiu autem peccator viuit illum patientia Dei ad pœnitentiam expectat Rom. 2. Si verò perseueratin iniquitate, secundum duritiam cordis sui, et cor impœnitens, thesaurizat sibi iram in die iusti

iudicij

iudicij Dei: et huic tali non remittitur in hoc seculo, neque in futuro Aug. in Epistol. 50. ad Bonifacium; secundò Resp. Riccard. de S. Victore in libello de spiritu blasphemiæ, quod ibi non est intelligendum de remissione culpæ; sed benè de remissione pœnæ; quoniam qui peccat in Patrem, vel in Filium habet excusationem, eo qđ egit per ignorantiam; et ita dignus est venia, qua videlicet aliquid de pœna peccato debita illi remittatur; qui autem peccauit in Spiritum sanctum, nullam habet excusationem, eo quod ex pura malitia; et ita non dignus venia, quia videlicet illi remittatur aliquid de pœna peccato debita.

Septima hæresis Vualdensium est Nullum peccatum capitale esse tolerandum, etiam si permittatur gratia vitandi quantumuis maioris mali.

Contra hunc errorem facit primo Math. 19. ibi Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras; ab initio autem non fuit sic. Ecce diuortium viri et vxoris permissum à Moyse; at tale diuortium esse malum Christus ostendit dicens: Quod Deus coniunxit homo non separet; quibus verbis, vt inquit Hieron. non dedit nouum præceptum, sed antiquum nouauit, et instaurauit, cum dixit ab initio non fuit sic: si Moyses permisit, ergo non probauit, quia illa permittimus, quæ non probamus, vt dicit ibi Chrysostom. Secundo facit ratio, si minus malum maiori malo comparatur,

habet

habet aliquam rationem boni, videlicet defectum illius gradus malitiæ, per quem maius malum excedit minus: Omnis autem declinatio à malo bona est, et iuxta illam rationem boni potest quodammodo acceptari à voluntate; ideò permittuntur meretrices, vt euitetur adulteriũ, et vitium contra naturam, dicente Hyerem. 5. Vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat, et Immutandus est vsus naturę in eũ vsum, qui est contra naturam, vt masculi in masculos turpitudinem suam operentur, vt ad Rom. 5. Tertio Math. 13. vbi qui zizania permittit in agro, timens ne eradicetur triticum, minus malum permittit, vt euitet maius. Quarto facit c. Nerui. c. duo mala distin. 13. ex quibus colligitur Principem licitè permittere posse populo suo aliquod minus malum, seu peccatum, vt ex illa permissione auertat à malo, seu à peccato maiori, et intellige de illa permissione, quæ solum excludit culpæ punitionem, non culpam ipsam; potest. n. Princeps permittere, hoc est non punire aliquod peccatum, vt abstineat populus à grauiori, non tamen potest permittere hoc est sic indulgere culpæ veniam, vt faciendo id quod permissum est, si est contra legem diuinam, non peccet: quia nullus hoc modo contra legem diuinam dispensare potest.

Octaua hæresis Iouiniani asserit Omnia peccata esse paria, Direct. 2. p. q. 4. n. 4.

Contra facit 1. Mat. 5. Ego dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio;

qui

qui autem dixerit fratri suo racha, reus erit concilio; qui aũt dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. His verbis apertè ostendit peccatorũ differentia, ex differentia reatus. Secundo Math. 1. loquens de his, qui noluissent Discipulos hospitio recipere ait. Amen dico vobis tolerabilius erit terræ Sodomorum, et Gomorreorum in die iudicij, quàm illi ciuitati. Tertio quia maius peccatum est in Spiritum sanctum, quàm in Patrem, vt dixi supra in 6. hæresi. Quarto Ioan. 19. Qui me tradidit tibi maius peccatum habet.

Nona hæresis Iouiniani, et Pelagij fuit, quos sequuti sunt Beguardi, et Beguinę docentes Hominem, qui semel per gratiam fuerit iustificatus, non posse amplius peccare.

Contra facit Primo 1. Corint. 10. Qui stat, videat ne cadat. Secundo Math. 6. Dimitte nobis debita nostra; quam orationem omnes vsq; ad finem vitæ dicere veraciter possunt. Tertio 1. Ioan. 1. Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est. Quarto adest definitio Ecclesiæ clem. ad nostram de hæreticis.

Decima hæresis est Martini Lutheri dicentis Nullum esse peccatum mortale, nisi incredulitatem, Direct. 2. p. q. 6.

Contra hanc vide quæ dixi supra tit. de fide hæresi 2. et Concil. Trid. sess. 6. Can. 27. et seq.

Item hæresis est assentire Peccata omnia vitari posse absque auxilio Dei, Direct. 2. p. q. 4. hær. 10. et non esse concedendam veniam peccatorum

catorum petentibus, ibidem q.6.n.28.c.fin.24. q.3. nec non fieri posse peccata ex sua natura, vt stuprum et similia absque culpa, ibidem q.7. hær.4.et peccantem conformare suam voluntatem diuinæ voluntati, ibidem q.10.hær.11.

Vndecima hæresis Ioan. Caluini docet Nullam esse differentiam inter peccatum mortale, et veniale, quoniam (vt ait) nullum est peccatum veniale, sed omne peccatum est mortale.

Pro tollenda huiusmodi hæresi notandum est, quòd peccatum mortale est illud, per quod tollitur vita spiritualis animæ, quæ est per gratiam; qua sublata recedit statim Deus ab anima, in qua habitat, et inde continuò sequitur mors: vndè Aug. Vita corporis tui est anima tua, vita animæ tuæ est Deus tuus; de quo dicit Ezech. 18. Anima quæ peccauerit ipsa morietur, et Sapient.15.Malorum amatores digni sunt morte. Peccatum autem veniale dicitur aliquando propter causam, vnde oritur, vt cum peccatur ex ignorantia, vel infirmitate, cui magis indulgetur, quàm si ex propria malitia; procedunt aliquando ab euentu, qui illi accidit, quia videlicet data est illi venia; iuxta quam acceptationem omne peccatum etiam mortale dicitur veniale, si digna pro illo fiat pœnitentia, et iuxta nullam istorum duorum significationem vtimur nomine peccati venialis; quia conuincere nitimur peccatum veniale natura sua differre à peccato mortali; tertio modo peccatum aliquod dicitur veniale ex sua natura, et ex propria ra-

tione: et est illud quod ex se, et sua natura, est tam leue, et tam minutum, vt nō valeat aliquem priuare gratia diuina, aut facere illum Dei inimicum, aut reddere illum dignum morte æterna. Hæc autem leuitas peccati aliquando inest illi ex natura sua, et ex genere suo; quia materia ipsa, aut res ipsa, circa quam versatur, est ex genere suo leuis, pro vt est modicus risus, aut verbum ociosum, quo nemo lęditur. Aliquando leuitas ipsa peccati prouenit non ex re ipsa; sed ex imperfectione operis, quæ contingere potest, etiam vbi res ipsa esset nimium grauis: talis autem operis imperfectio potest oriri ex paruitate materiæ, vt contingit in furto rei leuissimæ, aut in parua detractione, per quam in minima re lęditur fama proximi: potest etiam talis operis imperfectio oriri ex defectu liberationis, pro vt contingit in motibus subreptitijs; propter quem defectum opus ipsum non potest dici plenè voluntarium; et ideò non habet plenam rationem peccati, et indè euenit, vt veniale sit, quod alioquin fuisset mortale; mortale igitur infert mortē animæ, quę est priuatio gratiæ, et mortem æternam inferni; veniale autem nec vnam nec alteram mortem infert, sed tantùm facit ex se dignum pœna temporali.

Contra facit primo Psalm. 31. ibi Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei. Pro hac orabit ad te omnis sanctus; vbi sanctus orat pro impietate peccati, quod intelligitur

de

de veniale, alioquin non esset sanctus ille, qui orat. Secundo Prou.24. Septies in die cadit iustus, et resurgit; impij autem corruent in malum: si iustus est non cadit; si cadit non est iustus; oportet ergo vt sit aliquis casus peccati, qui iustitiam non tollat. Tertio facit Math.5. Omnis qui iracitur fratri suo reus est iudicio, qui autem dixerit fratri suo racha reus erit concilio: qui autem fatue, reus erit gehennæ ignis; cum igitur ex tribus illis peccatis solum tertiũ, et vltimum dicatur puniendum gehenna ignis, hoc est morte perpetua; colligitur illud solum esse peccatum mortale, reliqua verò esse venialia, Chrysostom. Homil.16. super Math. grauitas enim peccati colligitur ex magnitudine pœnæ. Quarto Math.12. Quicunque dixerit verbum contra filium hominis remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro; vbi constat quædam peccata remitti in futuro seculo, quæ sunt venialia, cum certum sit peccata mortalia non remitti in futuro seculo, quia illa ducunt hominem ad mortem æternam, Eccl. 11. Lignum quod ad Aquilonem ceciderit, ibi manebit. Quinto 1.Cor.3. Fundamentum.n. aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides, et stipulam: vniuscuiusque opus manifestum erit. Dies.n. Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, et vniuscuiusque

opus quale sit, ignis probabit; si cuius opus manserit, quod superædificabit, mercedem accipiet: si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse tamen saluus erit; sic tamen quasi per ignem: vbi apparet per lignum, fœnum, et stipulam significari peccata venialia, cum dicat fore saluum quasi per ignem. Sexto ad Heb. 5. Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum; vt offerat dona, et sacrificia pro peccatis, qui condolere possit ijs, qui ignorant, et errant; quoniam et ipse circundatus est infirmitate: et propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis: vbi colligitur quod nunquam Pontifex iuberetur offerre, nisi esset iustus; quatenus autem offerret pro suo peccato, debet intelligi de veniali, quod si offerret hostiam in peccato mortali existens augeret peccatum suum. Septimo Iac. 1. Vnusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus, et illectus, deindè concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum verò cum consumatum fuerit generat mortem; in quibus verbis duo genera peccatorum demostrantur: quorum vnum generat mortem, alterum autem non. Octauo Iac. 3. ibi, In multis offendimus omnes: multi .n. non peccauerunt mortaliter, vt Ioan. Baptista, et Hyerem. ideò dicendum est de peccatis venialibus. Nono facit ratio, quia si omnia peccata essent mortalia (vt docuit Caluinus) vtique

Deus

Deus esset nimis seuerus; non posset dici iugum eius suaue, eiusque onus leue Math. 11. similiter si nullum peccatū esset mortale, nisi infidelitas, (vt testatur Lutherus) vtique tolleretur iustitia eius; non .n. sat est credere Deum esse miseri cordem, nisi etiam credamus iustum; nam vt ait Sapient. 20. Misericordia, et veritas custodiunt Regem. Decimo facit com. sententia doct. Richar. de S. Vict. in opusc. de differentia peccati mortalis, et venialis, Anselm. sup. 1. Corint. 3. vbi etiam Aymon. Aug. libr. de bono coniug. cap. 6. vltimo dicit Concil. Trid. sess. 6. cap. 11. vbi de peccatis venialibus fit mentio: non obst. quod obijcit Caluinus de textu Mat. 5. ibi Qui vnum ex istis minimis mandatis contempserit, minimus uocabitur in Regno cœlorum; nam Resp. quod Caluinus more hæreticorum, non integrum citauit illum textum: dicit .n. ibi Qui ergo soluerit unum de minimis mandatis istis, et docuerit sic homines, minimus uocabitur in Regno cœlorum, ubi apparet quod non ob solam causam dicitur minimus in Regno cœlorum, quia soluit unum de mandatis minimis, sed quia soluendo illa docet alios sic esse faciendum, quamuis ergo soluendo minima quis peccet uenialiter; docendo tamen alios, ut sic faciant, peccat mortaliter, quia pernicioſe mentitur, et scandalum iniquitatis ponit coram proximo suo, dicendo sic esse ab omnibus faciendum, quemadmodum ipse fecit.

Duodecima hæresis est Ioannis Vuicleph di-

cens, Omne peccatum hominis prædestinati esse ueniale; quia nullum tale punitur æterna morte: et omne peccatum hominis reprobi esse mortale, quia omne tale (vt ait) morte æterna plectendum est.

Contra facit primo Genes. 1. ibi In quacunque die comederis ex eo morte morieris; vbi patet peccatum primi parentis fuisse mortale, et tamen nullus negat illum fuisse saluum. Similiter secundo de Dauid connubens cum uxore Vriæ peccauit mortaliter 2. Reg. 12. et tamen pœnitentia ductus factus est saluus. Tertio de filio prodigo dicitur Luc. 15. Filius hic mortuus erat, et reuixit. Quarto sequeretur absurdum quod omnia peccata dimissa sanctis fuissent uenialia, et tamen de Magdalena dicitur, quòd erat in ciuitate peccatrix: præterea frustra institutum esset sacramentum pœnitentiæ, quod tamen est necessarium Ezech. 18. Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, et fecerit iudicium et iustitiam uita uiuet, et non morietur. Quinto adest definitio Eccl. Concil. Trident. sess. 6. Can. 17.

Tertiadecima hæresis est dicere, Peccantem mortaliter uerè, et propriè hæreticum esse, Direct. p. 2. q. 10. hær. 10.

Quartadecima est, Peccantibus non esse comminatam damnationem; sed præbentibus tantùm malum exemplum, Direct. 2. p. quæst. 11. hær. 14.

Quin-

Quintadecima dicens Adam non amisisse sanctitatem, et iustitiam, cum mandatum Dei transgressus est Concil. Trident. sess. 5. Can. 1.

Sextadecima dicens Peccatum Adæ sibi soli, non eius propagini nocuisse, ibid. Can. 2.

Decimaseptima asserens Peccatum originale proprijs viribus posse tolli, ibid. Can. 3.

Decimaoctaua negans, Paruulos baptizandos esse ad tollendum originale peccatum, ibid. Can. 4.

Decimanona asserens Non remitti peccatum originale in baptismo, ibid. Can. 5.

POENITENTIA. CXXIIII.

LVTHERVS hæreticus docet Non esse tres partes pœnitentiæ, sed optimam pœnitentiam dicit esse nouam uitam; de confessione et contritione diximus superius suis in locis: superest tantùm hic ut ostendamus ex sacris literis satisfactionem esse necessariam, damnatur in Conc. Trident. sess. 14. Can. 4. et Can. 13. Cath. de pœnit.

Contra facit quia dimissa culpa restat aliqua pœna soluenda iuxta mensuram et pœnæ, et temporis à Deo decretam, quod patet primo Num. 14. ibi cum Moyses orasset Dominum dicens: Dimitte obsecro peccatum populi huius: respondit Dominus, dimisi: attamen omnes homines, qui tentauerunt me, non uidebunt terram pro qua iuraui patribus eorum; secundo

dimisso peccato Dauid, transtulit quoque Dominus peccatum tuum, adhuc remansit pœna 2.Reg.13. et 2.Reg.24. cum igitur post dimissam culpam remaneat pœna, potest homo aliquam pœnam voluntariè tolerare; et hæc pœna voluntaria, et libera tolerantia, est alterius pœnę debitę satisfactio, quæ consistit in eleemosyna, ieiunio, et oratione, vt probatur primo Dan.4. Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordijs pauperum. Secundo Luc.11. Quod superest date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt uobis. Tertio de oratione dicitur Eccl.21. Fili peccasti, ne adijcias iterum, et de præteritis deprecare, vt dimittantur tibi. Quarto in omni genere satisfactionis habetur Math.3. ibi Facite fructus dignos pœnitentię. Quinto ad Rom.6. Sicuti exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, et iniquitati ad iniquitatem; ita exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Sexto adest com.opin.doct. Isichius lib.4. super Leuitic. Beatus Fulgentius in Epist. ad Venantiam, Eucherius super libr.5. Regum, Druthmarus super 3.Math. vbi etiam Chrysostom. Theoph. super 6. ad Rom. Septimo adest definitio Ecclesiæ Concil. Florent. de Sacramento pœnitentiæ, Concil. Trident. sess.6. cap.14. et sess.14. cap.6. Non obst. primo Ezech.18. vbi Dominus per Ezechiam prophetam promittit, se non recordaturum amplius omnium iniquitatum impij, si ille egerit pœnitentiam ab omnibus

pecca-

peccatis suis: si post actam pœnitentiam Deus non recordatur iniquitatum impij; ergo post culpam remissam, nullam Deus exigit pro peccatis pœnam; quoniam (inquit Lutherus) si aliquam post remissionem culpæ Deus exigeret pro illo pœnam, iam recordaretur iniquitatum impij post illius pœnitentiam; nam Resp. hanc promissionem non fuisse factam, si ille solum fuerit corde contritus; sed promisit hac conditione; si impius egerit pœnitentiam; at pœnitentia integra complectitur etiam satisfactionē, ideò non facit integram pœnitentiam, qui pro peccato non satisfacit: secundò dato quod nomine pœnitentiæ complecteretur tantùm contritio, responderi potest, quod ibi non tantùm requiritur pœnitentia, sed etiam vt faciat iudicium et iustitiam, quod completur in satisfactione, nisi esset tanta contritio, quæ compensaret defectum exterioris pœnæ; tertio Resp. quod quatenus dicit se nō recordaturum iniquitatum impij, dicit se non amplius habiturum illum tanquā inimicum; sed nō obstat, qđ post amicitiam contractam illum amicè puniat; Nam iuxta Pauli sententiam ad Hebr. 12. flagellat Deus omnem filium, quem recipit. Secundo non obst. quod Christus pro nobis omnibus satisfecit, et ideo iniuriam facit Christo peccator, qui pro suis peccatis Deo satisfacere conatur, vndè Paulus 1. Timot. 2. Christus se ipsum dedit redemptionem pro omnibus, et 1. Ioan. 2. Factus est propitiatio pro peccatis nostris, et non tantùm

tùm pro nostris, sed pro totius mundi; nã Resp. iuxta dictum 1. Pet. 2. Christus pro nobis passus est, nobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius, et Psalm. 115. Quid retribuam Domino pro his, quæ retribuit mihi? dixit, Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini inuocabo; præterea Resp. quod omnis propositio, quæ dicit, quod Deus vult omnes homines saluos fieri; et in Christo omnes viuificabuntur, sunt interpretandæ, hoc modo videlicet Christus redemit omnes .i. qui redempti, aut redimendi sunt, seu nullus homo nisi per Christum redimitur. In Christo omnes viuificabuntur .i. omnes, qui viuificandi sunt, in Christo viuificabuntur, seu nullus qui viuificatur habet vitam, nisi per Christum; item Deus vult omnes homines saluos fieri .i. Deus vult omnes homines, qui saluandi sunt, saluos fieri, aut nemo nisi Deo volente saluatur; quod si taliter non intelligerentur, vix illarum veritas haberi posset, cum multi sint homines, qui non sunt redempti, viuificati, neque salui; non tamen id contingit, quia redemptio per Christum oblata non fuerit illis sufficiens, perindè ac alijs, qui redempti sunt; sed quia ipsi noluerunt vti redemptione per Christum data, neque voluerunt accipere conditionem redemptionis, reconciliationis, et vitæ, et perpetuæ salutis; non enim omnibus salutem obtulit, sed illis solum, qui Dei mandata custodierint, Ioan. 15. Vos amici mei estis, si mandata mea feceritis, et

idem

idem 14. Si diligitis me mandata mea seruate, et Math. 19. Si vis ad vitam ingredi serua mandata, ita interpretatur Aug. in Epistola ad Vitalem, et in lib. de Origine animæ; vndè dicendum est, Christus satisfecit pro omnibus, qui pro peccatis suis satisfaciunt; seu melius, nemo nisi per Christum pro peccatis suis satisfacit, vndè Paulus 2. Timot. 2. Fidelis sermo: nam si commortui sumus, et conuiuemus, si sustinemus, et conregnabimus; Satisfactio .n. Christi non applicatur alicui, nisi mediante sacramento, aut aliquo bono opere, et nihil Dei glorię detrahimus; sed meritum passionis eius extollimus, cum dicamus, passione sua non solum satisfecisse pro nobis, sed etiam meruisse, vt opera nostra essent satisfactoria. Tertio obijciunt quod in sacris literis non reperitur hoc verbum satisfactio in hunc sensum, neque apud sanctos Patres; nam Resp. quod sacræ literæ prescribunt nobis leges de operibus, quæ facere debemus, et de rebus, quas credere tenemur, non tamen de vocabulis, quibus necessariò vti oportet; qñ cum de re ipsa constat, parum refert; si hoc, aut illo vocabulo vtamur: quatenus autem dicitur, quod hæc vox non reperitur apud sanctos Patres, Resp. hoc esse falsum; nam reperitur apud Greg. Hom. 34. super Euāg. Leon. j. in Epist. 89. Hier. super Malachiam, Ambros. lib. ad Virginem c. 8. Cyprian. Epist. 13. lib. 1. Tertullianus lib. de Pœnitentia.

Secunda hæresis Lutheri docet Pœnitentiam,

quæ

quæ ex timore gehennæ oritur esse non solum inanem, verum etiam noxiam.

Contra quam nota hìc quæ dixi supra de contritione, damnat in Concil. Trident. sess. 14. Can. 5.

Tertia hæresis Nouitianorum est, quæ tollit omnem pœnitentię virtutem, dicens Eos, qui semel lapsi sunt, nunquam postea consequi remissionem, quantumlibet postea pœniteant.

Contra facit primo Iob 41. Tu quidem gressus meos dinumerasti; sed parce peccatis meis. Secundo Dauid post peccatum commissum Psalm. 50. dixit Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam, et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Tertio Math. 18. ibi, ille Rex omne debitum dimisit seruo suo, quoniam rogauit eum; et quia ille cum alio conseruo non exercuerat eandem misericordiam, coniectus est in vincula, et carcerem. Quarto Sap. 7. ibi Malitia sapientiam non vincit; quod si aliquod peccatum non esset remittendum, sapientia esset victa à malitia, aut superata illius potestas si non potest, aut superata misericordia, si non vult. Quinto Eccl. 21. Fili peccasti, ne adijcias iterum; et de præteritis deprecare, vt tibi dimittantur. Sexto Isa. 55. Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et reuertatur ad Dominum, et miserebitur eius, et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum. Septimo Hyer. 18. Si pœnitentiam

tiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus illam, agam et ego pœnitentiam super malo quod cogitaui, vt facerem ei. Octauo Ezech.18. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, et fecerit iudicium et iustitiam, vita viuet, et non morietur; omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor. In iustitia sua, quam operatus est viuet. Nono Math.9. Non est opus benè valentibus medico, sed male habentibus. Euntes discite quid est misericordiam volo, et non sacrificium. Decimo Psalm.102. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu uitam tuam, qui coronat te in misericordia, et miserationibus. Vndecimo adest definitio Ecclesiæ Concil.Rom.Concil.Nicen.cap.8. Concil.Trident. sess.6. cap.14. et Can.29. Echius tit.8. de confess. de hoc S.Thom.3.p.q.84. et seq. doct. com. in 4. sent. distin.14. et sequent. Concil.Trident.sess.14. Hosius de sacram.pœnit.cap.44. et cap.seq.

Quarta hæresis est asserere Non esse distincta hæc duo sacramenta baptismum, et pœnitentiam Concil.Trident.sess.14.Can.2.

Quinta negans verba illa Accipite Spiritum sanctum etc. non esse intelligenda de potestate remittendi, et retinendi peccata, ibidem Can.3.

Sexta Non esse necessarium confiteri omnia sua peccata mortalia, quarum memoria habe-

tur

tur cum circumstantia mutante speciem, saltem semel in anno, ibid. Can. 7. et 8.

Septima asserens Absolutionem non esse actū iudicialem, ibid. Can. 9.

Octaua dicens Episcopos non posse sibi reseruare casus ibid. Can. 11.

Nona dicens Totam pœnam cum culpa dimitti; et claues datas ad soluendum, non ligandum ibidem Can. 12. et 15.

PEREGRINVS. CXXV.

DIOTREPHES quidam docuit Non esse impendendam humanitatis curam peregrinis.

Contra facit primo Exod. 23. Peregrino molestus non eris. Secundo Leuit. 23. Postquam messueritis segetem terræ uestræ, nec secabitis eam usque ad solum, nec remanentes spicas colligetis, sed pauperibus, et peregrinis dimittetis eas. Tertio Deut. 14. Peregrino, qui intra portas tuas est, da ut comedat. Quarto Iob. 21. Foris non mansit peregrinus; ostium meum uiatori patuit. Quinto Math. 25. Hospes fui, et non recepistis me. Sexto Loth, ut Origenes annotauit Homil. 5. super Genes. ab incendio Sodomorum, et Gomorreorum propter solam hospitalitatem liberatus est.

PERFECTIO. CXXVI.

PERFECTIONE Apostolis se pares esse, hæresis est, Direct.p.2.q.12.n.4.et acquiri possit adeò, vt vlterius progredi non possit, ibid.q.7.n.1.

PERSONA. CXXVII.

PERSONAM eandem esse Patrem, et Filiũ, et Spiritum sanctum asserere, hæresis est, Direct.p.2.q.6.n.41.

Item si dicatur Vnum esse vnitate collectiuè, non autem essentiæ, ibid.q.7.n.2.

Item Eas non posse aliquid agere intrinsecè vnam sine alia, ibid.q.9.art.23.

PHILOSOPHIA. CXXVIII.

PHILOSOPHIAE studium cõdemnandum esse, error est Arnaldi, Director.2.p.q.11. numero 5.

POTESTAS. CXIX.

VNA de hac re est hæresis Vuldensium, quæ asserit Omnem potestatem, tam laycalem, quàm Ecclesiasticam amitti per peccatum mortale.

Quem errorem sequuti sunt Ioannes Vuicleph,

cleph, et Ioannes Huſſ. qui tali vtuntur medio. Omnis poteſtas à Domino Deo eſt, Deus autem non præſtat dona ſua peccatoribus, ergo peccator caret poteſtate: nam Reſp. falſum eſse, quod Deus non donet, ſeu non concedat dona ſua peccatoribus. Nam Hyer. 27. Et nunc itaque ego dedi omnes terras iſtas in manu Nabuc donoſor Regis Babylonis ſerui mei. Inſuper et beſtias agri dedi ei, vt ſeruiant illi, et ſeruient ei omnes gentes, et filio eius, et filio filij eius; donec veniat tempus terræ eius et ipſius, et ſeruient ei gentes multæ, et reges magni: Ecce Nabucdonoſor malus dicitur Rex; quoniam regnare facit Deus hominem hypocritam propter peccata populi, vt inquit Iob cap. 14. Secundo Math. 23. Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribę et Phariſęi: omnia quæcunq; dixerint vobis facite; ſecundum verò opera eorum nolite facere: dicunt .n. et non faciunt. Tertio 1. Pet. 2. Serui ſubditi ſint in omni timore Dominis, non tantùm bonis et modeſtis, ſed etiam dyſcolis. Quarto Iudas Apoſtolus erat, et tamen peccator erat, Ioan. 6. Non ne duodecim vos elegi? et vnus ex vobis Diabolus eſt. Quinto Ioan. 11. Caiphas cum eſset pontifex, anni illius prophetauit. Pontifex erat et ſententiam mortis aduerſus Chriſtum dicebat; poſsibile eſt ergo, vt quis ſit peccator, et pontifex; nam qui ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos, et malos, etiam donat regna iuſtis, et peccatoribus. Sexto, et vltimo adeſt definitio Eccleſiæ

Concil.

Concil. Constant. sess. 8. artic. 4. et Concil. Trident. sess. 7. Can. 12.

Secunda hæresis dicit Potestatem à Christo datam Petro in se esse translatam, Direct. p. 2. q. 12. nu. 3.

PRÆCEPTVM. CXXX.

PRIMA hæresis est Lutheri, quæ docet Nullum esse in tota lege Euangelica præceptũ.

Contra facit primo Math. 5. Non veni soluere legem, sed adimplere; adimpleuit autem legem veterem cum illi addidit præcepta, quæ non erant in illa, vt illis additis fieret integra, et perfecta lex; ita interpretatur Hier. et Chrysost. Homil. 18. et Tertull. lib. 4. contra Marcionem. Secundo Ioan. 15. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego præcepta Patris mei seruaui, et maneo in eius dilectione. Tertio facit Math. 28. ibi Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filij, et Spiritus sancti: docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis. Quarto facit particulare præceptum fidei, Mar. 16. Qui crediderit, et baptizatus fuerit saluus erit; qui verò non crediderit condemnabitur: eodem modo est præceptũ de baptismo Ioan. 3. ibi Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto non potest intrare in Regnum Dei; similiter, pœnitentiam esse in præcepto probatur Luc. 13. Nisi pœnitentiam egeritis, omnes

simul peribitis, et hic loquitur de pœnitentia, quæ virtus est: de pœnitentia autem sacramentali dictum est supra cum de confessione egimus. Quinto facit ratio, si nullum est præceptum in Euangelio, ergo nullum est peccatum in eis, quę sub Euangelio veniunt; nam Paulus docet non esse præuaricationem, vbi non est lex ad Roman. 4. si non est præuaricatio ergo non est peccatum, quia Propheta regius, cesset omnes peccatores esse præuaricatores. Sexto non solum præcepta Euangelica pertinent ad christianos, sed etiam præcepta decalogi; nam præceptailla sunt de lege naturæ, et omnia, præter illa tria primæ tabulæ præcepta deducuntur ex illis duobus primis naturalis rationis notissimis principijs; Quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, hæc et facite illis. Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris; quæ duo legis naturæ principia Christus confirmauit in Euangelio, Math. 5. et non solum hæc vniuersalia, sed etiam particularia confirmauit, cum dixit Si vis ad vitam ingredi, serua mandata; et cum interrogatus esset, quæ essent hęc mandata Mathę. 19. dicit, Non homicidium facies, non adulterabis, non furtum facies, non falsum testimonium dices, Honora patrem tuum, et matrem tuam. Septimo, et vltimo adest definitio Eccle siæ Concil. Trident. sess. 6. cap. 11. et Can. 19. non obst. quod obijcit Lutherus illud ad Gal. 3. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, et ibidem 5. In libertá-

tem

tem vocati estis fratres; nam Resp. omnia hæc, et alia similia loqui de illa sola libertate, qua liberauit nos Deus à seruitute legis Mosaycę, et iam post mortem non simus obligati ad seruandum cęremonias, et iudicia legis Mosaycæ; nam in tota illa Epistola nihil aliud loquitur Paulus: ideò ne aliquis putaret se liberum ab obedientia mandatorum moralium dicit ibidem, Vos enim in libertatem vocati estis fratres: tantùm ne libertatem in occasionem detis carnis; sed per charitatem spiritus seruite inuicem, quod ita interpretatur Hier. ibidem, eodem modo intelligitur dictum Pauli 2. Corint. 3. Vbi spiritus Domini, ibi libertas, hoc est qui spiritum habet intelligit se liberum à seruitute legis Mosaycæ; secundo intelligas, vbi est spiritus Domini, ibi sit libertas à seruitute peccati; nam omnis qui facit peccatum seruus est peccati Ioan. 8. tertio dicas, vbi spiritus Domini, ibi libertas, hoc est non timore pœnę coactus, sed amore Dei ductus spontè iustitiã operatur, ita intelligitur 1. Timot. 1. legem non esse iusto positam, sed iniusto; qui. n. sponte facit ea, quæ lex moraliter iubet, vel amplius, cur ei necessitas legis imponetur? libertate. n. facit, non necessitate quod facit: prętera non est verisimile Paulum tenuisse nos esse liberos ab obseruantia mandatorum Dei, cum excludat tam sępè adulteros, fornicarios, homicidas, fures, et alios huiusmodi à Regno Dei Paulus ad Ephes. 5. Cathc. titul. de præcept.

Secunda hæresis Philippi Melanctonis docet Nullum esse in Euangelio consilium; sed omnia, quę nobis commendantur, esse præcepta.

Ad tollendum hunc errorem notandum est primo quod pręceptum aliquando sumitur pro doctrina à verbo præcipio, quod est docere, vndè dicitur præceptor: in quam significationem non capimus hoc in loco; nam sub ista etiá consilia, quæ docentur, continerentur. Secundo not. quod mandatum dicitur quicquid alicui quouis modo commendatum est, etiam si non cogatur ad faciendum, et iuxta hanc significationem etiam consilia dicuntur mandata; quia consilia etiam nobis commendantur, et ideò iuxta hanc significationem in hoc casu non vtemur hac voce mandati. Præceptum ergo siue mandatum, de quo nunc loquimur, est lex siue regula, quæ obligat eos, quibus datur, ad aliquod agendum, vel ommittendum, cui legi, vel præcepto qui non obedierit, damnationis æternæ sententiam à iusto Iudice audiet: consilium autem est adhortatio quædam ad bonum, cuius obedientia laudabilis est; transgresio verò inculpabilis; quæ duæ definitiones colliguntur ex lib. 1. Hier. contra Iouinianum, his ita suppositis.

Contra hanc hæresim facit primo Math. 19. ibi Si vis ad vitam ingredi serua mandata; cum autem dixisset ille adolescens, se omnia mandata seruasse dixit ei Saluator noster, Si vis perfectus esse; vade, vẽde omnia, quæ habes, et da pauperibus

ribus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni sequere me. In quibus verbis id annotare oportet, quod aliud dixit esse necessarium ad assequendum vitam æternam, et aliud ad perfectionem obtinendam; vnum est præceptum, et alterum consilium, Chrysostom. Homil. 64. super Math. et Hier. super Math. 19. Nec potest intelligi de abdicatione bonorum, quæ fit in persecutione ad veram fidei confessionem; nam Resp. quod tali casu non est solum de perfectione vitæ; sed etiam de necessitate salutis. Secundo Math. 19. Sunt enim Eunuchi, qui de matris vtero sic nati sunt: et sunt Eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: et sunt Eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter Regnum cœlorum. Qui pōt capere capiat: quia se castrare propter Regnum cœlorum hoc est continentes esse, valde difficile erat, noluit de illa præceptum dare; sed solum adhortatus est dicens, qui potest capere capiat; quæ admonitio non habet vim præcepti, sed consilij secundum Hiero. d. loco dicit, quasi hortantis vox Domini est, et milites suos ad pudicitiæ præmium concitantis; qui potest capere capiat, qui potest pugnare pugnet, superet, ac triumphet, conclud. Chrysost. Homil. 63. super Math. apertius dicit Paulus 1. Corint. 7. De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autē do: Hanc distinctionem facit Ambr. libr. de viduis, August. lib. 1. de adult. coniug. cap. 18. Hier. super Paulum 1. Corint. 7. Tertio facit ratio, quia si nullum consilium esset in lege

Euangelica, sed esent omnia præcepta contenta in ea, vt non resistere alicui offendenti: si quis nos percuteret in vna maxilla, præberemus ei et alteram: si quis in iudicio vellet nobiscum contendere, et tollere tunicam, dimitteremus et pallium, et alia id genus nonnulla; vtique non esset iugum Domini suaue, et onus eius leue Mat. 5.

Pro clariori intelligentia huius articuli tres regulæ constituendæ sunt, quibus dignoscitur præceptum à consilio. Prima summenda est ex consideratione duorum præceptorum charitatis, quæ sunt dilectio Dei, et dilectio proximi; ex quibus duobus tota lex pendet, et Prophetæ Math. 22. Quicquid igitur necessarium est ad seruandam dilectionem Dei, aut proximi, id omne credendum est esse nobis præceptum, quoniam plenitudo legis est dilectio ad Rom. 13. Quod autem ad augendã dilectionem Dei, aut proximi est conueniens, et non necessarium ad illius cõseruationem, id pro consilio tantùm habetur. Secunda regula sumitur ex præmio, quod promittitur obedienti, et ex pœna infligenda transgressori. Nam transgressor damnandus est ad mortem temporalem, aut æternam: clarissimè conuincitur indè, præceptum esse illud ad mortale peccatum obligans, vndè ad Gal. 5. Qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur; nullus à Regno Dei excluditur, nisi pro peccato mortali: si autem obedienti promittitur præmium, et nulla pœna transgressori designatur; iustè credere possumus, illud

esse

esse consilium, et non præceptum, ideò virginitas dicitur cõsilium, cui promittitur Regnum cœlorum, iuxta illud Sunt Eunuchi, qui se castrauerunt propter Regnum cœlorum; quòd si posthabita virginitate nuptias elegerit nulla propter hoc illi infligitur pœna, dicente Paulo 1. Corint. 7. Si nupserit virgo non peccat, eodem modo cognoscimus, paupertatem euangelicam esse tantùm in consilio, et non in præcepto; quia diuitiarum possessori nulla propter hoc pœna assignatur, et illas renuncianti præmium promittitur à Deo; Tertia regula est, quę accommodari potest non solum huic negocio, sed omnibus quæ ad fidem, et ad mores spectãt; et est totius Ecclesiæ cõsensus, vt illa pro præceptis habeamus, et illa tanquam consilia æstimemus, quæ concors sacrorum omnium doctorum consensus semper iudicauit esse consilia, et non præcepta; nam cum Ecclesia sit columna, et firmamentum veritatis, et Christus cum illa sit vsque ad consumationem seculi, consequens est, vt in his, quæ ad salutem sunt necessaria, illa errare non possit 1. Timot. 3.

Tertia hæresis Lutheranorum est, quæ asserit Nihil esse bonum, et Deo gratum, nisi quod est ab illo mandatum, atque præceptum.

Contra facit primo, quod dixi in proxima præcedenti hæresi. Secundo facit Genes. 4. vbi oblatio Abel placuit Deo; quæ tamen illi præcepta non fuit. Tertio Genes. 8. ibi Odoratusque est Dominus odorem suauitatis; vbi holo-

causta oblata per Noe fuerunt grata Deo, non tamen ab eo præcepta. Quarto placuit Deo, vt Phinees interfecerit Israelitem coeuntem cum muliere madianitide, quod tamen ei non fuit præceptum Num. 25. Quinto grata fuit Deo Racha Betarum religio, qui sine Dei præcepto vinum non bibebant, et multis in alijs absque præcepto vitam austeram gerebant, Hyer. 35. Sexto Daniel propheta nullum suscepit ieiunandi præceptum, et tamen valdè gratum Deo fuit Dan. 10. Septimo Ioannes baptista fuit gratissimus, et tamen asperitas eius nunquam fuit ei à Deo præcepta; Ioan. 3. et Math. 11. Octauo Christus redemptor noster pauper fuit, quatenus homo; quam paupertatem ille propria electione sumpsit, et non aliquo patris mandato 1. Corint. 8. Quoniam propter nos egens factus est, cum esset diues, vt illius inopia nos diuites essemus. Nono Aug. lib. j. de adulterinis coniugijs cap. 14. dicit non solum opera facta absque Dei præcepto posse esse bona, et Deo grata, sed aliquando esse meliora, et Deo magis accepta, quàm alia quę ex præcepto illius fiunt.

Quarta hæresis Lutheri docet Deum præcepisse nobis ea, quæ impossibilia sunt, vt à nobis seruentur, exemplum ponens de præcepto dilectionis Dei, cum impossibile sit aliqua non amare, nisi Deum, et exempl. de præcepto, non concupisces; nam semper remanet penès baptizatum concupiscentia.

Contra

Contra facit primo Deut. 15. ibi Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi, non supra te est, neque procul positum, neque in cœlo situm, vt possis dicere, quis nostrum valet ad cęlum ascendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus atque opere compleamus? neque trans mare positum, vt causeris et dicas: quis et nobis poterit transferre mare, et illud ad nos vsque deferre, vt possimus audire, et facere quod præceptum est? sed iuxta te est sermo valde in ore tuo, et in corde tuo, vt facias illum. Secundo Math. 11. ibi Iugum meum suaue est, et onus meum leue. Tertio 1. Ioan. 5. Mandata eius grauia non sunt. Quarto facit ratio, quia si præceptum Dei esset impossibile, iniustè ageret: lege .n. naturali docemur neminem obligari ad impossibile, teste Augustino; nemo peccat in eo, quod vitare non potest Ambr. lib. j. de Beato Iacobo cap. 3. Basil. Reg. Monach. cap. 83. Hier. ad Damasum. Quinto adest definitio Ecclesiæ Concil. Triden. sess. 6. cap. 11. Quod autem attinet ad rationem Lutheri Resp. quod nõ sic præcipitur, vt Deum ex toto corde diligamus, qđ nihil præter Deum diligamus: sed sic iubemur diligere, vt nihil repugnans præceptis Dei amemus, quapropter ille dicendus est diligere Deum ex toto corde, qui Deum diligens reliqua omnia mandata eius seruat, Ioan. 3. Si quis diligit me, sermones meos seruabit, et 1. Ioan. 5. Hæc est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus. Præterea, si præcepta essent impossibilia, vtique scriptura

non

non diceret plures dilexisse Deum, eiusq; mandata seruasse, vt legitur 1.Reg.14. de Dauid, de quo Dominus dixit Non fuisti sicut seruus meus Dauid, qui custodiuit mandata mea, et ambulauit post me in toto corde suo, et idem Dauid Psalm.118. dicit In toto corde meo exquisiui te, et alibi Ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui; si ad omnia mandata tua, ergo et ad mandatum dilectionis Dei. Ad illud præceptum, quod Lutherus dicit impossibile, nempè non concupisces etc. Resp. quod per illud preceptum non prohibetur carnis concupiscentia, quia cum talis concupiscentia regulariter reperiatur in omnibus hominibus, nullus est, qui tale seruasset præceptum. At Dauid custodiuit omnia mandata Domini, ergo et hoc mandatum: non autem custodisset illud, si carnis concupiscentia fuisset prohibita: conuincimus ergo, vt per illud præceptum non prohibeatur concupiscentia carnis, sed interior voluntatis affectus; pro cuius rei declaratione notandum est, quod peccatum accipitur tripliciter, primo pro hostia, quæ offertur pro peccato 2.Corint.5. Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit: hoc est hostia pro peccato, à qua peccati significatione nunquam aliquis dicitur peccator; ideò Paulus dicit Deum illum non fecisse peccatorem; sed quod fecit eum peccatum: secundo modo dicitur peccatum causa alliciens, aut impellens ad peccatum, vel pœna peccati, Paulus

lus ad Rom.7. Si autem quod nolo malum hoc facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum: peccatum hoc loco nominat Paulus carnis concupiscentiam; à quo peccato nullus peccator dicitur, quia ipsa concupiscentia in malum impellit, et in pœnam primi peccati data est, vndè Aug. super Epist. ad Gal. aliud est peccatum habere, et aliud peccare, sicuti aliud est, quod regnet peccatum in nostro mortali corpore, quod prohibetur ab Apostolo ad Rom.6. aliud autem quod non inhabitet; nam hoc non prohibetur ad Rom.7. dixit Si .n. quod nolo malum id ago, iam ego non operor illud, sed quod habitat in me peccatum, Riccardus de S.Vict. lib.2. de Emanuele cap. fin. tertio modo dicitur peccatum pro culpa, et Dei offensa, quam voluntas nostra transgrediendo Dei præceptum committit, et propter quam voluntas sic peccans rea efficitur alicuius pœnę infligendæ, et ab hoc peccato dicitur homo peccator: de hac ergo peccati significatione loquentes, dicimus concupiscentiam carnis, aut fomitem non esse peccatum, et per consequens non esse prohibitam, per præceptum illud Non concupisces. Hosius Tit.de Charitate cap.65. Aug. lib.14.cap.10.cap.24. de ciuit.Dei, et lib.1.ad Bonifacium cap.13. et lib.1. de Nuptijs. Hanc hęresim de concupiscentia damnat Conc. Trid. sess.7.Can.18.

Quinta hæresis docet Preceptum nullum posse adimpleri in hac vita, Direct.2.p.q.10.n.14.

PRÆ-

PRÆDESTINATIO. CXXXI.

PRAEDESTINATI nomen à sua doctrina suscipientes docebant, Piè viuentibus non prodesse bonorum operum laborem, si à Deo ad mortem ordinati fuissent: et impijs peccatoribus non obesse quęcunque scelera, et flagitia ab illis commissa, si Deus illos ad vitam ęternam prędestinasset: quem errorem per mille annos sepultum resuscitauit Ioannes Huss. ab inferis.

Contra facit primo Genes. 4. ibi Dominus ad Cain: Nonne si bene egeris recipies? vbi Dominus promittit homini prędito prœmium bonorum, si ea voluerit agere; nouit .n. Deus mutare sententiam, si homo cęperit mutare vitam; vndè Hyerem. 18. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam; agam et ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui, vt facerem ei. Secundo certum est, quòd Dauid fuit prędestinatus à Domino ad vitam æternam; nihilominus propter scelus commissum fuit dictus filius mortis; vndè nisi pœnitentiam egisset fuisset dignus morte 2. Reg. 12. Tertio Petrus prędestinatus ad vitam æternam, aliquando à Christo fuit uocatus Sathanas, Mathę. 18. et magistrum suum ter negauit. Quarto adest definitio Ecclesię Conc. Constant. sess. 15. Echius tit. 31. Concil. Trid. sess. 7. Can. 6.

Secunda hæresis Lutheranorum docet Hominem sine speciali Dei reuelatione posse scire

se

se esse à Deo prędestinatum ad vitam æternam.

Contra facit primo ratio, quia Petrus non pōt esse certus certitudine euidentiæ de sua prędestinatione; quoniam se esse prędestinatum non potest sibi esse aliquo modo euidens. Nam ex sola terminorum notitia, nō potest esse euidens; quoniam sola prima principia per se nota sunt hoc modo euidentia; at cum Petrum esse prędestinatum non sit principium per se notum, consequens est, vt possit hoc modo esse euidens; alioquin si hoc modo esset euidens Petro se esse prędestinatum, vnicuique etiam esset euidens d. Petrum esse prædestinatum: secundo modo non potest esse euidens Petro se esse prædestinatum per demonstrationem; quoniam illud nō est res necessaria; sed merè contingens, cum pendeat ex sola voluntate Dei, Paulus ad Roman. 9. Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei; res autem contingens non potest per demonstrationem probari, quia teste Arist. de contingentibus nō potest haberi scientia: tertio modo non potest esse euidens Petro per experientiam se esse prædestinatum, quoniam id quod sic est euidens, oportet vt sit faciliter, et intuitiuè agnitum; at se esse prædestinatum est actus diuinæ voluntatis, quo Petrum ad vitam æternam ordinat; nisi Deo viso videri non potest; immo etiam si Deum ipsum quis videret; non tamen ideò necesarium esset, vt diuinam illam volitionem intueretur, qua Petro decernit dare vitam æternam; Deus .n. est speculum

culum quoddam voluntarium, ea quæ vult in se ipso pandens, et manifestans; et quæ non vult ascondens: iudicia .n. Dei sunt adeò nobis occulta, vt non solum illa intueri, sed neque alio modo cognoscere valeamus Psalm.35. Iudicia Dei abyssus multa, et Sapient.9. Quis hominum poterit cognoscere consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? et ad Roma. 11. O altitudo diuitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei, quàm incõprehensibilia sunt iudicia eius, et inuestigabiles viæ eius. Quis .n. cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? et 1.Corint.2. Quæ sunt Dei nemo nouit nisi spiritus Dei: nos autem non spiritum huius mundi accepimus; sed spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus, quę à Deo donata sunt nobis. Ex quibus colligitur, neminem absque Dei clara visione posse certò scire certitudine euidentiæ, se esse ad vitam æternam prędestinatum.

Prętera contra hanc hæresim alia facit ratio, quòd nemo sine Dei speciali reuelatione potest certitudine fidei catholicę certò scire, se esse prædestinatum; nam hoc esset articulus fidei, seu dedũceretur ex aliquo articulo fidei, quod est manifestè falsum: nam ad illud omnes credendum tenerentur sub interminatione gehennæ; et licèt uideatur deduci ex Math.19. Si vis ad vitam ingredi serua mandata; ista promissio est sub conditione, de qua nemo est certus, an plenè adimpleat; et datur perseueranti vsque ad finem, de quo nemo certus est Math.10. Qui perse-

perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit, et Eccl. 11. Si ceciderit lignum ad Austrum, siue ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit ibi erit: nec finalem perseuerantiam quisquam potest agnoscere, et certitudine fidei catholicæ, Eccl. 9. Nescit homo vtrum amore an odio dignus sit; sed omnia in futurum seruantur incerta, Prou. 27. Ne glorieris in crastinum, ignorans, quid superuentura pariat dies, vndè Aug. lib. de pastoribus cap. 12. temeraria iudicia esse censet ea, quibus homines de se, aut alijs iudicant, quales futuri sunt, cum hoc scire non possint. Tertio facit alia ratio, si homo esset certus de sua salute, non esset opus eum monere, vt sit pauidus, et cautus, 1. Corint. 10. Qui sibi videtur stare, videat ne cadat, et Salomon Beatus homo, qui semper est pauidus, S. Bernar. in serm. de septuagesima Certitudinem vtique non habemus; sed spei fiducia consolatur nos, ne dubitationis huius anxietate cruciemur, et Greg. lib. 6. in Reg. Spiritus quidem venit, et vadit, quia reprobos deserit, et electos assumit, et quia iudicium omnipotentis Dei imperscrutabile est, vndè ueniat, et quò vadat homo nescit; quia sciri non potest, an quis in gratia, quam recipit, perseuerare in perpetuum debeat; Salonius super Eccl. Aug. Epist. 121. tractans illud Pauli 1. Corint. 4. Nolite ante tempus iudicare, dicit Sicut sibi quisque, nemo alter alteri notus est: et tamen nec sibi quisque ita notus est, vt sit de sua crastina conuersatione

securus.

securus. Quarto adest definitio Ecclesiæ Concil. Trident. sess. 6. cap. 12. et seq. et si quis diceret eum, qui gratiam semel baptismi suscepit, non posse amplius eam amittere; et per consequens esset certus de salute, et de munere perseuerantiæ; nam Resp. quod Dauid post susceptam gratiam cecidit, et Apostoli post baptisma susceptum, quod intelligitur per dictum Ioan. 13. Qui lotus est non indiget, nisi vt pedes lauet. Vos autem mundi estis, sed non omnes; parum tamen post hæc verba in eadem nocte omnes Apostoli scandalum passi sunt, quando relicto eorum magistro omnes fugerunt, et Petrus ter illum negauit: ex quibus apparet neminem absque speciali reuelatione Dei posse certò, et infallibiliter scire se esse prædestinatum, aut in bonitate, et iustitia vsque in finem vitæ perseueraturum; per aliqua tamen signa posset coniecturari se esse in numero prædestinatorum, vt patientia in tribulationibus, misericordia erga pauperes et afflictos, humilitas, contemptus rerum mundanarum, lacrymarum vbertas pro desiderio patriæ cœlestis, libens auditio verbi Dei; ex his tamen non redditur securus, quia possibile est quod talia in se non sint, qualia esse putat, et debent; quia potest contingere, quod cum illis sit aliquod peccatum mortale, de hac S. Thom. 1. p. q. 23. art. 3. et seq. doct. com. lib. 1. sent. distin. 40. et seq.

PRÆ-

PRÆDICATIO. CXXXII.

IOANNES Vuicleph, et Ioannes Huſſ. poſt Vualdenſes docuerunt, Liberam eſſe vnicuique Chriſtiano verbi Dei prædicationem, adeò vt ſi propter prohibitionem ſuperioris deſinit prædicare verbum Dei, eſſe eo ipſo à Deo excommunicatum.

Contra facit primo, quod dicit Paulus ad Roman. 10. ibi Quando prædicabunt niſi mittantur? Secundo ad Hebr. 5. Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron: qui locus poteſt intelligi de prædicatione, ſicuti de Pontifice, cuius proprium officium eſt prædicare. Tertio Apoſtoli eo dicti ſunt, quia miſsi, quibus data fuit poteſtas prædicandi, Marc. 16. Quarto Ioannes 1. vbi de Ioanne baptiſta dicit, Fuit homo miſſus à Deo cui nomen erat Ioannes. Hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. Quinto Luc. 3. ibi Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium in deſerto, et venit in omnẽ regionem Iordanis prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſsionem peccatorum; vbi Theoph. factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem, vt diſcas illum non temerè, neq; citra vocationem ad teſtificandum de Chriſto proſilijſſe, ſed diuino motum ſpiritu; per verbum intellige Spiritum ſanctum, vel mandatum Dei. Sexto nul-

lus propheta, neque etiam Moyses, nisi Deo prius prçcipiente diuina mandata explicare fuit ausus, vndè Hyer. 14. Non misi eos, et non prçcepi eis, neque locutus sum ad eos: visionem mendacem etc. Hyer. 13. Non mittebam Prophetas, et ipsi currebant, non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant, et de istis loquitur Ioan. 10. Omnes quotquot ante me venerunt, fures sunt et latrones; vbi Theophyl. dicit nota verbum, quicunque venerunt, inquit, non quicunque missi sunt. Nam Prophetæ quidem missi aduenerunt; Pseudoprohetæ autem quales, et seditiosi illi dicti à nullo missi venerunt, sicut et Dominus dixit, Ego non mittebam eos, et illi currebant; et Beda d. loco, per se venerunt, quia per eum missi non fuerunt, dicente Apostolo Quomodo prædicabunt nisi mittantur? et not. Hieron. super Epist. ad Galat. lib. 1. in principio dicit, Quatuor genera Apostolorum sunt; primum, quod neque ab hominibus est, neque per hominẽ; sed per Iesum Christum, et Deum patrem, vt Prophetæ, et Apostolus Paulus; secundum genus, quod à Deo constituitur, et ab homine mittitur, vt Iesus filius Naue, qui à Deo fuit constitutus, et à Moyse missus; tertium, quod ab homine non à Deo, vt cum hominum fauore, et studio ordinantur (vt nunc videmus) plurimi non Dei iudicio, sed redempto fauore vulgi in sacerdotium subrogantur; quartum genus est, quod neque à Deo, neque per hominem, neq; ab homine, sed à semetipso,

vt

vt sunt pseudoprophetæ, et pseudoapostoli operarij iniquitatis, transfigurantes se in Apostolos Christi, qui dicunt, hæc dicit Dominus, et Dominus non misit eos. Septimo contra hanc heresim facit ratio, quia multæ sunt causæ, quibus interdici potest prædicatio verbi Dei, vt quando quis relictis proprijs ouibus vellet alijs prædicare; secundo quando timeretur contemptus verbi Dei, vt respectu audientium, malitia, seu duritia, seu respectu prædicatoris; vndè Greg. Cuius vita despicitur, restat, vt eius prædicatio contemnatur; et peccatori dicitur Psalm. 49. Quare tu enarras iustitias meas per os tuum; et aliquando propter ignorantiam, aliquando propter ætatem docentis: quapropter Christus, qui paruulus natus summa erat sapientia, prædicare noluit antè trigesimum suæ ætatis annum Luc. 3. et præcursor illius Ioannes baptista illa eadem ætate prædicare cœpit; et hinc factum est (vt arbitror) vt Ecclesia decreuerit Episcopos, quibus ex officio prædicare competit, non ordinari ante trigesimum ætatis annum; tertia causa assignari potest, quare prædicatio prohiberi possit, est quando prædicator scandalum prædicat; vndè Apost. ad Gal. 1. Sunt aliqui, qui vos conturbant, et volunt conuertere Euangelium Christi, et ad Gal. 5. Vtinam abscindantur, qui vos conturbant, et Prou. 21. Eijce derisorem, et exibit cum eo iurgium. Octauo adest definitio Concil. Constantiensis sess. 8. artic. 14. Concil. Trident. sess. 24. cap. 4.

non obſt. quod dicant Hęretici ſe miſſos eſſe à Deo; nam oſtendant ſignis ac miraculis, pro ut fecit Moyſes coram Pharaone, qui miraculorum claritatem probauit ſe miſſum fuiſſe à Deo; et cum Chriſtus miſit Apoſtolos ad prędicandum, prius dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, vt eijcerent eos, et curarent omnem languorem, et omnem infirmitatem, Cathech. in prin. pag. 10.

PRÆSCIENTIA. CXXXIII.

ALBANENSES dixerunt Deum non præſcire ex ſe aliquod malum, ſed per aduerſarium ſuum ſcilicet Dęmonem.

Pro tollenda huiuſcemodi Hæreſi notandum eſt, duplex eſſe malum, culpę ſcilicet, et pœnæ, vtrumque Deum præſcire probatur, primo Iſaiæ 45. Ego Dominus et non eſt alter; formans lucem, et creans tenebras, faciens pacem, et creans malum: malum hìc dixit bellum, non quod per ſe malum ſit, ſed quia incommodum eſt illis, qui bellum ſubſtinent. Secundo de vtroque dicitur Ionæ 3. Et vidit Deus opera eorum, quoniam conuerſi ſunt de via ſua mala, et miſertus eſt Deus ſuper malitiam, quam loquutus fuerat, vt faceret eis, non fecit: quo in loco conſtat duplicem malitiam deſignari; cum enim dixit conuerſi ſunt de via ſua mala, malum culpę indicauit; dicens autem miſertus eſt Deus ſuper malitiam, quam loquutus fuerat, vt face-

ret

ret eis, malitiam pœnę apertissimè intellexit; à Dęmone autem hæc scire non potest: nam quæ societas lucis ad tenebras? aut quæ conuentio Christi ad Belial? 2. Corin. 6. de hac doct. com. lib. 1. sent. dist. 41. et seq.

PROPHETIA. CXXXIIII.

APELLES hæreticus dixit Prophetas falsa docuisse, et sibi inuicem contraria dixisse. Contra facit primo Luc. 1. Locutus est enim Deus per os sanctorum, qui à seculo sunt prophetarum eius; at Deus mendacium non dicit, immo est via, veritas, et vita, immo est veritas ipsa: vndè Psalm. 44. dicit ibi Dauid, linguam suam esse calamum scribę velociter scribentis; si ergo Deus est scriba; propheta autem calamus, eius dicta verisima erunt. Secundo ad Hebr. 1. Multifariam, multisque modis olim Deus loquens in prophetis etc. Tertio 2. Pet. 1. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines.

Secunda hæresis Montani docet Prophetas fuisse arreptitios, non intelligentes eadem quibus loquebantur.

Contra facit primo 1. Reg. 9. Qui. n. propheta dicitur hodie, vocabitur olim videns, si propheta est videns; ergo et intelligens; vndè prophetia dicitur quandoque Visio Isa. 1. ibi Visio Isaiæ filij Amon, et Ezech. 1. Visiones

Dei vidi, et Nahum 1. liber visionis Nahum, et Dan. 10. Intelligentia opus est in visione. Secundo facit ratio, quia prophetia habet à Deo; at inspiratio omnipotentis dat intelligentiam Iob 31. ergo prophetæ intellexerunt. Tertio 1. Corint. 14. Qui prophetat hominibus loquitur ad ædificationem, et consolationem: qui loquitur lingua semetipsum ædificat; qui autem prophetat Ecclesiam ædificat; volo autem vos omnes loqui linguis: magis autem prophetare; nam maior est, qui prophetat, quàm qui loquitur linguis, nisi forte interpretatur, vt Ecclesia ædificationem accipiat: ecce vides, quod propheta interpretatur, quod fieri non posset, nisi intelligeret. Quarto Dan. 1. dicit de Daniele, quòd dederit illi Deus intelligentiam omnium visionum, et somniorum. Quinto Ezech. 10. ibi Intellexi, quia Cherubin essent etc.

Tertia hæresis fuit Prophetiam esse naturalem ex hominum dispositione, Direct. 2. p. q. 4. n. 6.

PROPRIVM. CXXXV.

PROPRIVM quicquam nemini habere licere, hæresis est; Direct. 2. p. q. 6. n. 19. cap. fin. 24. q. 3. ver. Apostolici.

PVRGATORIVM. CXXXVI.

GRAECI, Armeni, et Vualdenses docent Nullum esse purgatorium locum, in quo animæ

animæ ab hac luce migrantes purgantur à sordibus, quas in corpore contraxerunt, antequam in æterna tabernacula recipi mereantur; Lutherus tamen, etsi purgatorium fateatur, negat tamen illud ex sacris literis ostendi posse, de hoc tractant doct. com. in 4. sent. dist. 21. et Conc. Trid. sess. 25. in princ. et in Bulla Pij 4. de prof. fidei. Hosius Tit. de satisf. c. 48. pag. 71. et seq. Cathec. in 5. artic. pag. 72.

Ad tollendam hanc hæresim supponendum est primò in illa futura beatitudine nullam esse maculam, nullas esse etiam sordes Isa. 35. Via Sanctorum vocabitur, non transibit per eam pollutus, et Apocal. 21. Non intrabit in eam aliquid coinquinatum; Ciuitas. n. illa est sancta sponsa, quam sponsus eius Christus sanctificauit, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi. Nam quod Ecclesia nullam habeat maculam, aut rugam, tunc solum implebitur, quando ipsa erit beata; non autem in hac vita, in qua quotidie orantes dicere debemus. Dimitte nobis debita nostra, Aug. lib. 20. cap. 25. de ciuit. Dei, et in lib. de hæresibus c. 88. Hiero. super Hyer. cap. 31. nulla igitur anima, quæ aliquam habet maculam, intrabit in gloriam cœlestem: at multæ sunt animæ, quæ discedentes ab hoc seculo, plurimas habent peccatorum venialium sordes, quas nunquam, dum hìc viuerent, mundauerunt; tales autem non discedunt in

infernum, quia nullus in charitate discedens propter sola uenialia perpetuò damnatur: nec ad gloriam ascendunt, quoniam à sordibus peccatorum uenialium non dum sunt mundatæ; ergo oportet dare tertium locum, in quo animæ illæ recipiantur, quo usque sint tanquam aurum in fornace mundatę, ut sic purificate possint intrare in illam ciuitatem sanctam Hierusalem, in qua nihil coinquinatum intrat.

Secundo suppono, ut dixi supra de pœnitentia; quòd post peccatum commissum restat aliqua pœna toleranda pro punitione peccati, ut aliquo modo satisfaciat Deo peccator pro debito, ad quod ex peccato tenebatur, si ergo aliquis decedat post peccatum dimissum, pro quo adhuc non satisfecit, non certè descendet ad infernum, quia culpa est ei remissa, neque intrabit adhuc in gloriam, cum non dum pro culpa satisfecerit; oportebit dicere vt proficiscatur in purgatorium; cum uerificetur dictum Nullum malum impunitum: his ita suppositis fundamentis, et rationibus.

Contra facit primo Isai. 4. Abluet Dominus sordes filiorum Sion, et sanguinem Hierusalem leuabit de medio eius in spiritu iudicij, et in spiritu ardoris. Secundo Malach. 3: Ecce uenit, dicit Dominus exercituum, et quis poterit cogitare diem Aduentus eius? et quis stabit ad uidendum eum? ipse .n. quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum, et sedebit conflans, et emundans argentum, et purgabit filios Leui, et colabit

colabit eos quasi aurum, et quasi argentum, et erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia; per quæ verba Aug. lib. 20. cap. 25. de ciuit. Dei dicit esse purgatorium. Tertio Math. 12. Quicunque dixerit verbum contra filium hominis remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro; si nulla culpa in alio seculo remittitur, quid opus erat addere, neque in futuro? ita interpretatur hunc locum Gregor. lib. 4. Dialog. cap. 39. et Bernard. serm 66. super Cantica. Quarto facit 1. Corint. 3. ibi Si quis autem superedificat supra fundamentum hoc aurum, et argentum, lapides preciosos, lignum, fœnum, stipulam; vniuscuiusque opus manifestum erit. Dies. n. Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, uniuscuiusque opus quale sit ignis probabit: si cuius opus manserit, quod superædificauit, mercedem accipiet: si cuius opus asserit, detrimentum patietur: ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem: ubi probatur esse purgatorium; cum dicit, ipse autem saluus erit; nam qui in inferno sunt nunquam dicuntur salui; ita interpretatur Origenes in Homilia sexta super Exodum, et Aug. in Enchiridion ad Laurentium, et Hier. lib. 18. in fine super Isaiam, et Greg. lib. 4. Dialog. cap. 39. Quinto adest generalis consuetudo Ecclesiæ orandi pro mortuis, et definitio eius in Concil. Carthaginense, et in Concil. Florent. sub Eugenio 4. Addo Concil. Trident. sess. 6. Can. 30.

et

et sess. 25. in decreto de purgatorio. Sexto addo Tob. 4. Panem tuum, et uinum tuum super sepulturam iusti constitue, ut scilicet pauperes inde refecti, pro defuncti salute Deum deprecentur. Septimo 2. Mach. 14. Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis orare, ut à peccatis soluantur. Octauo ad Philip. 2. In nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum, certum est quod hi qui in inferno sunt non genuflectuntur, sed blaphemant nomen Domini. Nono Apocal. 5. Et omnem creaturam, quæ in cœlo est, et super terram, et subtus terram, et mare, et quæ in eo sunt omnes audiui dicentes. Benedictio sedenti in Throno, et Agno, Benedictio et honor, et gloria, et potestas in secula seculorum, Echius tit. 25. de purgatorio, Turrianus lib. 4. cap. 13. Direct. 2. p. q. 14. hær. 13.

Secunda Lutheri est hæresis, qua docetur Animas in purgatorio existentes non esse extra statum merendi, aut demerendi.

Contra facit primo Eccl. 6. ibi Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia apud inferos erunt, quò tu properas, hoc est per illa iuuari non possunt, ut mereri ualeant. Secundo Eccl. 11. Si ceciderit lignum ad Austrum, aut Aquilonem, in quocunq; loco ceciderit, ibi erit; nemo ergo post hanc uitam meretur, ut Hieron. ibidem. Tertio Ioan. 9. Me oportet operari opera eius qui misit me, donec

dies

dies est: venit nox quando nemo potest operari; vndè Aug. tract. 44. super Ioan. operetur ergo homo dum viuit, ne illa nocte præueniatur, vbi nemo potest operari; ita Chrysostom. Homil. 55. super Ioannem, et Hieronym. super Epist. ad Galatas, et Origen. super Psalm. 36. Quarto 2. Corint. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis pro vt gessit, siue bonum, siue malum; si quis accipit secundum ea, quæ gessit in corpore; postquam anima separatur à corpore, nihil amplius meretur. Quinto ad Gal. 6. Bonum autem facientes non deficiemus; tempore .n. suo metemus non deficientes; ergo dum tempus habemus operemur bonum: quem locum exponens Theophylactus dicit, tempus merendi esse tempus præsentis vitæ.

Tertia hæresis Lutheri docet Animas in purgatorio non esse securas de sua salute.

Contra faciunt, quæ dixi in proxima præcedenti hęresi. Secundo facit ratio, quia anima, quæ purgatur, charitatem habet, quia iam ei remissa fuit culpa; ex quo redditur testimoniũ, quod sumus filij Dei, quod si filij, et hæredes, hæredes quidem Dei, cohęredes autem Christi. Tertia facit ratio, animę postquam migrantur ex hac vita, agnoscunt sententiam, quæ fertur in eas, et per consequens sunt securæ de salute, cum mittuntur in purgatorium. Quarta facit ratio, quia si in purgatorio esset periculum dam

natio-

nationis, vtique ibi esset tentatio, et militia quę dam, quod non esset dicendum, quia dicitur Iob.7. Militia est vita hominis super terram, hoc est in vita huius præsentis seculi; non obst. quod dicit Ecclesia dum orat coram Deo: A porta inferi erue Domine animas eorum: et illud Domine Iesu Christi Rex gloriæ libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, et de profundo lacu: libera eas de ore Leonis, ne absorbeat eas Tartarus etc. Resp. Beda quod purgatorium dicitur infernus propter vicinitatem, et conuenientiam, quam habet cum illo, sicuti etiam Limbus. 1. sinus Abraæ, ita vocatur infernus, et lacus Psalm. 85. Eruisti animam meam ex inferno inferiori, et Psalm. 48. Deus redemit animam meam de manu inferi, et Zach.6. Tu in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos, qui erant in lacu, in quo nō est aqua: secundo Resp. quod non semper dubitatur de his, quæ petuntur, an ita futura sint, vt petuntur; nam sępè petuntur illa, quæ certò sciuntur euentura, vt petuntur, Eccl.36. Da mercedem sustinentibus te, vt prophetæ tui fideles inueniantur; nullus autem dicet, Ecclesiasticum dubitasse de fidelitate prophetarum Dei, aut dubitasse, quòd Deus daturus esset mercedem his, qui sustinent illum; quod tamen ille petijt. Paulus certus erat se non separandum à charitate Dei: certus etiam erat coronam iustitiæ à iusto Iudice Deo paratam sibi esse: orabat tamen Deum, vt illam assequi mereretur: et si cui prędesti-

destinatio sua fuisset nota; orare nihilominus deberet Deum pro suæ prædestinationis implectione, vt per bona opera certam faceret suam vocationem 2.Pet.3. sic etiam Ecclesia, quamuis certò sciat animas existentes in purgatorio, non fore ad inferos damnandas; pro illarum tamen liberatione orare non desinit.

Quartam hæresim Lutherus inuenit, qua docet Animas sine intermissione peccare in purgatorio, quàm diu quærunt requiem, et horrent pœnas, quia quærunt quę sua sunt contra voluntatem Dei.

Contra facit primo, quod dixi supra in 2. hæresi. Secundo facit ratio, qui si hoc esset verum, nihil aliud esset, quàm laterem lauare, aut littus arare: præterea horrere pœnas, et quærere requiem, non est peccatum; nam hoc expetiuit Dauid Psalm.41. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam, et apparebo ante faciem Dei, et ad Philip. 2. Cupio dissolui, et esse cum Christo; et Saluator noster propinquus passioni cepit pauere, et tedere, dicens, Tristis est anima mea vsque ad mortem Marc.14.

REGNVM DEI. CXXXVII.

CHERINTVS hereticus dixit Regnũ Christi futurum terrenum post resurrectionem, et in regno illo futuras carnis delicias: quod regnum dicebat duraturum in hac vita per mille annos;

annos; de quo errore dixi supra Tit. de Beatitudine hæresi. 2. cap. fin. 24. q. 3. Cath. in 2. pet. dom. orat. pag. 544.

RELIQVIÆ SANCTORVM. CXXXVIII.

VVICLEPHITAE hæretici dixerunt Reliquias sanctorum non esse venerandas; de his tractat Hosius Tit. de Oratione cap. 58. et de cœrem. cap. 90.

Contra facit primo, quòd Basilicæ in illorum honorem ex Ecclesiæ institutione fiunt, et Ecclesia anathematizat eos, qui contrarium docent Concil. Gangarense cap. 20. Secundo facit antiquissima eorum corporum tumulatio honesta; Dion. cap. 7. Eccl. Hyerarc. quod fuit obseruatum etiam in testamento veteri Genes. 50. vbi corpus Iacob patriarcæ translatum est ab Ægipto in terram Canaam contra faciem Mambræ, quod ita mandauit fieri, dum ipse vixit, Genes. 49. hoc idem fecit Ioseph patriarca Genes. 50. Deus visitabit vos asportare ossa mea vobiscum de loco isto, et huius præcepti postea memor Moyses, cum populum Dei ab Ægipto eduxit ossa Ioseph secum tulit Exod. 13. Tertio adsunt testimonia sanctorum nempè Ambrosij, et August. lib. 22. de ciuit. Dei cap. 8. et Cornelius Papa corpora sanctorum Petri et Pauli transtulit, August. lib. 1. c. 13. de ciuit. Dei, et in Epist. 103. et lib. 22. de ciuit. Dei cap. 8. Quarto si

datus

datus est honor Arcæ, Vrnæ, et Virgæ 2. Reg. 6. eadem ratione et reliquijs sanctorum, qui fuerunt habitacula Spiritus sancti 1. Corint. 9. neque per hoc committimus Idolatriam, quia Martyribus nostris non templa sicut dijs, sed memoriã sicuti hominibus mortuis, quorum apud Deum viuunt spiritus, fabricamus, Aug. lib. 22. de ciuit. Dei cap. 10. idem dicit Hieron. aduersus Vigilantium. Quinto adest definitio Ecclesiæ tot. tit. de Reliq. et vener. Sanct. addo Concil. Trid. sess. 25. tit. de inuoc. sanct. et Bulla Pij 4. de profes. fidei.

RESTITVTIO. CXXXIX.

GRAECORVM hæresis fuit asserens Non esse necessariam rei furto sublatæ restitutionem, vt quis vitam possit assequi æternam.

Contra facit primo, quia hoc pugnat legi naturæ: Ne feceris alicui, quod tibi oderis fieri Tob. 4. Secundo facit Math. 22. Diliges proximum tuum sicut te ipsum. At rarus est, qui non odiat se re sua spoliari. Tertio ad Roman. 18. Omnibus reddite debitum, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui honorem honorem, cui timorem timorem. Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis. Quarto Tob. 2. Videte forte ne furtiuus sit, reddite eum dominis suis; quia non licet nobis, aut edere ex furto aliquid, aut contingere. Quinto Ezech. 33. Si dixero impio, morte morieris, et egerit

egerit pœnitentiam à peccato suo, feceritque iudicium, et iustitiam, et pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulauerit, nec fecerit quicquam iniustum, vita viuet, et non morietur: omnia peccata eius, quę peccauit, non imputabuntur ei; vndè Aug. ad Macedon. Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, cuius authoritas approbata est ab Ecclesia in cap. peccatum dę reg. iur. in 6. dixi in summa pec. cap. p. 1. q. 132. tit. 6. Cath. in 7. præcept.

RESVRRECTIO. CXXXX.

MVLTI ex vetustis hæreticis (vt Saducęi) negarunt Carnis resurrectionem esse futuram.

Contra facit primo Math. 22. Erratis nescientes scripturas, neque virtutem Dei: in resurrectione. n. neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut Angeli Dei in cœlo; de resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est à Deo dicente nobis; Ego sum Deus Abraã, et Deus Isaac, et Deus Iacob, Deus non est mortuorũ sed viuentium. Secundo 1. Cor. 15. Si aũt Christus prędicatur, qđ resurrexerit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit; si autem Christus non resurrexit, inanis est prędicatio nostra, inanis est fides

vestra.

vestra. Tertio, et vltimo adest definitio Ecclesiæ symb. Apost. et Concil. Constantinopolit. Direct.2.p.q.13.nu.11.Cathec. in 5.artic.

Secunda hæresis docet Corpus nostrum in illa resurrectionis gloria futurum impalpabile, et inuisibile.

Huius erroris Author fuit Eutychius.

Contra facit primo Iob 19.ibi Scio .n. quòd redemptor meus viuit, et in nouissimo die de terra surrecturus sum, et rursum circundabor pelle mea, et in carne mea uidebo Deum Saluatorem meum; quem uisurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius. Secundo facit Ioan.11. ibi Resurget frater tuus; si enim corpus resurgentis esset impalpabile, tunc Lazarus, qui resurrexit, non fuisset frater Marthæ: postquam tunc non habuisset corpus; per quod erat inter illos iuncta cognatio. Tertio Luc.24. vbi redemptor noster dubitantibus de sua surrectione dixit, Palpate, et videte, quia spiritus carnem, et ossa non habet, sicut me uidetis habere: propter dotes tamen corporis glorificati potest reddi impalpabile, et inuisibile exemplo Christi, qui ianuis clausis ingressus est, et euanuit ab oculis eorum.

Tertia hæresis fuit Origenis, qui asserit Corpora post resurrectionem futura iterum mortalia, et post illam resurrectionem multis seculis transactis dicit corpora in nihilum redigenda.

Contra facit ad Rom.6. ibi Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, morsilli vltra

non dominabitur: exemplar autem Christi fuit signum quoddam futuræ in nobis resurrectionis. Secundo 1. Corint. 15. Seminatur in corruptione surget in incorruptione; seminatur in ignobilitate surget in gloria; seminatur in infirmitate surget in virtute, et infra ibi Absorta est mors in victoria, quod non esset perfectè deuicta mors, si iterum resurgentibus mors sęua dominaretur.

Quarta hæresis docet Christum surrexisse à mortuis die Sabbathi post parasceuem hora sexta.

Huius erroris Authores fuerunt Armeni.

Contra facit, quia si Christus mortuus est feria sexta, si sabbatho proximo resurrexerit, non erit verum illum resurrexisse die tertia, pro vt verisimum est Luc. 18. ibi Et postquam flagellauerint occident eum, et die tertia resurget, et Math. 12. sicut enim fuit Ionas in ventre Ceti tribus diebus, et tribus noctibus; sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus.

Quinta fuit hęresis Armenorum, quæ docet Omnes homines in sexu virili resurrecturos, nullumque esse post resurrectionem futurum fœmineum sexum.

Contra facit primo Genes. 1. Masculum et fœminā fecit eos; ex quibus verbis constat sexum fœmineum non esse vitium, aut ex vitio, sed ex natura; alioquin non esset à Deo factum, si vitium, aut ex vitio esset; sequitur ergo, vt

qui

qui vtrumque sexum fecit, vtrumque etiam reficiat, et qui vtrumque instituit, vtrumque similiter restituat. Secundo ad Gal.3. Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Iudeus, neque Græcus; non est seruus, neque liber; non est masculus, neque fœmina; omnes enim vos vnum estis in Christo Iesu: si fœmina est in Christo Iesu, sicut masculus, cur non erit in gloria sicut masculus? Tertio Mathę.22.ibi In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed omnes erunt, sicut Angeli Dei; vbi nuptias post resurrectionem futuras negauit, non sexus varietatem; non obst. ad Ephes.4. Donec occurramus omnes in vnitatem fidei, in virum perfectum, in mensuram ętatis plenitudinis Christi: ex quo arguunt omnes in sexu virili resurrecturos; nam Resp. quod appellatione viri eo in loco (teste Augustino) intelligitur siue masculus ille sit, siue fœmina, vt Psalm.31. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum; secundo Resp. quod Paulus ibi loquitur de perfectione doctrinæ, et agnitione veritatis. Vltimo adest definitio Ecclesię in dogmate septuagesimo inter ecclesiastica dogmata ibi In resurrectione ex mortuis sexus forma non mutabitur; sed vir mortuus resurget in forma uiri, et fœmina in forma fœminæ.

ROMANA ECCLESIA CXXXXI.

ROMANAM Ecclesiam esse meretricem hæresis est, Direct.p.2.q.9.n.13.et q.12.
Item Romano Pontifici non esse subiectos, hæresis est, Direct.p.2.q.14.n.3.

SACERDOTIVM. CXXXXII.

VNvs ex pernicioſis, et execrandis erroribus Lutheri est, quo docet Omnes christianos æqualem habere potestatem, nulla status, aut sexus discretione facta.

Contra facit primo Exod.28. ibi Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum, cum filijs suis de medio filiorum Israel, ut sacerdotio fungantur mihi: at sacerdotium euangelicum est multo præstantius Sacerdotio Leuitico; ergo et magis segregatum erit quàm essent Aaron, et filij eius. Secundo ad Hebr.7. vbi Paulus testatur, neminem de tribu Iuda iuxta legis mosayçe preceptum posse esse sacerdotem. Tertio 1.Reg.17. vbi Samuel reprehendit Saul, qd sacerdotis officio functus esset, propterea quod holocaustum, et sacrificia Deo obtulisset. Quarto in lib.Num.4. legimus Tribum leuiticam esse à Domino peculiariter electam ad ministerium tabernaculi, et filios Caath destinatos ad portanda uasa sanctuarij inuoluta ab Aaron, et filijs

eius,

eius, ut non tangeret ea, ne forte morerentur. Quinto Num.6. Dathan, Chore, et Abiron absorti sunt à terra, et uiui descenderunt usque ad inferos, eo quod sacerdotale officium usurpare tentauerunt. Sexto 2.Reg.6. Oza, quia extendit manum ad Arcam Dei, mortuus est statim ibi iuxta Arcam Dei. Septimo 2.Par.26. Ozias Rex fuit à Domino lepra percussus in fronte, eo quod sacerdotalis ordinis dignitatem usurpare præsumpsit. Octauo Daniel 3. vbi Balthassar Rex bibens ex uasis, quæ Nabuchdonosor Pater eius abstulerat de templo Dei, quod erat Hierosolymis, uidit manum scribentem in pariete Mane, Thetel, Phares, eadem nocte illo interfecto Darius Medus successit in regnum; si tantus honor præstatur umbræ, et figuræ, quanto magis præstari debet corpori, et ueritati?

In nouo autem testamento probatur sacerdotium, et primò initiati sunt sacerdotes in ultima cœna cum Dominus dixit Luc.22. Hoc facite in meam commemorationem; fuerunt autem consumati in sacerdotio, cum post resurrectionem dixit Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata remissa erunt, et quorum retinueritis retenta sunt. At multò antè Discipuli erant christiani per baptismum induti, non ergo omnis christianus est sacerdos. Secundo facit 1. Tim.4. Noli negligere gratiam, quæ in te est, quę data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbiterij, et infra Resuscites gratiam, quæ est inte per impositionē manuum

mearum; talis ergo ordinatio fit authoritate sacerdotis, non autem plebis, seu populi, ut supponit impius Lutherus. Tertio ad Tit. 1. ibi Huius rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt corrigas, et constituas per ciuitates presbiteros, sicut et ego disposui tibi. Quarto ad Hebr. 5. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui uocatur à Deo, tanquam Aaron. Quinto 1. Cor. 12. ibi Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primò Apostolos, secundò Prophetas, tertiò doctores, deindè virtutes, ex indè gratias curationum, opitulationes gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Quòd si vnusquisque omnia potest (vt inquit Lutherus) frustra tot distribuit officia; ideò subiungit Paulus; nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetę? etc. Sexto ad Hebr. 7. Translato sacerdotio, necesse est vt translatio legis fiat, quod si nullum tempore gratiæ esset sacerdotium peculiare, vtique nulla quoq; esset lex peculiaris; consequens est falsum, ergo et antecedens. Septimo facit ratio, quia si esset Ecclesia ordinata, vt contendit Lutherus, vtiq; nulla esset Hyerarchia, nullusq; ordo in ea; sed omnia essent confusa; nam si Romanus Pontifex non esset superior Episcopis, et Episcopi superiores sacerdotibus, et sacerdotes superiores laycis; sed omnes christiani essent sacerdotes; vtiq; Ecclesia esset tanquam grex sine pastore, regnum sine Rege; et inde sequeretur, quod dicit Prou. 11. Vbi non est gubernator,

popu-

populus corruet: Octauo facit similitudo Ecclesiæ Triumphantis, in qua non omnes sunt æquales, ad cuius exemplum est formata Ecclesia Militans, Dion. lib. de Eccl. Hyerarchia; propter hanc similitudinem dixit Bernard. lib. 3. de consideratione ad Eugen. Ioannem vidisse sanctam ciuitatem Hierusalem nouam, descendentem de cœlo, à Deo paratam Apocal. 22. quod sicut omnes Angeli, Arcangeli, et alij ordinantur sub vno capite Dei; ita hìc quoque sub vno summo Pontifice, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, Presbiteri, et alij in hunc modum. Nono est authoritas Tertulliani libr. de præscr. hæret. et Cyprian. Epist. 9. lib. 3. Decimo adest definitio Ecclesiæ in Conc. 4. Cartag. et cap. j. de Summa Trin. et fide cath. et Concil. Remense c. 20. cui addo Concil. Trid. sess. 23. Can. 1. et seq. et sess. 7. Can. 10. Non obst. quod dicit Lutherus omnes christianos esse sacerdotes, per illud 1. Pet. 2. ibi Vos estis genus electum, regale sacerdotium; sed alius alio non potest esse magis homo; nam Resp. quod si hoc esset verum, in quibus verificaretur illud Psalm. 104. Nolite tangere Christos meos: secundo Resp. quòd iuxta eundem omnes pariter essent Reges, quod non est dicendum: tertio Resp. quod si hoc esset verum, vtiq; etiam Iudei omnes olim fuissent sacerdotes, cum in Exod. 19. legatur Mea est enim omnis terra, et vos eritis mihi in regnum sacerdotale: quarto Resp. iuxta Bedam et Didimum Alexandrinum, ideo vocati sunt à Petro omnes

christiani sacerdotes, quia vniti sunt Christo, qui est sacerdos, et Rex; nam postquam ostendit Christum esse regem et sacerdotem, hęc verba subiungit; his itaque dispensatis necessarium erat dispersis ab eo, qui simul Rex, et sacerdos est, electum esse genus, et regale, simul atque sacerdotale etc. Secundo non obst. quod inquit Lutherus dicens Ad sacerdotes nouę legis spectat ministerium prædicandi Malac. 2. Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore eius; quia Angelus Domini exercituum est; at officium predicandi ad omnes pertinet 1. Corin. 3. ibi Sufficientia nostra ex Deo est, qui et idoneos nos fecit ministros noui testamenti non litera, sed spiritu, et 1. Pet. 2. ibi Vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum, et Paulus ad Cor. Potestis enim omnes, per singulos prophetare, vt omnes discant, et omnes exhortentur: nam Resp. quod utraque pars assumpti est falsa, quia non ad omnes sacerdotes spectat, sed ad illos solum, qui curam animarum habent, ad alios autem non: Hebr. 5. ibi Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in ijs, quę sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis; officium ergo proprium sacerdotis est offerre, non autem docere. Altera pars est etiam falsa, quod officium prędicandi competat omnibus christianis masculis, et fœminis; nam homini non licet absque missione prædicari, ad Roman. 10.

ibi

ibi Quomodo prædicabunt nisi mittantur? et mulieribus interdicitur 1.Tim.5. ibi Mulier in silentio discat cum omni subiectione. Docere autem mulierem non permitto; ad illud 1.Corint.3. ibi Idoneos nos fecit ministros noui testamenti; non de omnibus christianis est intelligendum, sed de ipso solo Paulo, et omnibus Apostolis: ita interpretatur Ambros. et Anselmus; ad illud 1.Pet.2. ibi Vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum; loquitur ibi non de prædicatione solemni, et publica, sed de priuata exhortatione, quę fit ad salutem proximi sui; cuilibet enim mandauit Deus de proximo suo Eccl.17. ad illud Pauli 1. ad Corinthios, potestis enim omnes per singulos prophetare etc. Resp. quod ibi prophetare non intelligitur pro prædicare, sed pro interpretari, quod quidem donum omnibus datum non est Paul. ad Ephes.2. loquitur ergo de his omnibus, quibus hoc est concessum, quòd autem dicit Lutherus, sacerdotes populi electione fieri, damnatur in Concil. Laodiceno cap.13. Concil. Trid. sess.23. Can.7. Contra primam huius hæresis assertionem est etiam Conc. Trid. sess.7. Can.10. Turrian. lib.4. cap.1. Cath. de ord. sacramento.

Secunda hæresis docet Omnes sacerdotes esse pares, nullumq; esse inter illos discrimen.

Huius hæresis Author fuit Aerius.

Contra quam dixi supra titulo de Episcopis, Concil. Trid. sess.23. Can.2. et Can.6.

Tertia

Tertia hæresis asserit Sacerdotem amittere consecrandi potestatem, si peccatum mortale commiserit, damnatur in Concil. Trid. sess. 14. Can. 10.

Huius erroris Authores fuerunt Vualdenses, tenentes omnes christianos posse consecrare, dummodo non essent in peccato mortali.

Contra hanc vide, quæ dixi supra titulo de potestate, et in 1. hæresi huius præsentis tituli, Direct. 2. p. q. 8. et q. 14. n. 7.

Item Sacerdotes, qui non sunt Sectæ Begardorum carere omni potestate, est hæresis, Director. 2. p. q. 8. n. 12. et q. 16. n. 2.

Quarta hæresis est Lutheri, quæ reprehendit Sacerdotum cœlibatum, dicens Sacerdotes non debere esse cœlibes.

Pro tollenda huiusmodi hæresi sciendum est sacerdotem esse coniugatum, duobus modis intelligi posse. Vno modo vt is, qui primò fuerat matrimonio alligatus, postea consecretur sacerdos, in matrimonio eodem manens; alio modo, vt prius sacerdos, post susceptum sacerdotium vxorem ducat; in primitiua Ecclesia obseruatum est, vt qui vxorem duxerat, promoueretur ad sacerdotium; non tamen erat necessarium ad hoc, vt prius vxorem duxisset: nam Ioannes Euangelista virgo fuit, et Paulus etiam, qui nedum sacerdotes erant, sed etiam Episcopi; Hæc consuetudo, iuxta quam matrimonio alligatus promouebatur ad sacerdotium, inualuit vsque ad tempora Niceni Concilij, in quo generali

decreto

decreto statutum fuit, ne aliquis vxorem habens consecretur sacerdos; conc. Siricus Papa in Epistola ad Cumerium Taraconensem Episcopum cap.7. quòd autem sacerdos consecratus post suam consecrationem ducat vxorem, nunquam permisit Ecclesia, nec aliquando impunè factum esse reperitur, vt in Can. Apost. 27 et Concil. Nicęn. cap. j. vndè Gręci, quibus mos est coniugatos ad sacerdotium promouere, nunquam permiserunt aliquem post susceptum sacerdotium ducere vxorem, cap. cum olim de cler. coniug. cap. de syracusanę 28. distin. ex quibus iam dictis duo colliguntur, primo quod in primitiua Ecclesia nunquam licuit alicui post susceptum sacerdotium vxorem ducere: secundo quod quamuis aliquando in primitiua Ecclesia licuerit matrimonio ligatum promoueri ad sacerdotium, iam modo non licet; quoniam decretum est, vt nullus ad sacros ordines suscipiatur, nisi prius continentiam vouerit cap. ecce 28. distin. ratio est, quia in lege veteri Exod. 12. nullus carnes agni, qui in figura corporis, et sanguinis Christi immolatus est, comedere permittebatur, nisi renes accinctos haberet: per illam autem renarum cinturam designabatur libidinis refrenatio, de qua Luc. 12. Sint lumbi vestri præcincti, et 1. Reg. 21. cum venisset Dauid ad Achimelech sacerdotem, non prius panes sanctificatos, etiam fame vrgente recepit, quàm se suosque mundos à mulieribus testaretur; etiã ab vxoribus proprijs; pręterea 1. Corint. 7.

rint.7. vbi Paulus admonet vxoratos, vt non fraudent se inuicem vinculo coniugij, nisi forte ad tempus vacent orationi, aut ad sacerdotes pertinet quotidie pro populo orare; ergo perpetuò continentes esse debent: ita interpretatur Ambr. super 1. Timot. 3. et Hier. super Epistola ad Titum, Clem. Alex. lib. 3. strom. in principio: Non obst. quod dicunt Lutherani, oportere castitatem sicut omne aliud opus bonum, esse liberam, et non coactam; quia non placent Deo coacta seruitia; at Ecclesia cogit sacerdotes ad castitatem, non facit ergo bene illos cogendo, Resp. quòd Ecclesia neminem cogit ad castitatem, sed ipsemet, qui consecratur sacerdos, se ipsum obligat ad castitatis obseruationem: Ecclesia autem neminem cogit ad sacerdotij susceptionem, si non tibi placet celibes sacerdotium, abstine ab illo, et noli fieri sacerdos, qui habet talem conditionem annexam; non enim facit se ipsum homo sacerdotem, sed Ecclesia, quæ non vult talem recipere, nisi ille velit cœlibem vitam agere perpetuò: si placet conditio oportet, vt promissum serues. Secundo non obst. 1. Corint. 17. ibi Melius est nubere, quàm uri. Cum ergo (vt dicunt) omnes à concupiscentia vrantur, bonum erit nubere, vt per nuptias talis carnis aduſtio tollatur. Resp. q̃ non omnis, qui à carne tentatur, vritur; sed solum ille, qui à carne superatur; alioquin Paulus ipse quum carnis stimulum patiebat̃, aduſtus fuisse dicetur; qui à carne vincitur, is aduratur; et de his, qui

voto

voto alligati non sunt, sed liberam sui habent potestatem, Paulus loquens dicit, quod melius est nubere, quàm vri. i. à carne superari. Tertio non obst. quod dicunt Difficillimum esse, et impossibile castitatem perpetuò seruare, præsertim ab aliquibus, qui vehementer à carne impelluntur, et ardentissimos patiuntur carnis ardores; propter quod Saluator de his, qui se propter Regnum cœlorum castrauerunt, loquens dixit Math. 19. Non omnes capiunt verbum hoc, qui potest capere capiat; nam Resp. difficile certè est castitatem seruare homini sibi ipsi, et suis solis viribus relicto; non est autem difficilis illi, qui à Dei gratia adiuuatur. Omnia (inquit Paul. ad Phil. 3.) possum in eo, qui me confortat; quam gratiam nemini facienti quod in se est, Deus negat, inquit Paul. Cor. 10. sed omni petenti tribuit; fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione prouentum; et ipse Saluator ait Marc. 13. Quecunque orantes petitis accipietis; Deus .n. est (inquit Paulus ad Phil. 2.) qui operatur in nobis velle, et perficere; et qui bene ministrauerunt (inquit idem 1. Timot. 3.) gradum bonum sibi acquirent, et multam fiduciam in fide, que est in Christo Iesu, et 1. Ioan. 3. Et hæc est fiducia, quam habemus ad Deum; quia quodcunque petierimus secundum voluntatem eius audit nos, et Psalm. 90. Quoniam in me sperauit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen meum. Clamauit ad me,

et ego

et ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eũ, et glorificabo eum, et Mat. 11. Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos, et Ioan. 16. Si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis. Petitis, et non accipitis (inquit Iacob. 4.) eò quod male petitis; nam Psalm. 144. Propè est Dominus omnibus inuocantibus eum: inuocantibus eum in veritate. Non obst. quarto 1. Corint. 7. Propter fornicationem vnusquisque suam vxorem habeat; nam Resp. quod ibi Paulus non consulit, neque præcipit aliquem ducere vxorem, sed loquitur de coniugatis; cum dicit bonum est mulierem non tangere, id est commodum, et vtile est viro abstinere à commercio vxoris, et copula cum carne illius, si ex consensu fiat. Nam si illa viro suo vti vellet, obligaretur ille vxori debitum reddere. Sed ne ex hac abstinentia occasionem adulterij sumerent, statim occasionem istam sustulit dicens; propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat; non dixit accipiat, sed habeat. i. retineat, et illa vtatur; dicens autem suam, manifestè ostendit se de retentione, et vsu illius, quæ iam erat sua loqui, et non de illa quæ ducenda erat, et adhuc non erat sua; ita interpretatur Ambr. d. loco et Hieron. lib. 1. aduersus Iouinianum, Chrysostom. Homil. 9. super Epist. 1. ad Corint. Theophyl. Haym. Anselm. et Oecumenus. 1. Cor. 7. Aug. Epist. 199. Non obstat quinto 1. Timot. 3. ibi Oportet Episcopum esse

unius

unius uxoris uirum; nam Resp. quod Paulus eodem in loco non exigit matrimonium in eo, qui ad Episcopatum promouendus est, ut tanquam indignus sacerdotio habeatur, qui liber ab uxoris uinculo uiuere uoluerit, sed per illa uerba bigamum à sacerdotio relegauit; ita ut sacerdotio fungi non possit qui bigamus fuerit: nam aliàs; quì fieri poterat ut à sacerdote matrimonium, tanquam rem necessariam exigeret Paulus, qui alibi uirginitatem commendat, illam matrimonio præferens, et omnes ad illam hortans 1. Cor. 7. non .n. est uero simile, ut excelsiore uirtute prẽditum uelit esse populum, quàm Episcopum; ita interpretatur Hier. lib. 1. contra Iouinianum dicens Si Episcopi non deberent esse nisi maritati, utique Paulus et Ioannes, qui fuerunt virgines non essent Episcopi, idem tenet Tertull. in lib. de exhort. ad castitatem, Aug. lib. de bono coniugali cap. 10. Haym. et Anselm. super d. locum Pauli, Oecumenus super 1. ad Titum, Chrysost. Homil. 1. ad Tim. Epiphan. lib. 2. Tomi 1. contra hæreses. Sexto non obst. 1. Tim. 4. vbi Paulus denunciat, fore nouissimis temporibus homines impios, qui coniugium prohibeant, eosque non modo impostores nuncupat, sed Demones; nam Resp. quòd nos non dicimus, nuptias esse ex se malas; legimus enim Deum dixisse, crescite et multiplicamini, et replete terram; sed ita nuptias recipimus, ut uirginitatem, quæ de ea nascitur, præferamus, nunquid argentum non erit argentum,

tum, si aurum argento prætiosius est? sed prohibet Ecclesia sacerdotibus matrimonium, quia sacerdotem oportet esse Deo intentum, et cogitantem, quæ Dei sunt; qui autem cum uxore est (inquit Paulus) sollicitus est, quę sunt mundi quomodò placeat uxori: præterea Resp. Ecclesiam non prohibere matrimonium sacerdotibus, sed Deum, cui cœlibatum promiserunt, cum ad sacerdotium promoti sunt; Deus.n. qui per os prophetæ dixit Psalm.75. Vouete, et reddite Deo, petit, ut sibi reddatur, quod sibi promissum est: ipse .n. qui sacerdotium ab Ecclesia suscepit, sibi ipsi matrimonium prohibuit; quia hac conditione suscepit, ut perpetuò cœlibem uitam agat; ille ergo, qui sacerdotium sub hac conditione suscepit, accepti datique conditionem seruare tenetur; à qua resilire non potest, sicuti nec à sacerdotio semel suscepto, Non obstat septimo quod statutum est in Nicęna Synodo; quia ibi loquitur de sacerdotibus, qui ante sacerdotium uxores habebant; quibus uti poterant post susceptum ordinem, Cassiodorus lib.2. Hyst.tripart.cap.14. Non obst. ultimo exempl. Apostolorum, et aliorum quorundam sanctorum sacerdotum, et Episcoporum, qui uxores duxerunt; nam Resp. uerum esse aliquot Apostolos habuisse uxores, quãdo à Christo fuerunt ad munus apostolatus assumpti; falsissimum tamen est aliquem eorum, postquam fuit ad apostolatum assumptus, nouam duxisse uxorem: neque unquam inter Catholicos usitatum

tum fuit, vt sacerdos vxore carens, post sacerdotium susceptum vxorem duceret; hodie tamen nullo pacto licet Concil. Gangrense cap. 4. Concil. Trid. sess. 24. Can. 9. Hosius lib. 4. de tradit. pag. 267. et seq.

Quinta hæresis docet Infimum quemquam sacerdotem posse in absentia Episcopi exercere munus episcopale.

Huius hæresis Author est Riccardus Armacanus Hibernicus libr. 6. de quæstion. Arme. capitulo 6.

Contra faciunt quæ dixi supra titul. de confirmatione, et titul. de Episcopis, quibus addo Concil. Hisp. 2. cap. 5, Concil. Trident. sess. 23. Can. 7. et Thom. Vualdensis lib. de sacramentalibus titul. 7.

SACRAMENTA. CXXXXIII.

ARMENI docuerunt hanc hæresim, quam sequutus est Lutherus Sacramenta nouę legis non conferre gratiam his, qui non ponunt obicem, damnatur in Bulla Pij 4. de professione fidei, Cath. de sacram.

Contra facit, quod dicit Concil. Trid. sess. 7. Can. 6. et seq. et quæ dixi supra de singulis sacramentis in specie, et in titul. de Charactere. F. Paulinus lib. 5. de Conc. Eccl. cap. 2. Direct. p. 2. q. 13. hær. 4. de hac S. Thom. in 3. p. q. 60. doct. com. in 4. sent. distin. 1. et seq.

Secunda hæresis est dicere Sacramẽta à Chri-

sto non fuisse instituta Concil. Trident. sess. 7. Can. 1.

Tertia Asserens non differre ea à sacramentis veteris legis, ibid. Can. 2.

Quarta Dicens inter se paria esse; et non esse ad salutem necessaria, sed propter fidem nutriendam, ibid. Can. 3. 4. et 5.

Quinta Asserens omnes christianos ea posse conferre, ibid. Can. 10.

Sexta Dicens non requiri intentionem: et existentem in peccato ea non posse conferre; et contemnentem eorum ritus non peccare, ibid. Can. 11. 12. et 13.

SACRIFICIVM. CXXXXIIII.

SACRIFICIVM Missæ negans offerri pro viuis atque defunctis, est hæreticus; Echius tit. 17. Turrianus lib. 1. cap. 24. et lib. 4. cap. 1. Cath. de Euchar.

SALVARI. CXXXXV.

SALVARI neminem posse, qui Romanæ Ecclesiæ fidem profitetur; hæresis est, Direct. 2. p. q. 13. hær. 3.

SANCTI. CXXXXVI.

EVSTACHIVS fuit primus author huius hæresis docentis Sanctos non esse ab hominibus honorandos, neque oportere illos orare.

Hunc

Hunc errorem sequuti sunt Vigilantius, Vualdenses, Ioannes Vuicleph, Ioannes Huss. et vlti mò Martinus Lutherus.

Contra hanc hæresim facit primo Psalm. 138. ibi Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus: amicos Dei vocat Apostolos, et reliquos Sanctos; de quibus Saluator dixit Ioan. 12. Iam non dicam vos seruos, sed amicos, et ibidem Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus, qui in cœlis est. Secundo quia honor exhibitus Sanctis, exhibetur Deo, qui glorificatur in honore Sanctorum Psalm. 67. Gloriosus enim est Deus in Sanctis suis inquit Propheta. Tertiò Eccl. 44. ibi Laudemus viros gloriosos, et parentes nostros in generatione, et infra Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, et in diebus suis habentur in laudibus. Quarto adest vniuersalis Ecclesiæ obseruatio dierum festorum in honorem Sanctorum habita; quòd autem sint orandi facit primo Genes. 20. vbi Abraam orat pro Abimelech, qui Saram illius vxorem acceperat, et exaudita est oratio Abraam. Secundo Iob. 5. ibi Voca, si est, qui tibi respondeat, et ad aliquem Sanctorum conuertere. Tertio Iob. 42. vbi Iob pro alijs orauit, et exauditus est. Quarto Luc. 7. vbi Centurio, qui puerum habebat paraliticũ, seniores Iudęorum misit ad Christum, vt pro salute pueri deprecarentur, eo quod se indignũ putauit, qui hoc impetrare posset à Christo. Quinto Exod. 32. vnus homo Moyses sexcentis

millibus armatorum impetrat à Domino veniã; si ergo Sancti, dum sunt in via, poterant orare pro alijs; multo magis quando sunt in patria; quod patet primo Genes. 48. ibi Iacob cum benediceret filium suum Ioseph ait Deus, in cuius conspectu ambulauerunt Patres mei Abraam, et Isaac, Deus, qui pascit me ab adolescentia mea vsque in præsentem diem; Angelus, qui eruit me de cũctis malis, benedicat pueris istis, et inuocetur super eos nomen meum; nomina quoque Patrum meorum Abraam, et Isaac, et crescat in multitudinem super terram; vbi inuocantur sancti Patres, qui iam vita functi sunt. Secundo Exod. 32. ibi Quiescat ira tua, et esto placabilis super nequitia populi tui; recordare Abraam, Isaac, et Iacob. Tertio Dan. 3. ibi Ne quæsumus tradas nos in perpetuum propter nomen tuum, et ne dissipes testamentum tuum, neque auferas misericordiam tuam à nobis propter Abraam dilectum tuum, et Isaac seruum tuum, et Israel sanctum tuum. Quarto Zach. j. vbi Angelus orat pro populo Iudaico in captiuitate posito dicens, Domine exercituum vsque quò tu non misereberis Hierusalem, et Vrbium Iuda, quibus iratus es? iste iam septuagesimus annus est: si Angelus orat pro populo, cur non etiam orabunt Sancti? Quinto 2. Machab. 15. vbi Onias summus sacerdos Iudęorũ post mortem suam apparuit Iudę Machabęo, manus suas extendens, et orans pro omni populo Iudęorum; in qua visione alius similiter apparuit,

paruit eiusdem Onię socius, de quo ad Iudā Machabęum Onias ait. Hic est fratrum amator, et populi Israel. Hic est, qui multum orat pro populo, et vniuersa sancta Ciuitate Hyeremias propheta Domini; si Sancti in Limbo pro alijs orabant, quanto magis in cœlo? Sexto Apoc. 5. vbi Ioannes vidit quatuor animalia, et viginti quatuor seniores, qui ceciderunt coram agno, habentes singuli cytharas, et Phyalas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum, et Apocal. 8. vidit Angelum stantem antè altare, habentem thuribulum aureum, et data sunt illi incensa multa, vt daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei; et ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo. Cum autem ex doctrina Saluatoris Luc. 20. homines sancti sint æquales in gloria Angelis Dei, conuincitur vt si Angeli pro nobis orant in patria, etiam homines sancti pro nobis orare possint et exaudiri; denique diues Epulo in tormentis positus, orauit pro fratribus suis in hac vita existētibus; multo ergo magis credendum est, Sanctorum animas in cœlo positas pro nobis orare; vndè in Psalm. 129. Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi; et ne quis deciperetur credens', quod ipsi montes, hoc est Sancti, essent auxilium daturi; statim subiunxit Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum et terram, vndè Aug. dicit ibidem Noli putare', quia ipsi mon-

tes tibi dabunt auxilium: accipiunt.n. quod dent, non de suo dant. Ideò diuersa est oratio, quæ fit ad Deum, ab ea; quæ fit ab Angelis; nam Deum oramus, vt misereatur nostri; Sanctos autem oramus, vt ipsi orent pro nobis. Vltra testimonia sacræ scripturæ adest com. opinio sanct. Beda super Mat. in Hom. de Cananea, Damascen. lib. 4. de fide Orthod. cap. 16. August. tract. 84. super Ioan. et super Psalm. 120. Cyril. libr. 6. aduers. Iul. Hieron. libr. contra Vigilantium, Cyprian. ad Cornel. Dion. cap. 7. Eccl. Hyer. Vltimo adest definitio Ecclesiæ Concil. Gangrense cap. 20. et Conc. Aurelian. cap. 23. Concil. Gerund. cap. 3. Conc. Tolet. 5. c. 1. Concil. Tolet. 6. cap. 2. Conc. Brac. 2. cap. 9. quibus addo tot. tit. de Reliq. et ven. Sanct. Direct. 2. p. q. 14. hær. 15. Echius tit. 15. de vener. Sanct. Concil. Trid. sess. 25. tit. de inuoc. et ven. Hosius tit. de spe. cap. 58. F. Paulinus ord. præd. lib. 5. de Conc. Eccl. cap. 4. Cath. in 1. præc.

SATISFACTIO. CXXXXVII.

LVTHERVS docuit hanc hæresim Non esse opus peccatori vlla satisfactione pro peccatis perpetratis; quoniam (vt ille ait) dimissa culpa, omnis etiam pœna, quæ culpæ debebatur, dimissa manet. Hosius hanc damnat in tit. de satisf. cap. 48.

Contra hanc hæresim dixi supra ver. Pœnit. Turrian. lib. 4. c. 3. Echius tit. 9. de satisfactione.

SCIEN-

SCIENTIA. CXXXXVIII.

LVTHERVS docuit hanc hæresim dicens, Scientias omnes speculatiuas errores esse dicendas.

Contra facit ratio, quia scientia contrariatur errori, ergo non est simul scientia cum errore: Præterea ad Rom.7. Lex peccatum est absit: sed peccatum non cognoui nisi per legem; legem (inquam) vocalem, aut scriptam, aut mentalem. At cum lex doceat nos cognoscere peccatum, scientia meritò docetur: et hanc Paulus negat esse peccatum, non ergo omnis scientia dicitur error, etiam si à peccatore procederet.

SCRIPTVRA SACRA. CXXXXIX.

PRIMA hæresis est, quæ totum vetus testamentum reijcit.

Huius hæresis Author fuit Carpocrates, quẽ sequutus est Cerdon, Seuerus, Manicheus, et Albanenses, isti omnes dixerunt Testamentum vetus à malo principio factum esse; quapropter malum et ipsum esse asseruerunt.

Contra hanc hæresim vide, quæ dixi supra verb. Lex. et ver. Deus, quibus addo Concil. Trident. sess. 4. c. 1. Direct. 2. p. q. 6. n. 24. Melchior Canus lib. 2. loc. Theol. cap. 1. et seq. Hosius lib. de auth. sacræ scripturæ, F. Paulinus ord. præd. lib. 5. de Conc. Eccl. cap. 3.

Secunda hæresis est Lutheri, qui dicit Libros Machabęorum non esse canonicos, nec dignos, qui sacris libris annumerentur; hoc ideò dixit Lutherus, quia isti libri aduersantur eius doctrinæ, cum ipsi dicant orandum esse pro mortuis, quod ipse negat.

Contra facit com. sent. doct. August. Damascen. et Innocentij, et definitio Ecclesiæ, Concil. Cartag. 3. cui addo Concil. Trid. sess. 4. non obst. quod dicit Lutherus, hos libros à Hieronymo nõ haberi pro canonicis; nam Resp. quod hoc non dicit Hieronymus, sed in præfatione Machabęorum dicit, Machabęorum libri, licèt non habeantur in Canone Hebręorum, tamen ab Ecclesia inter diuinorum voluminum adnotantur Hystorias: ex cuius verbis constat, hos libros esse ab Ecclesia in sacrorum numerum coaptatos.

Tertia hæresis est Cerdonis, qui solum recipiebat Euangelium Lucæ, alia reijciens.

Quarta hæresis est Cerinti, et Ebionis, qui solum recipit Euangelium Mathęi, reliqua tria contemnens.

Quinta hæresis est Cerinti, et Seueri, qui actus Apostolorum non recipiunt.

Sexta hæresis est Ebionis, Seueri, Tatiani, et Ecclesiatarum, qui omnes Epistolas Pauli reijciunt.

Septima hæresis est Lutheri, qui non recipit Epistolam Iacobi; quia cum Lutherus sentiat, solam fidem iustificare; Iacobus autem dicat,

fidem

fidem sine operibus mortuam esse; ideò tanquam suæ doctrinæ contrariam eam reijcit, et negat ipsam esse Iacobi.

Contra facit, quod dicit Hieron. lib. de meritis, et in Epist. ad Ctesiphontem, Vrbanus Primus in Epistol. de communi vita, et Anacletus Papa, et martyr in Epist. de oppressione Episcop. hoc idem testatur etiam totius Ecclesiæ definitio Concil. Trid. sess. 4.

Octaua hæresis est Alogianorum non recipientium Euangelium, neq; Apocalypsim Ioannis; qui dicti sunt Alogiani eo; quia negabant filium Dei esse verbum; nam logos Græcè idem est quod latinè sermo, et sine verbum. Cum ergo Euangelium Ioannis apertissimè testetur filium Dei esse verbum; ideò illi negant Ioannem scripsisse Euangelium, negant etiam eum scripsisse Apocalypsim.

Contra facit primo com. sententia doctorum, qui Apocalypsim interpretati sunt, vt August. Dionys. Alexandr. Melito, Asianus, Hypolitus, et Irenæus. Secundo facit Concil. Tolet. 4. c. 16. Concil. Laodicenum, Cartaginense tertium, Florentinum, et Tridentinum. c. fin. 24. q. 3. ex quibus colligitur, qui sint libri Canonicæ scripturæ: quo casu colligitur illud Aug. Euangelio non crederem, nisi Ecclesiæ crederem.

Nono Hæretici nolunt recipere, nisi quod probetur expressè per scripturas, Echius tit. 4. de scripturis, dicam infra ver. Traditio.

SEPVL-

SEPVLTVRA. CL.

VALDENSES docuerunt hunc errorem Nihil prorsus prodesse animæ, quòd corpus in loco sacro sepeliatur.

Contra facit ratio, quia sepultus in loco sacro est particeps suffragiorum, quæ fiunt pro eo in Ecclesia, in qua, et iuxta quam sepelitur, quod videtur obseruatum etiam in veteri lege: nam Patriarchæ de suorum corporum sepultura anxiè dum viuerēt, curauerunt Genes. 22. et 50. Tob. 12. 3. Reg. 23. et 4. Reg. 27. dixi ego in tract. de sepult.

SERPENS. CLI.

SERPENTEM esse veneratione dignum, hęresis est, Direct. p. 2. q. 6. n. 10. cap. fin. 24. q. 3. ver. Ophitę.

SETH. CLII.

SETH Adam filium esse D. N. Iesum Christum, hæresis Sethianorum est, Direct. 2. p. q. 6. n. 16. cap. fin. ver. Sethiani 24. q. 3.

SILENTIVM. CLIII.

PATTALORINCHITAE Hęretici tantùm silentio studuerunt, vt digitum naribus, et labijs suis opponentes, silentium quasi semper exercuerint, non alienæ rei, quàm taciturnitati studium accomodantes: qua in re se Prophetas

imitari

imitari dicebant; quoniam Dauid propheta ait Psalm. 144. Pone Domine custodiam ori meo, et ostium circunstantiæ labijs meis.

Sed contra facit primo Eccl. 3. Tempus est loquendi, et tempus; tacendi non ergo semper est tacendum. Secundo Isa. 6. Vę mihi quia tacui, ad Psalm. 144. Resp. quod non petit Propheta custodiam labiorum suorum, sed ostium; quo loco petijt moderatam loquutionem, non autem omnimodam taciturnitatem.

SIMONIA. CLIIII.

PRIMA hæresis, quæ post Christi in cœlos Ascensionem in Ecclesia est orta, fuit Simonis Magi, qui credidit spiritualia Dei dona posse pecunia comparari; quam hæresim sequuti sunt Gręci, et Armeni.

Contra hanc arguit Petrus Princeps Apostolorum, cum dixit Simoni Mago Act. Apost. 8. Pecunia tua sit tecum in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri etc. Secundo facit 4. Reg. 5. vbi Giezi famulus Helisęi fuit à Deo lepra percussus, quia pecuniam recepit pro beneficio sanitatis, quod Helisęus contulerat Naaman leproso. Tertio Math. 10. vbi postquam Dominus dedit potestatem Apostolis curandi infirmos, sanandi leprosos, eijcendi Demonia, statim subiunxit dicens: Gratis accepistis gratis date. Quarto facit ratio, quia in omni venditione rerum seruanda est in pretio

rerum

rerum æqualitas, conuincitur vt is, qui credit spiritualia Dei dona posse pretio comparari, credat etiam pecuniam esse æquè bonam, et æquè pretiosam, sicuti spiritualia Dei dona; at sapiens contrarium sentit Prou.8. dicens Accipite disciplinam meã, et non pecuniam: doctrinam magis quàm aurum eligite: melior est enim sapientia cunctis opibus pretiosissimis, et omne desiderabile ei non potest comparari. Quinto adest definitio Ecclesiæ Concil. Elibert.cap.48. Concil.Tolet.11. cap.8. Concil. Brac.2.cap.3. Direct.2.p.q.6.n.2.cap. fin.24.q.3.ver.Simoniani, dixi in summa.pec.cap.p.1.q.116.tit.6.

SPES. CLV.

HANC hæresim vltra alias Lutherus docuit dicit.n. spem non procedere ex meritis, de hac S.Thom.2.2.q.17. et seq. doct.com. lib.3. sent.distin.26. Hosius Tit.de spe.cap.18.

Ad tollendam hanc hæresim supponendum est, quod bonus ille Paterfamilias conuentionem fecit cum operarijs ex denario diurno: et cum operarij, qui primo mane venerant, sperarent se aliquid amplius accepturos, dixit vni ex illis Paterfamilias. Nonne ex denario conueniſti mecum? tolle quod tuum est et vade, amice non tibi facio iniuriam: ex quo constat omnibus gloriam esse debitam iusto, velut mercedẽ Mercenario; debitã quidem, quia promissa: quoniam nisi promissa esset, debita non esset.

Contra

Contra facit primo ratio, quia Mercenarius, qui in alieno agro desudat, atq; laborat, non solum sperat propter bonitatem Domini consequi mercedem, sed etiam propter suum laborē: ita iusti sperant in bonitate Domini; verum quia Dominus non dat mercedem pigris; ideò laborare satagunt, vt per labores suos gloriam assequi mereantur. Vndè Iob.7. Militia est vita hominis super terram; et sicut mercenarij dies eius, et Psalm.43. Propter te mortificamus tota die, et 1.Cor.15. Quotidie morior propter gloriam vestram fratres, et 2.Tim.1. Ob quam causam hæc patior; sed non confundor: scio enim cui credidi, et certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem. Secundo facit ad Rom.5. Nō solum aūt; sed et gloriamur in tribulationibus, scientes qđ tribulatio patientiā operatur, patientia autem probationem, probatio uerò spem. Tertio 2.Tim.4. ibi Ego.n. iam delibor, et tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certaui, cursum consumaui, fidem seruaui; in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex; non solum autē mihi, sed et ijs, qui diligunt aduentum eius. Quarto Psal.4. Sacrificate sacrificium iustitiæ, et sperate in Domino. Quinto ad Tit.2. Sobriè, et piè, et iustè viuamus in hoc seculo, expectātes beatā spem.i. vt securi possimus futuram beatitudinem sperare: illorum autem spes, qui sine meritis sperant, dicitur vana Iob.8. et 4. dicitur quòd spes

Hypo-

Hypocritæ peribit, et Prou.10. Spes impiorum peribit et Sap.5. Spes impij tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur, et Eccl.34 Vna spes, et mendacium viro insensato; de hac vide, quæ dicta sunt supra ver. Fiducia.

SPIRITVS SANCTVS. CLVI.

SPIRITVS sancti aduentum non in Apostolos, sed in se factum esse asserere, hæresis est. cap.fin.24.q.3. Direct.2.p.q.6.nu.27.

Item hæresis est, dicere Spiritum sanctum non esse Deum, ibid.n.44. et Spiritum sanctum esse Patre Filioque minorem, ibidem.n.51.cap. fin.24.quæstio.3.

Item Spiritum sanctum assumpsisse carnem humanam, Direct.p.2.q.11.hær.3.

Similiter; A solo Patre procedere, non à Filio, ibidem quæst.18.n.1.

STVDIA GENERALIA. CLVII.

IOANNES Vuicleph hæreticus dixit Studia generalia esse vana gentilitate introducta, et tantùm prodesse Ecclesiæ, quantum prodest Diabolus.

Contra facit primo ratio, quia fides nostra non est defendenda armis; sed verbis, rationibus, et argumentationibus. Arma.n. militiæ nostræ non sunt carnalia, sed spiritualia 2.Cor.10. et ad Ephes.6. In omnibus sumentes scutum fidei, in quo posſitis omnia tela nequissimi extinguere, et galeam salutis assumite, et gladium spiri-

spiritus, quod est verbum Dei: viuus est .n. sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti. Secundo si studia non essent, neq; doctores; à quo docerentur Idiotę? nullus .n. sufficit sibi ipsi; sed aliquo eget doctore. Prou. 3. Ne innitaris prudentiæ tuæ, et iterum Ne sis sapiens apud temetipsum, et 1. Corint. 12. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. Tertio 2. Timot. 3. Tu vero permane in his, quæ didicisti, et credita sunt tibi; sciens à quo didiceris; et quia ab infantia sacras literas nosti. Quarto facit Act. Apost. 14. ibi Erant autem in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ et doctores etc. Post scholam Antiochiæ fuit alia erecta Alexandriæ, de qua Euseb. Cæsar. lib. 5. Hystoriæ. Quinto hæc hæresis damnatur in Concilio Constantiense sess. 8. artic. 29.

SVBDITVS. CLVIII.

IDEM Ioannes Vuicleph dicit Populares homines posse ad libitum suum Prælatos, et Dominos delinquentes corrigere; et ideo subdit, populum iustè subtrahere decimas à sacerdotibus peccatoribus, et ab alijs huiusmodi Dominis subtrahere tributa propter illorum peccata.

Contra facit primo ratio, quia nihil magis obesse potest Reip. quàm si licuerit cuilibet de populo corrigere Prælatum, et Dominum suũ; nullus .n. alius esset maior, si cum eorum aliquis

quis delinquit, se inuicem posſent corrigere. Secundo facit exemplum Dauid, qui rectè nouerat peccata Saul Regis, quem tamen nunquã ausus est corrigere. 1.Reg.24. ibi Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo Christo Domini, vt mittam manum meã in eum, qui Christus Domini est. Tertio facit quod dixi supra ver. Potestas. Quarto hæc hæresis damnatur ab Ecclesia Concilio Constantiense sess.8.artic.17.

SVFFRAGIA DEFVNCTORVM. CLIX.

DICIT Lutherus hanc hæresim Nihil prodesse defunctis orationes, sacrificia, et eleemosynas, quæ à viuis pro illis fiunt.

Huius hęresis Authores fuerunt Vualdenses, Albigenses, Græci, Armeni, et Aerius. Et certè si defuncti tales sunt, quales hi hæretici, frustra pro his sacrificia offerrentur; quia in inferno sunt: verum pro his qui sunt in purgatorio pium est, et vtile.

Contra hanc hæresim facit primo Tob.4. Panem tuum, et vinum tuum super sepulturam iusti constitue; quod frustra fieret, si nihil prodesset. Secundo 2.Mac.12. ibi Iudas collactione facta duodecim millia drachmas argenti, misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum in sacrificium, benè et religiosè de resurrectione cogitans; nisi enim eos, qui ceciderant, resur-

resurrecturos speraret, superfluum videretur, et vanum orare pro mortuis; sed quia considerabat, quòd hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam: sancta ergo et salubris (inquit) est cogitatio pro defunctis orare, vt à peccatis soluantur. Tertio facit com. opin. doct. Aug. lib. de cura agenda pro mortuis cap. 1. Greg. libr. 4. Dialog. cap. 55. Theoph. super 12. Luc. Chrysostom. Homil. 69. Athan. lib. de varijs. quæst. Dionys. Areopag. lib. de Eccl. Hyer. cap. 7. Quarto adest consuetudo, et definitio Ecclesiæ Concil. Cartag. 4. cap. 95. Concil. Vallense c. 4. Agatense cap. 4. Tol. 3. c. 22. Concil. Flor. dixi supra ver. Purgatorium.

TEMPLVM. CLX.

EVSTACHIVS hereticus, quem sequuti sunt Vualdenses, Pseudoapostoli, Boemi Hæretici Thaboritæ appellati, concorditer sentierunt Templa Dei nullius esse vtilitatis, neq; aliquo pacto prodesse in Ecclesia Dei.

Contra facit primo 1. Paral. 28. vbi Salomon Rex ex præcepto Dei ædificauit templum Hierosolymæ; quod præceptum datum non esset, si nullius esset vtilitatis. Secundo facit Math. 21. vbi Dominus eiecit ementes, et vendentes è templo, dicens sicut Isa. 56. Domus mea domus orationis vocabitur. Tertio vsus templorum cepit ab Apostolis, vt refert Euseb. lib. 2. Hyst. Eccl. cap. 17. Quarto Concil.

Grangrense cap.5. ibi Si quis docet domum Dei contemptibilem esse debere, et congregationes, quæ in ea fiunt, Anathema sit.

TENTATIO. CLXI.

PETRVS Abailardus docuit hunc errorem, Quod nulla sit Dęmonis in nobis tentatio, quæ non fiat contactu lapidum, aut herbarum: si iste tenet, quòd Dęmon possit per cõtactum lapidum, aut herbarum ad actum peccati impellere, non est hæresis: sed tenens, quòd omnis Dęmonis tentatio procedat ex contactu lapidum, aut herbarum, seu quòd Dęmon impellat ad peccatum, erit manifestus error.

Contra quem facit 1. Genes. 3. vbi Dęmon in tentatione Adæ, et Euæ non vsus est lapidibus et herbis, sed serpente. Secundo Iob. vbi Satan appetit tentare Iob, et ad hoc licentiam à Deo petit, non postulat sibi permitti lapides, aut herbas applicare, sed vallum, quo Deus vniuersam illius substantiam circumcinserat, auferre, vt liberè posset illum per omnis substantiæ deuastationem tentare. Tertio cum Satan Saluatorem nostrum tentauit in deserto non applicatione herbarum, aut lapidum tentauit, sed locutione. Quarto multa alia sunt tentationis genera, quibus tentamur à Dęmone; nam aliquando transfigurat se in Angelum lucis, vt facilius alios decipere valeat 2. Corin. 11. Catechec. in 6. pet. orat. dom.

TERRA

TERRA. CLXII.

FOELIX Manicheus docuit terram esse Deo coæternam.

Contra facit primo 1.Genes. In principio creauit Deus cœlum, et terram; si in principio creauit terram, ergo non est coæterna. Secundo Psalm.101. Initio tu Domine terram fundasti, quæ verba repetit Paul. ad Hebr.3. Tertio Isa.45. Ego feci terram, et hominem super eam creaui. Quarto adest definitio Eccl.c.1. de Summa Trin. et fid.cath.

TIMOR DEI. CLXIII.

LVTHERVS hunc pestiferum errorem docuit Timorem Dei seruilem esse prorsus inutilem; immo etiam noxium, cum dicat illum esse dignum pœna.

Contra facit primo, quæ dixi supra de contritione, et nota, quod timor Dei duas habet origines in peccatore. Vna est amor sui, et sui commodi, vnde prouenit vt fugiat incommoda: ideò.n. peccator odit, et timet pœnam; quia illa aufert quietem, pacem, delectationem, et integritatem patientis. Altera origo est consideratio omnipotentiæ diuinæ, et eius sapientiæ, et iustitiæ, qua peccatores plectuntur. Cum ergo peccator odiat pœnam, ad quam infligendam certò credit Deum esse potentem, sapientem, et iustum, abstinet ab opere peccati, ne talem pœnam patiatur; sic tamen vt in eo

peccandi voluntas etiam auferatur; talis (inquam) fuga peccati ad euitandam pœnam est timor seruilis, quem dicimus esse bonum, et vtilem; nisi voluntas peccandi sit ei admixta; exemplo serui, qui metu pœnę dilationem petijt ad soluendum, Math. 18. similiter Math. 5. ibi Esto consentiens aduersario tuo cito, dum es in via cum eo, ne forte tradat te aduersarius Iudici, et Iudex tradat te ministro, et in carcerem mittaris. Amen dico tibi non exies indè, donec reddas nouissimũ quadrantem, et Prou. 22. ibi Stultitia alligata est in corde pueri, virga disciplinæ effugabit eam. Secundo facit Psalm. 118. Bonum mihi, quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas: Dauid testatur se didicisse iustificationes Dei; propterea quod fuerat à Deo humiliatus; si ergo opus eius bonum est, ipse quoque timor erit bonus, quia arbor mala non potest bonos fructus facere Math. 7. Tertio adest com. opin. doct. S. Bernard. lib. de prȩcepto, et dispensatione, Riccardus de S. Victore libr. de præparatione animi cap. 8. dicit, timorem gehennæ esse initium sapientiæ, Aug. super 1. Ioan. Epist. tract. 9. exponens illud, timor non est in charitate, dicit, hoc est in charitate perfecta, quia perfecta charitas foras mittit timorem: ergo incipit timor, quia initium sapientiæ timor Domini. Timor quasi locum præparat charitati etc. idem dicit Basilius in Psalm. 33.

Secunda hæresis est Petri Abailardi dicentis Timo-

Timorem Domini non esse in futuro seculo.

Contra facit primo Psalm. 18. Timor Domini sanctus permanet in seculum seculi. Secundo Iob 26. Columnæ cœli contremiscunt et pauent ad nutum eius, loquens de Angelis, et intellige ex mente omnium de timore casto et reuerentiali; non autem de seruili, de quo dicitur 1. Ioan. 4. quod perfecta charitas foras mittit timorem.

TRADITIO. CLXIIII.

TRADITIONES negans est hæreticus Turrian. lib. 2. cap. 16. lib. 5. cap. 4. Hosius lib. de Traditionibus.

TYRANNVS. CLXV.

IOANNES parui docuit Quemlibet Tyrannum posse licitè, et meritoriè occidi per quemcunque vasallum suum etiam per clanculas insidias, non obstante quocunque fœdere inter eos inito, etiam per iuramentum confirmato, et hoc absque sententia, aut mandato Iudicis cuiuscunque.

Contra facit primo ratio, quia Tyrannus ille dicitur, qui non iure dominatur in Republica, aut iuxta dominij sui leges potestatem suam exercet; si ergo quilibet Tyrannus poterit occidi à subdito suo, sequeretur confusio iustitiæ, quia tunc vxor poterit occidere maritum suum, oues interficere Pastorem, Filij Patrem tirannicè dominantes, et sic ex ista asser-

tione aperiretur via vnicuique subdito non solum ad inobedientiam, sed etiam ad necem sui superioris; quia posset causari illum esse Tyrannum; facit etiam ratio, quia maius est crimen hæreseos, quàm tyrannidis; sed non licet cuilibet occidere hæreticum, ergo non licebit etiam cuilibet occidere Tyrannum. Secunda via oppugnare possumus hanc pestiferam hæresim ex ratione insidiarum; quoniam etsi licitum esset Tyrannum occidere; non tamen per insidias, et fraudes, et deceptiones, Exod. 21. Si quis per industriam occiderit proximum suum, et per insidias: ab altari meo euelles eũ, vt moriatur. Tertia via patet qua eadem hæresis expugnatur ex ratione fœderis iuramento firmati; dicitur .n. Psalm. 5. Perdes omnes, qui loquuntur mendacium; virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus: si omnes qui loquuntur mendacium Deus perdet, quid illum facturum censebis de his, qui peierant? nam etiam hosti est seruanda fides; nam propter hanc causam Iacob iratus est contra Simeonem, et Leui filios suos, qui violarunt pactum cum Sychimitis initum Genes. 34. et 49. similiter reprehenditur Sedechias, Rex Iuda, quia rebellauit contra Nabuchdonosor Regem Babylonis, cum tamen prius illi feciſſet iuramentum de fidelitate seruanda; quòd si licet rumpere fœdera etiam iuramento stabilita, via tunc aperiretur latissima ad omnem diffidentiam, et oẽm controuersiam patens. Nullus enim

enim iam fidet alteri aliquid promittenti, quoniam etsi promissa iuramento confirmet, quisque iustè metuere potest, ne postea contra iuramentum faciat, cum id licitè facere possit. Nullus etiam erit controuersiæ finis, si nullæ est obligatio iuramenti; quoniam vt inquit Paul. ad Hebr. 6. Omnis controuersię finis est iuramentum. Quarta via expugnatur hæc hęresis ex defectu potestatis, et iurisdictionis priuatæ, qua authoritate nemini quemquam interficere licet; ideò de Cain legitur Genes. 4. Nequaquam ita fiet; sed omnis qui occiderit Cain septuplum punietur, vndè Paulus dicit Quis es tu, qui iudicas seruum alienum? præceptum autem de non occidendo loquitur de omni occisione, quæ fit priuata authoritate, immo nec etiam Rex non potest citra iuris ordinem aliquem interficere; est. n. contra naturalem rationem, quod aliquis in eadem causa sit iudex, testis, et reus: quoniam hoc soli Deo conuenit propter summam illius sapientiam, et bonitatem. Cum autem subditus sine superioris Iudicis sententia Tyrannum occidit, tunc ipsemet est Iudex, pars oppositа reo, et testis. Vltimo hæc hæresis damnatur à Concil. Constant. sess. 15.

VERECVNDIA. CLXVI.

TVRELVPINI hęretici docuerunt De nulla re, quæ nobis est à natura donata, erubescendum esse.

Contra hanc hæresim redarguit natura ipsa, à qua insitam habemus quarundam rerum verecundiam: quapropter partes corporis, per quas mares, et fœminæ commiscentur, verenda, et pudenda dicuntur, quæ testimonium referunt illius peccati, quod primus homo per inobedientiam commisit: cum .n. omnes reliquæ corporis partes ad nutum voluntatis nostræ moueantur, et quiescant; sola membra genitalia nutui voluntatis repugnant, et obedire recusant. Secundo Genes.3. vbi Adam dixit Deo, Vocem tuam Domine audiui in Paradiso, et timui; eo quod nudus essem; quo loco constat timorem capi pro verecundia. Tertio Genes.9. vbi reprehenditur Cham filius Noè, eo quod videns Patrem inebriatum habentem verenda nudata, nunciauit fratribus suis, qui laudantur, eo quod verenda Patris operuerunt. Quarto Exod.39. vbi pars vestis sacerdotalis, qua iuxta præceptum Domini vestiendus erat sacerdos, cum intrabat in sancta, erant femoralia in tegumentum earum partium, ex quibus nudatis maxima oritur verecundia.

VIDVA. CLXVII.

VIDVA non posse nubere, hæresis est, Direct.2.p.quæst.6.nu.28.cap.pen.ver.Cathari 24.quæst.3.

VINVM

VINVM. CLXVIII.

SEVERVS, à quo Seueriani hæretici originem duxerunt docuit Non licere vllo pacto bibere vinum; eo quod dicebat de Satana, et terra germinasse vitem; quæ quidem hæresis non solum nocet animæ; sed etiam corpori (vt candidè loquar) quoniam etsi vinum immodicè sumptum multum noceat; moderatè tamen potatum plurimas corporis præstat vtilitates; ideò Sapiens in Eccl. 31. Exultatio animæ, et corporis vinum moderatè potatum. Sanitas est animę et corporis sobrius potus. Secundo si vinum malum esset sua natura, Saluator noster non vertisset aquã in vinum Ioan. 2. Tertio non præcepisset ministrantibus in conuiuio nuptiarum, vt ferrent vinum Architriclino Math. 26. Quarto in cœna vinum ad potandum Discipulis dedit Luc. 22. Quinto Paulus scribit 1. Timot. 5. consulens ei, vt aquam non bibat, sed modico vino vtatur propter stomachum suum, et frequentes eius infirmitates, Direct. p. 2. quæst. 6. nu. 24. cap. pen. ver. Seueriani 24. quæst. 3.

VIRGINITAS. CLXIX.

IOVINIANVS Monachus docuit Virginitatem non esse apud Deum maioris meriti, quàm coniugium, quem sequutus est Heluidius Basilides, et postremò Martinus Lutherus; quia ampliando dixit Virginitatem malam esse,

esse, et præcepto Dei contrariam, de hac S. Thom. 2. 2. q. 152. artic. 1. et seq. doct. com. in 4. sent. distin. 33. Hosius tit. de traditionibus pag. 266. et seq.

Contra facit primo Math. 19. ibi Sunt Eunuchi, qui se castrauerunt propter Regnum cœlorum: qui potest capere capiat, et alibi Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est; quod est castrare se ipsum propter regnum Dei, et quia non omnes capere possunt, ne videretur aliquem cogere, ad id quod assequi non potest, in cuiusque arbitrio illud relinquit, dicens Qui potest capere capiat: ex quibus verbis Christi apertissimè constat virginitatem prælatam esse matrimonio, cum sit multo excellentius id, ad quod assequendum non omnium vires sufficiunt, quàm illud, quod tam facile est, vt omnes illud capessere possint: nullus est cui integra est natura, qui coire non possit; at rarus est, qui possit ab omni specie coitus abstinere. Secundo facit 1. Corint. 7. ibi Qui matrimonio iungit virginē suam benè facit; et qui non iungit melius facit. Tertio Math. 22. In resurrectione neque nubent, neque nubentur; sed sunt sicut Angeli Dei in cœlo; ex quibus verbis constat nuptias esse hominum: continentiam autem Angelorum proprium munus. Quantum ergo Angeli hominibus præstant, tantùm virginitas præponitur matrimonio. Quarto conuincit hanc hæresim multitudo virtutum, quas ad sui substentationem

tionem exigit virginitas, vt tanquam altera Hester illis velut suis ancillis innitatur; oportet enim virginem esse abstemiam; quoniã luxuriosa res est vinum, exigitur abstinentia cibi; sum mè necessarium est paciſci fœdus cum oculis, et obseruare aures ad turpiloquia; est necessaria oris, et labiorum custodia; denique nunquam esse potest virginitas sola: sed oportet eam velut Reginam esse ingenti ancillarum comitatu stipatam. At qualiter fieri posset, vt non sit nobilior virginitas, cui multo plures deseruiunt virtutes, quàm matrimonium? Vltimo adest definitio Ecclesiæ, nempè Syriaci Papæ in Epist. de condemnatione Iouiniani, et Concil. Thelense hanc eandem Epistolam recipit, et hanc hæresim damnat; dicens Bonum coniugium, quo est inuenta posteritas successionis humanæ; sed melior virginitas, per quam regni cœlestis hæreditas acquisita, et cœlestium meritorum reperta successio. Per mulierem cura successit, per virginem salus euenit; denique speciale sibi donum virginitatis elegit, et integritatis munus exhibuit, atque in se repræsentauit, quod elegit in Matre; Non obst. quod obijciunt Genes. 1. ibi Crescite, et multiplicamini, vbi dicunt Deum dedisse præceptum omni homini de matrimonio contrahendo; nam Resp. quod si hoc verum esset, Paulus contradiceret Deo, qui de virginibus consilium dedit, et peccassent Ioannes Baptista, Maria, et Ioannes Euangelista, qui perpetuam virginitatem

tatem seruauerunt, et steriles, quæ non multiplicant peccarent, quod non est dicendum; fatemur tamen illud fuisse præceptum pro eo tempore, ut per illud humanum genus propagaret; at postea humano genere satis propagato, iam non obligat illud præceptum, sed remanet liberum: ita interpretatur Hieron. contra Eluid. et lib. 1. contra Iouinianum ibi Necesse fuit prius plantare syluam, et crescere, ut esset quod postea posset excidi, et infra, nuptiæ replent terram, uirginitas paradisum, Conc. Cyprian. lib. de habitu virginum; Non obstat secundo quod obijcit Lutherus dicens Impossibile esse seruare uirginitatem, et ideò non esse bonam, quia omnes uires humanas superat, nec solum superat, (ut ait) sed uitæ propriæ dicit esse ualde inimicam; quoniam ad uitæ propriæ conseruationem dicit esse ita necessarium uxoris usum, sicut cibus et potus; nam Resp. quod nostris solum uiribus impossibile est uirginitatem obseruare, cum diuino tamen adiutorio, quod Deus ipse semper paratus est omnibus petentibus dare, possumus uirginitatem illesam seruare; nam Paulo rogan ti Deum, ut auferret ab eo stimulum carnis, respondit Deus 2. Corint. 2. Sufficit tibi gratia mea; et postquam hoc diuinum adiutorium multis rebus fuerat expertus, dixit ad Phil. 4. Omnia possum in eo, qui me confortat; ex parte autem nostra multum prodest abstinentia cibi, et potus; sine Cerere et Baccho friget Venus;

Venus; et flagella carnis Eccl. 11. Malitia unius horæ obliuionem facit luxuriæ maximæ; et oratio Math. 7. quicquid orantes petieritis, accipietis, et Psalm. 144. Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum, Aug. lib. 2. de meritis peccatorum cap. 17. Casti non sumus, nō quia non possumus, sed quia non uolumus, et super Psalm. 55. In te est quod uoueas, et reddas, et super Psalm. 131. Qui te hortatur, ut uoueas, ipse adiuuat, ut reddas; idem Chrysost. super Paul. ad Hebr. Homil. 16. Origen. Homil. 9. super Leuit. Tertio non obst. quod obijciunt exempla Patriarcarum, et Apostolorum, qui cum sanctissimi fuerint, uxores tamen habuerunt; nam Resp. Aug. libr. de bono coniugali cap. 21. vbi Abraam castè coniugaliter uixit; esse autē castus sine coniugio potuit, sed tunc non oportuit; et melior est castitas cœlibum, quam castitas Nuptiarum etc. Quarto non obst. quod obijcit Caluinus, contra sacerdotes dicens, eos impudentissimè uocare eorum uitam angelicam. In hoc certè Angelis Dei nimium iniurij sunt, quibus scortatores, adulteros, et aliquid multo peius, ac fœdius comparant; nam Resp. uerum esse multos esse sacerdotes tales, quorum tamen vitam non dicimus angelicam, neque illos tales Angelis comparamus, sed Dęmonibus: talis tamen eorum vita statui ipsorum minimè derogat: nam etiam status coniugatorum bonus est; multi tamen sunt coniugati adulteri, et quod multo peius, est

masculo-

masculorum concubitores, quorum effrenata libido nihil derogat coniugio: optimum est Magistratum esse in Republica; multi tamen pessimè eo vtuntur; non per hoc eorum malitia facit, vt Magistratus malus sit. Optimus fuit Apostolorum status, quamuis pessimus in eo fuerit Iudas; cum ergo dicimus virginitatis statum esse vitam angelicam, non sunt prępondę in testimonium virgines fatuæ; sed virgines prudentes, quæ veram virginitatis rationem tenent, vndè Bernardus in serm. de Natiuit. Virg. ibi Angelica plenè vita virginitas; qui non nubent, neque nubentur erunt sicut Angeli Dei, et Hier. serm. Assumpt. Et benè Angelus ad virginem mittitur, quia semper est Angelis cognata virginitas; profectò in carne præter carnem viuere, non terrena vita est, sed cœlestis. Vndè in carne angelicam gloriam acquirere, maioris est meriti, quàm habere, Ambros. in lib. de exhortat. ad Virgines. Audisti fili quantum sit præmium integritatis, regnum acquiritur, et regnum cœleste vitam Angelorum exhibet, Cyprian. libr. de Habitu Virg. Cum castè perseueratis, et virgines, Angelis Dei estis æquales etc.

VIRTVS. CLXX.

VIRTVTVM actibus intendere esse hominis imperfecti, hæresis est, Director. 2. p. quæst. 7. hær. 6.

VISIO

VISIO. CLXXI.

VISIONEM Dei Beatorum non esse intuitiuam, et facilem, hæresis est, Director. p.2.quæst.8.

Item non esse perpetuò duraturam ibidem, hæres.8.

VITA ÆTERNA. CLXXII.

VITAM æternam obtineri posse sine charitate, hæresis est, Director.2.p.quæst.10. hæres.16.

VNCTIONIS EXTREMÆ SACRAMENTVM. CLXXIII.

GRAECI asserunt hoc sacramentum non prodesse infirmis ad salutem corporis. Vualdenses extremam vnctionem inter sacramenta Ecclesiæ non admittunt; Lutherus quoque, et ipsius hæretici sequaces negant sacramentum hoc.

Contra facit primo Marc.6. ibi Et exeuntes prædicabant, ut pœnitentiam agerent, et Dæmonia multa eijciebant, et ungebant oleo multos ægros, et sanabantur; ubi conuincitur id factum fuisse mandante Christo, non autem ex propria authoritate; et hoc factum fuisse, non ut sanarentur corpora tantùm; sed etiam animæ: neminem .n. Deus sanauit in corpore, quē non sanauerit etiam in anima, ut uerè dici possit se totū hominem in sabbatho sanasse, Ioan.7.

ita

ita illum locum Marc.6. interpretatur Beda, Theophylactus, et Hieronymus. Secundo facit contra Iacob. 5. ibi Infirmatur quis in uobis? inducat presbiteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei saluabit infirmum, et alleuiabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittuntur ei; in quibus uerbis omnia necessaria ad sacramenta exprimuntur, est ibi materia oleū, quo ungendus est infirmus; exprimitur etiam forma uidelicet sacerdotis oratio, Minister ibi Presbiteros, effectus quoque, et si in peccatis fuerit, remittuntur ei; quod sacramentum non fuit ab Apostolo Iacobo institutum, sed à Deo, et per dictum Apostolum promulgatū: nam alia docuit per Matheum, alia per Marcū, alia per alium, siue Apostolum, siue Euangelistam: hoc autem sacramentum esse institutum, et promulgatum à Iacobo docet Aug. lib. 2. de visit. infir. Innocentius 1. in Epist. ad Decentium Eugubinum, Beda super Iac. 5. Tertio adest definitio Ecclesiæ Conc. Florent. et Concil. Trident. sess. 14. tit. de sacrament. extr. unct. Can. 1. et seq. Non obst. quod obijciunt, si oleum istud sacramentum est, cur non lutum ex sputo et puluere sacramentū est? nam Resp. quod nos non ideò unctionem dicimus esse sacramentum, quia Apostoli unctione illa ægrotis sanitatem corporis conferebant, sed quia sic corpora sanantes, animam ad bonum per gratiam roborabant, quam Deus illis ægrotis

per

per Apostolorum ministerium tunc dabat; et nunc per aliorum sacerdotum ministeriũ confert. Lutum illud quo cęcus vnctus est, nullam habuit sanandi virtutem, aut si aliquam habuit, tunc solum illam continuit, cum Christus illo liniuit oculos cæci; neque postea illo cæco dedisset visum; et dato quod cæcis corporis visum dedisset, non tamen perindè animæ gratiã contulisset, quia Deus nullam de his dederat promissionem; et ideò sacramentum dici non potest, cum absit diuina promissio de donatione gratiæ, pro vt est in extrema vnctione cum dicitur, et si in peccatis sit, remittentur ei; Nõ obstat secundo quod quandoque non conferat sanitatem corpori, pro vt pollicet; nam Resp. indubitatum huius sacramenti effectum esse animæ consolationem, et robur per gratiam, quam Deus semper, nisi malitia obstat, animæ ægrotanti confert, vt Dęmoni tunc fortiter tentanti viriliter resistere possit; quam gratiam nemo cognoscere potest. Sanitas autem corporalis, etsi sępè per hoc sacramentum conferatur; non est tamen certus, et indubitatus illius sacramenti effectus; quia non habet Dei promissionem, nisi quatenus saluti animæ, quã potius sacramentum respicit, Deus magis conuenire optime prospicit; non obst. quod obijcitur, vt Iacobus velit omnes infirmos vngi; nos autem non omnes infirmos, sed tantùm laborantes in extremis: nam Resp. hoc falsum esse, quia Ecclesia docet, vt omnes, qui pro-

pter infirmitatem habent verisimile mortis periculum, hanc olei sacri vnctionem recipiant, et tunc gratiæ robur accipiant, quando fortius à Dæmone tentantur; et ideò in leuibus infirmitatibus non datur, quia tunc Dæmon non ita facilè adhibet suas fortes tentationes; nec dicitur extrema vnctio ex eo, quia detur laborantibus in extremis; sed quia est vltima, et extrema omnium vnctionum, quas confert Ecclesia omnibus christianis. Quarum prima est, qua vnguntur Cathecumeni; altera qua iam baptizati vnguntur; tertia est, qua vnguntur qui confirmationis sacramentum suscipiunt; quarta, et vltima, qua per manum sacerdotum vnguntur ægroti, cum aliquod habēt periculum, et quia hæc est vltima, ideò vocatur extrema à recentioribus. Non obst. quarto quod obijciunt, Iacobus vult infirmos vngi à Senioribus Ecclesiæ, quod ita verbo græco dicti sunt presbiteri; nos autem non amittimus, nisi sacerdotem: nam Resp. quod sacra scriptura appellat presbiteros seniores non quidem ætate tantùm, sed etiam sapientia; quia sapientem esse oportet illum, qui sacerdotali dignitate decorandus est; ideò sacerdotes potius quàm alios sacra scriptura presbiteros appellat; ita interpretatur Anacletus in Epist. 2. ita intelligitur 1. ad Titum ibi Constituas per ciuitates presbiteros, sicut et ego disposui tibi; ita declarat Chrysost. lib. 3. de sacerdotio: Cathec. de extr. vnctione, Echius, titul. 12. de extr. vnct. doct. com.

com. in 4. sent. distin. 23. Concil. Trid. sess. 14. in fine. Hosius Tit. de extr. vnct. cap. 49.

Prima igitur hæresis est, negans extremam vnctionem esse sacramentum, Concil. Trid. de extr. vnct. sess. 14. Can. 1.

Secunda asserens, non conferre gratiam, nec alleuiare infirmum, ibid. Can. 2.

Tertia dicens Vsum, et ritum eius mutari, et contemni posse, ibid. Can. 3.

Quarta asserens Ministros huius sacramenti non esse sacerdotes ab Episcopo ordinatos, ibid. Can. 4.

VOTVM. CLXXIIII.

QVORVNDAM Hæreticorum sententia fuit Nihil esse ex necessitate faciendum; sed omnia debere fieri liberè: quia in Psal. 53. dicitur Voluntariè sacrificabo tibi.

Huius hæresis Authores fuerunt Lamperiani, qui hac ratione ducti omnia vota damnabant; hanc hæresim sequuti sunt pseudoapostoli dicentes Opera, quæ fiunt absque voto, esse maioris præmij, quàm ea, quæ fiunt ex uoti necessitate; eandem hæresim tutatus est Ioannes Vuicleph. vltimus huius hæresis propugnator est Martinus Lutherus.

Aduersus hanc hæresim disputantes, duo nos oportet ex sacris literis probare. Primum quod vota semel emissa sunt opere complenda, et non debent pro cuiusque arbitrio tolli.

Alterum quod opus ex uoto factum cedit in maius ipsius operantis prœmium, quàm si liberè, et absque uoti necessitate fuisset effectum.

Ad prioris partis probationem facit primo numero 30. ibi Si quis virorum votum Domino vouerit, aut se constrinxerit iuramento, nó faciat irritum verbum suum; sed omne quod promisit implebit. Secundo Deut. 23. Cum uotũ uoueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus, et si moratus fueris reputabitur tibi in peccatum; si nolueris polliceri, absque peccato eris: quod autem semel egressum est de labijs tuis, obseruabis, et facies; sicut promisisti Domino Deo tuo, et propria voluntate, et ore tuo loquutus es. Tertio Eccl. 5. Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere. Displicet .n. ei infidelis, et stulta promissio; sed quodcunque uoueris, redde: multoque melius est non uouere, quàm post uotum promissa non reddere: Quarto Baruch. 6. ibi loquens de Dijs Gentium, Neque si quid mali patiuntur ab aliquo, neque si quid boni, poterunt retribuere, neque regem constituere possunt, neque auferre; similiter neque dare diuitias possunt, neque malum retribuere. Si quis illis votum vouerit, et non reddit, neque hoc requirunt; ex quibus verbis constat, quod Deus requiret ab eo, qui uotum uouit, nisi reddiderit. Quinto Psal. 94. ibi Immola Deo sacrificium laudis, et redde altissimo uota tua, et Psalm. 55. Reddam tibi

vota

vota mea, quæ distinxerunt labia mea, et Psal. 75. Vouete et reddite Domino Deo uestro omnes, qui in circuitu eius affertis munera. Non obst. quod dicunt hæretici, nempè uota pro certo tempore tenenda emitti posse, non autem illa, quibus homines ad perpetuam aliquam obseruationem se adstringunt; quoniam dicunt per talia uota homines fiunt serui, quos tamen Deus libertate donauit; nam Resp. quod Christus non liberauit ab hac seruitute, sed à seruitute peccati, quam libertatem nullus melius tenet, quàm is, qui Deo seruit, cui seruire regnare est, et ad Rom. 6. dicitur Liberati autem à peccato serui facti estis iustitiæ; præterea, qui duxit uxorem, se ipsum irretiuit vinculo indissolubili, ita ut uiuente uxore non possit ab ea separari, neque aliam superducere; quid igitur obstat, ut in uoto perpetuo aliquid simile contingat? præsertim cum habeamus de hoc expressa sacræ scripturę testimonia 2. Reg. 1. ubi Anna uotum uouit dicens, Domine exercituum, si respiciens uideris afflictionem famulæ tuæ, et recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederisque seruæ tuæ sexum uirilem, dabo eum Domino omnibus diebus uitæ meæ: similiter uirgo Maria uotum Deo uouit perpetuæ uirginitatis, ut colligitur ex 1. Luc. ibi Quomodo fiet istud, quoniam uirum non cognosco? quæ negatio adiuncta uerbo præsentis temporis, non solum ibi negat actum præsentem; sed dicit uotum de negatione actus

in posterum; hoc est quomodo fiet istud quoniam uirum non cognosco? hoc est nunquam me uirum cognituram spopondi: nam alioquin nulla suberat causa dubitandi; quoniam ut mulier, quæ nunquam antea uirum cognouit, in posterum concipiat, non est quid difficilè, ita interpretatur Bernard in Homil. 4. super Euangel. Missus est et c. vbi etiam Beda, Aug. libr. de sanct. uirgin. cap. 4. similiter uotum perpetuum de paupertate seruanda emiserunt Apostoli Math. 19. Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te. Hoc uotum potentissimi nouerant; sed undè hoc illis, nisi ab illo de quo dictum est: Dans uotum uouenti Aug. lib. 17. de ciuit. Dei cap. 4. Præterea hoc uotũ perpetuę castitatis probat Paul. 1. Timot. 5. ibi Adolescentiores uiduas deuita. Cum. n. luxuriatæ fuerint in Christo, nubere uolunt, habentes damnationem; quia primam fidem irritam fecerunt: quid est dicere primam fidem irritam fecerunt? hoc est quod uotum, quod in uiduitate emiserant de continentia seruanda, uiolauerunt, cum post tale uotum emissum nupserunt; ita interpretatur Aug. super Psal. 75. super illis uerbis, Vouete, et reddite et c. et Primasius super d. locum Pauli, Isid. libr. 2. de officijs cap. 18. Hier. libr. contra Iouinianum, Ambr. super Paul. d. loco, Basilius libr. de virgin. cap. 55. Chrisost. Homil. 19. super 1. ad Corint. Concil. Cartag. 4. cap. fin. Concil. Tolet. 4. cap. 55. Concil. Valent. cap. 2. et Concilio

cilio Ruriacense cap.27. et seq. Concil. Aurelianense cap.17. Concil. Elibert. cap.13. Concil. Tolet.4. cap.48. quibus in locis patet uotum emissum, nedum ad tempus, sed toto tempore uitæ suæ (quando taliter est promissum) fuisse et esse seruandum; et si de aliqua re bona perpetuum uotum emitti licet, cur non licebit de his tribus rebus, per quas triplex mundi huius cõcupiscentia prosternit? videlicet obedientia, castitate, et paupertate: nam per obedientiam superbia uitæ edomatur; per castitatis uotum carnis concupiscentia coercetur; per uotum uerò paupertatis illa insatiabilis concupiscentia oculorum cohibetur; obedientia commendatur Mat.16. Si quis vult uenire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me: castitas quoque laudatur Mathę.19. Sunt Eunuchi, qui se castrauerunt propter Regnum cœlorum. Qui potest capere capiat: paupertas præterea commendatur ibidem: Si uis perfectus esse, uade, et uende oĩa, quæ habes, et da pauperibus, et sequere me, et habebis thesaurum in cœlo; et de uotis monasticis dixit Theophyl. super Math.8. Dimitte me ut sepelliam patrem meum, ubi Christus respondit, sine mortuos sepellire mortuos suos: si autem illis nec patrem sepellire licuit, uæ his, qui monasticem professi ad mundana regrediuntur negotia. Quod autem opera facta cum uoto sint magis meritoria, probat primo Psal. 75. ubi Dauid suadens ad uouendum dicit Vo-

uete, et reddite Domino Deo uestro omnes, qui in circuitu eius affertis munera; quòd si nullum augeretur meritum ex uoto, male consuleret Propheta, ut uouerent. Secundo facit ratio, quanto aliquod opus à meliore uirtutis radice oritur, tanto melius est: non enim aspicit Deus quantum quis offerat, sed ex quanto; et ideò laudata est illa uidua, quæ cum solum duo minuta obtulisset, dicta est obtulisse plus omnibus alijs: cum ergo uotum procedat ex radice obedientiæ, quæ melior est, quàm uictima; sequitur quod sit melius, quàm si absque uoto fieret; nam qui ex uoto aliquid facit, obediens facit, et vt obediat facit, et sic habet meritum respectu obedientiæ, et operis; ille verò, qui absque voto operatur, habet tantùm meritum operis, non autem obedientiæ. Hanc eandem opinionẽ super Hyer. in Thren. 3. tenuit Hieron. et Dionys. de Eccl. Hierar. cap. 6. Aug. in Epist. ad Armentarium, Gregor. Homil. 20. super Ezech. Chrysostom. Homil. 11. super Paulum ad Hebr. Tertio facit alia ratio, quia omittens id, quod se facturum Deo uouerat, grauius peccat, quàm si non uouisset, Ezech. 5. Multo melius est non uouere, quàm post votum promissa non reddere: hoc loco certè dicitur melius id, quod est minus malum, sicut alibi dicitur Mathę. 26. Melius erat ei si natus non fuisset: non quod alterum illorum esset bonum, sed quia minus malum esset non nasci, quàm Christum vendidisse: si

grauius

grauius puniuntur, qui votanō reddunt; oportet, vt etiam largius prę̃mientur, cum reddunt; alioquin non esset Deus pronior ad misericordiam, quàm ad punitionem. Quarto adest definitio Ecclesiæ Concil. Tolet. 4. cap. 49. Non obst. 1. quod obijcit Lutherus de 1. Corint. 7. ibi Si nupserit virgo non peccauit; ergo moniales virgines secundum eos nubere poterunt; sed Resp. hoc procedere in virginibus, quæ sui iuris sunt, quibus nubere, vel non nubere licet; secus autem de his, quæ per votum castitatis, quod vouerunt, nubendi potestatem à se prorsus reiecerunt; ita interpretatur Hieron. lib. 1. aduersus Iouinianum, et Chrysost. Homil. 19. super 1. ad Cor. vbi etiam Theophy. Isid. lib. 2. de offic. Eccl. cap. 17. Secundo non obst. quod dicit Lutherus de votis monasticis, et quo ad votum castitatis dicens, illud contrariari rectę rationi, quæ dictat ad impossibile neminē obligari; sed potest esse tanta infirmitas carnis in Religioso, vt votum illud adimplere non possit; ideò in hoc non obligaretur, Resp. verum esse neminem ad impossibile obligari; sed impossibile esse virginitatem seruare, hoc negamus; quia diuino auxilio fulti, quod Deus omni rectè petenti semper paratus est dare, resistere possumus; de qua re satis dixi supra titul. de Virginitate, atque de Sacerdotio. Tertio non obst. quod dicit Lutherus, Qui castitatem vouet, Deo rem vouet, quæ prorsus non est, nec potest esse in manibus suis, cum sit solius

Dei

Dei donum, quod accipere, non offerre potest homo; Resp. verum esse nos non posse vouere, quod non est in nostra potestate: negamus tamen castitatis obseruantiam non esse in nostra potestate; quia etsi homo suis solis uiribus eam obseruare non valeat; nam sine me nihil potestis facere, Ioan. cap. 15. valet tamen cum Dei adiutorio, quod ille paratus est dare omnibus eum uerè inuocantibus, Omnia possum (inquit Paul. ad Phil. 4.) in eo, qui me confortat, et Marc. 11. Omnia quęcunque orantes petitis, credite, quia accipietis, et eueniet uobis. Quarto non obstat, quod obijcit Lutherus, Si Monachus effectus Episcopus soluitur uoto paupertatis; quarè non etiam uoto castitatis? nam Resp. falsum esse Monachum factum Episcopum liberum esse à uoto paupertatis; quia etsi ad episcopatum assumuntur; manent tamen ad paupertatem obligati, pro ut antea obligabantur cap. de Monachis. 16. q. 1. nam omnia quæcunq; episcopali dignitate concurrere possunt, ab eo seruari debent, ut castitas, et paupertas; ab alijs tamen liberatur, vt ab obedientia sui Prælati, à ieiunio, et silentio et similibus; quia illa non possunt simul cohærere cum functione muneris episcopalis; nec dicitur Dominus rerum episcopatus, sed tantùm dispensator S. Thom. 2. 2. q. 185. artic. 8. Quinto non obst. quod obijcit Lutherus de uoto obedientiæ dicens, Bifariam peccant Religiosi, primo, quia illam reponunt sub consilio

cum

eum sit sub præcepto: scilicet quod inferior obediat superiori; deindè, quia dum se vni obligant, eximunt se ab obedientia aliorum; nam Resp. obedientiã, quam uouent, non esse sub præcepto ante votum, sed benè post votum emissum; nam ante uotum Prælatus non est ei superior; secundo non est uerum, quod eximat se à iurisdictione aliorum, quia remanet subditus omnibus alijs, quibus præsidens eius subijcitur. Sexto non obst. quod dicit Lutherus, Monasticæ professionis uota pugnare libertati christianæ; nam Resp. falsum esse libertatem christianam in hoc consistere, ut nullis hominum mandatis obedire teneamur: nam fatendum esset in christiana religione nullum esse Regem, et Principem; quod conuincitur falsum per ea, quę dixi supra titul. de Ecclesia hęresi tertia, nec uerum est, vt asserit Lutherus, voti obligationem esse ex instituto humano; nam licèt verum sit humana voluntate votum pendere, non ex præcepto: nam Deus consulit, vt quis uoueat; at postquam quis aliquid sponte sua vouit Deo, tunc iam ex præcepto diuino obligatur ad reddendum Deo id quod vouit, vt Psalm. 75. Vouete et reddite Domino Deo vestro. Septimo non obst. quod dicit Cyprian. lib. 1. Epist. 11. ibi Si virgines perseuerare nolunt, vel non possunt, melius est, vt nubant, quàm in ignem delitijs suis cadant: nam Resp. quod ibi non loquitur de virginibus, quæ virginitatem Deo vouerunt; sed de his,

quibus

quibus liberum est nubere, vel non nubere; pro vt sunt nouitiæ moniales, quę etsi propositum virginitatis habuerint; non tamen adhuc votum emiserunt; de his loquitur Paul. 1. Corint. 7. Et si nupserit virgo, non peccauit; quod patet, quia cum de his, quæ votum emiserunt, loquitur, dicit in fine ibidem. Si autem ex eis aliquæ corruptę fuerint deprehensæ, agant pœnitentiam plenam; quia quę hoc crimen admisit non mariti; sed Christi adultera est, Direct. 2. p. q. 12. hęr. 17. Echius titul. 18. de votis, S. Thom. 2. 2. q. 88. artic. j. et seq. doct. com. in 4. sent. distin. 38. Hosius tit. de imped. matr. c. 56. F. Paulinus ordin. præd. lib. 5. de Conc. Eccl. capitul. 4.

Secunda hæresis est, quę etsi fatetur vota esse bona et sancta; negat tamen aliquid posse Deo voueri, quod non sit ab illo præceptum, et ob hanc causam damnat vota monastica, nempè castitatis, paupertatis, et obedientiæ.

Huius hęresis sunt Lutherani, Vuiterbegenses, et Caluinus.

Contra facit primo Num. 30. ibi Si vxor vouerit, et iuramento se constrinxerit, vt per ieiunium et cæterarum rerum abstinentiam affligat animam suam, in arbitrio viri erit, siue faciat, siue non faciat: quod si audiens vir tacuerit, et in alteram diem transtulerit sententiam, quicquid vouerat, atque promiserat, reddet; quia statim, vt audiuit, tacuit: ex hac Dei lege apertissimè constat aliquid posse Deo voueri,

voueri, quod non sit ab eo præceptum: nam ieiunium poterat vxor vouere, et tale non erat à Deo præceptum; quia si fuisset à Deo præceptum, non posset maritus ipsius contradicere tali voto, et irritum facere illud. Secundo facit 1.Reg.1. ibi Cum esset Anna amaro animo, orauit ad Dominum, flens largiter, et votum vouit, dicens: Domine exercituum, si respiciēs videris afflictionem famulæ tuæ, et recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederisque seruæ tuæ sexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius, et nouacula non ascendet super caput eius: quod quidem votum non fuit de re, quam Deus vnquam illi præcepisset, et tamen tale votum sic placuit Deo, vt propter illius meritum Deus dederit Annæ petitionem suam. Tertio virginitatem Deus non præcepit teste Paulo 1.Corint.7. ibi De virginibus præceptum Domini non habeo; at de ipsa virginitate perpetua vouit gloriosa Dei genitrix semper virgo Maria, quæ Deo adeò placuit, vt illam in matrem suam elegerit. Quarto nullum est præceptum, de paupertate in sacra scriptura; nihilominus Apostolis, qui omnia reliquerunt, vt Christum sequerentur, dictum fuit Math.19. Amen dico vobis, quod vos, qui secuuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede Maiestatis suæ, sedebitis, et vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim Tribus Israel. Quinto adest com.opin.doct.Aug.lib.j.de Adulterinis coniugatis

iugatis cap.24. et super vers. Vouete, et reddite Domino Deo uestro Psalm.75. Hieron. Chrysost. Photinus, Theophyl. et Isid. interpretantes illa uerba Pauli, Si nupserit uirgo non peccauit, dicunt seruandum esse uotum virginitatis, quam constat non esse à Deo præceptam: de fractione uoti dixi in summa pec. cap.p.1.q.38.tit.2.

VSVRA. CLXXV.

GRAECI dixerunt Non esse peccatum dare aliquid ad usuram.

Contra hanc hæresim facit primo Exod.25. ibi Si pecuniam mutuo dederis pupillo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes. Secundo Leuit.25. Si attenuatus fuerit frater tuus, non accipies ab eo usuras. Tertio Deuter.2. Non fœneraberis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno: quod autem dixit, sed alieno, permissio est Iudæis concessa ob eorum nimiam auaritiam, sicut et aliàs permissus est illis libellus repudij, ad duritiam cordis eorum. Non autem permittuntur nisi ea, quæ mala sunt: malum est ergo ad usuras dare etiam alieno. Quarto in Psalm.14. ubi Dauid cum interrogasset Dominum, quis nam esset in tabernaculo illius habitaturus, respondens ait, Qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem

centem non accepit. Quinto Luc.6. Mutuum date, nihil indè sperantes. Sexto adest definitio Ecclesię Clem. ex graui de usuris, ibi Sanè si quis in illū errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare presumat, exercere usuras non esse peccatum, decernimus eum uelut hęreticum puniendum; locorum nihilominus ordinarijs, et hęreticę prauitatis Inquisitoribus iniungentes, ut contra eos, quos de errore huiusmodi diffamatos inuenerint, aut suspectos tanquam contra diffamatos, uel suspectos de hęresi procedere non omittant, Direct.2.p.q.7.hęr.6. dixi late de his in summa pec. cap.p.1.q.48. titul.6.

VXOR. CLXXVI.

VXOREM dimissam quacunque ex causa posse ducere adhuc uiuente uiro, hæresis est, Direct.2.p.q.5.n.3.

Similiter est hęresis posse habere uxores communes, ibid.q.6.nu.5.c.pen.ver.Nicolaitę 24.q.3. dixi supra uer. Nuptię.

SVMMA OMNIVM HÆRESVM.

PARS SECVNDA.

SCHISMATICORVM CATALOGVS.

DICTVM est supra de Hęresibus, modò dicendum est de Schismatibus, quæ in Ecclesia vario modo contingunt; videlicet aut per introductionē diuersi dogmatis; quoniam hæresis includit schisma in se; aut per separationem, et diuisionem per pertinacem inobedientiam ab apostolica sede; aut per vsurpationem apostolicę sedis. Primo modo de schismatibus loquendo, non est propositi nostri schismata pręterita, aut prę sentia numerare; nam tot venirent schismata repetenda, quot fuerunt hæreses, aut in presentiarum sunt: nec etiam schismata secundo modo introducta intendimus cōmemorare; quoniam in illis, sicut

in primis hæreſes multę inuolutæ ſunt cap. inter 24.q.1. vbi omne ſchiſma inueteratum aliquam hæreſim ſibi confingit, vt rectè ab Eccleſia receſsiſſe videatur; ſicut patet in ſchiſmate Græcorum, et aliorum, qui in colorem ſeparationis ab Eccleſia Romana multas hæreſes confinxerunt; de quibus ſatis dictum eſt ſuperius: ſed in preſentiarum ſolum ſchiſmata enumerare propoſuimus, quæ per illicitum auſum vſurpationis Apoſtolicę Sedis introducta ſunt in Eccleſia. Et antequam ad ſchiſmata perueniam, notandum eſt primo, quod ſchiſmatici dicuntur, qui ſubeſſe renuunt Summo Pontifici, et qui membris Eccleſiæ ei ſubiectis communicare recuſant. Nomen.n. ſchiſmatis à ſciſſura animorum vocatum eſt, Iſid. libr.3. cap.3. Etymolog. ſciſsio autem vnitati opponitur: vndè peccatum ſchiſmatis dicitur, quod directè, et per ſe opponitur vnitati: et ideò peccatum ſchiſmatis eſt propriè ſpeciale peccatum ex eo, quòd intendit ſe ab vnitate ſeparare, quam charitas facit; quæ non ſolum alteram perſonam alteri vnit ſpirituali dilectionis vinculo; ſed etiam totam Eccleſiam in vnitate ſpiritus; et ideò propriè ſchiſmatici dicuntur, qui propria ſponte, et intentione ſe ab vnitate Eccleſiæ ſeparant, quæ eſt vnitas principalis: nam vnitas particularis aliquorum ad inuicem ordinatur ad vnitatem Eccleſiæ; ſicut compoſitio ſingulorum membrorum in corpore naturali ordinatur ad totius corporis vnitatem;

S.Thom.

S.Thom.2.2.q.39. artic.j. Secundo not.quòd inter schisma, et hæresim est hęc differentia ex mente Aug. lib.20.c.3. cõtra Faustum vol.6. dicentis, quòd schisma est, eadem opinantem, atque eodem ritu colentem, quo cęteri, solo congregationis delectari dissidio. Hæresis verò diuersa opinatur ab his, quæ catholica credit Ecclesia, S.Thom.2.2.q.39. artic.j. ad 3. dicit quod hæresis, et schisma distinguntur secundum ea, quibus per se vtrumque et directè opponitur. Nam hæresis per se opponitur fidei: schisma autem per se opponitur vnitati ecclesiasticæ charitatis: et ideò sicut fides, et charitas sunt diuersę virtutes, quamuis quicunque caret fide, careat charitate; ita etiam schisma, et hæresis sunt diuersa vitia; quamuis quicunque est hęreticus, sit etiam schismaticus; sed non conuertitur: vndè inter schisma, et hęresim hoc interest, quod hæresis peruersum habet dogma: schisma ab Ecclesia separat: et tamen sicut amissio charitatis est via ad amittendam fidem secundum illud 1. ad Tim.1. A quibus quidam aberrantes, scilicet à charitate, et alijs huiusmodi, conuersi sunt in vaniloquium: ita etiam schisma est via ad hæresim; est tamen schisma minus peccatum, quàm hęresis: cum enim hęresis peccatum Deo, et primę veritati, cui fides innititur, aduersetur, ex suo genere maius schismate peccatum est, quod vnitati contrariatur, quæ est diuinum bonum, sed participatum. Quod.n. se habet ex additione ad

alterum, potius est vel in bono, vel in malo; sed hæresis se habet per additionem ad schisma; addit .n. peruersum dogma, S. Thom. 2. 2. q. 39. artic. 2. potest tamen quandoque grauius peccare schismaticus, quàm quidam infidelis; vel propter maiorem contemptum; vel propter maius periculum, quod inducit; vel propter aliquod huiusmodi. Inter peccata verò, quæ sunt in proximum, peccatum schismatis videtur esse maximum, quia est contra spirituale bonum multitudinis S. Thom. d. loco ad 3. Tertio not. quod schismatici sunt excommunicati Num. 16. dicitur, Recedite à tabernaculis hominum impiorum, qui scilicet schisma fecerunt; et nolite tangere ea, quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum; per ea enim quæ quis peccat, per ea debet puniri Sap. 11. Schismaticus autem in duobus peccat. In vno quidem quia separat se à communione membrorum Ecclesiæ, et quantum ad hoc conueniens pœna schismaticorum est, vt excommunicentur, et secundum hanc pœnam, quamuis schismatici ordinis potestatem habeant, iurisditionis tamen authoritate priuantur cap. nouitianus 7. q. 1. cap. 1. de schismaticis; vndè non possunt, nec absoluere, nec excommunicare, nec indulgentias facere, aut aliquid huiusmodi. Quod si fecerint, nihil est actum S. Thom. 2. 2. q. 39. artic. 3. In alio verò peccat schismaticus, quia subdi recusat capiti Ecclesiæ; et ideò quia coerceri nolunt per spirituа-

lem

lem potestatem Ecclesiæ, iustum est, vt potestate temporali coerceantur S.Thom.d.loco artic.4.his ita suppositis.

Primum schisma fuit inter beatum Cornelium et Nouatianum Vrbis Romæ presbiterũ; primus itaque, qui post legitimam successionẽ Pontificum adnixus est sedem apostolicã vsurpare (vt ecclesiasticæ ferunt hystorię) fuit Nouatianus Romanę Ecclesię presbiter; et Princeps hæresis Nouatianorum extitit, qui se Catharos 1. mundos nominabant lapsis spem venię denegantes: vndè lapsis fratribus non communicabant, nec eorum pœnitentiam dicebant esse suscipiendam; et ita Nouatianus in schisma et hęresim lapsus est; ob quam rem Papa Cornelius in Vrbe Concilium congregat septuaginta Episcoporum, presbiterumq; totidem, cum diaconibus plurimis; in qua Nouatiano cum omnibus suis sectatoribus ab omnibus execrato, et hęresi sua condemnata statuitur, vt lapsis pœnitentibus venia promitteretur, et reconciliatio post dignam pœnitentiam concederetur.

Secundum schisma fuit inter Felicem, et Liberium; sanè Liberio Papa propter fidem exulante à Constantino Augusto Felix presbyter de consensu ipsius Liberij substituitur in Papatu; qui tandem propter fidei constantiam congregato Arrianorum Concilio à Papatu deponitur, Liberius, qui exilij tędio deuictus reuocatus est in hæretica prauitate se subscri-

bens, in sede repositus est, quam sex quasi annis tenuit. Hoc schisma sopitum est morte. Nam primò Felix Papa martirio coronatur, de indè post annos.6. Pseudopapa Liberius mala morte precibus sanctorum extinctus est, quem post Papa Damasus Synodali iudicio publicè condemnauit, et omne quod fecerat annullauit.

Tertium fuit inter Damasum Papam Primũ, et Vrsinum Diaconum Cardinalem: hic enim Damasum Prælatum non ferens, seditionem Damaso excitat, et seditiosorum hominum potentia in Basilica, quę Sisini appellatur, Episcopum se fieri extorquet legis ordine, et traditione peruersis; quo facto magna turbatio orta est. Quod schisma auctore Deo sopitum est: nam congregato Concilio Damasus, qui à maiori, et saniori parte electus fuerat, in sede constituitur. Vrsinus de Vrbe eiectus Episcopus Neapolitanus efficitur.

Quartum inter Bonifacium primum, et Eulalium presbyterum Vrbis Romę fuit. Bonifacius ordinatur in Basilica S. Petri, Eulalius in Basilica Constantina. Sopitur hoc schisma sic: quoniam ambo iussu Imperatoris Honorij Vrbem egrediuntur, et facta inquisitione de veritate electionis amborum, reprobatur Eulalius, et Bonifacius, qui à maiori, et saniori parte fuerat electus, apostolicæ sedi restituitur.

Quintum fuit inter Symachum Primum,

et

et Laurentium. Nam Symachus est electus in Papam in Basilica Constantina ab vna parte Cardinalium, et Clero: Laurentius verò ab alia parte in Basilica S. Mariæ eligitur. Sopitum est hoc schisma tali modo; quia cum vnus alteri non cederet, constituerunt, vt lis tota iudicio Theodorici Regis, qui tunc in Italia plenum habebat Dominium, diffiniri deberet; qui Rauennę existens, auditis vtriusque partis plenè Legatis, decreuit; vt qui prius electus esset, aut quę maior pars Cleri simul et populi elegisset in sede apostolica resideret; et quia Symachus prius ordinatus fuerat, maiorque pars ei faueret, obtinuit; qui ex misericordia Laurentium Episcopum fecit Nucherinum: verum post paucos annos criminatur ex inuidia Symachus per falsos testes, et apud Augustum accusatus, reuocatur occultè Laurentius, et iterato schismate diuisus est Clerus. Sed sopitur hoc modo: nam iussu prefati Regis Theodorici congregatur Concilium centùm et quindecim Episcoporum in Vrbe, vt patet distin. 17 cap. Concilia. §. hinc etiam; in quo Symacho purgato de crimine falso, et damnatis tam falsis testibus, quàm Episcopo Laurentio apostolicę sedis inuasore, Symachus cum summo honore et gloria restituitur.

Sextum fuit inter Siluerium Primum, et Vigilium; Vigilius enim Romanę Ecclesię Archidiaconus cum ad apostolicę sedis apicem aspiraret, Pontifici suo Siluerio parat insidias.

Nam cum Papa Siluerius nolletad ſuggeſtionem Auguſtę reuocare Antonium Conſtantinum Epiſcopum; quia hęreticus eſſet, Vigilius ſpopondit ſe hoc facturum; atque ita Beato Siluerio per Guiliſarinum patricium in exilio deportato, Vigilius fauente Auguſta gratia factę promiſsionis malè concupitam ſedem arripuit; quanquam poſtea beata confeſsione crimen diluerit. Schiſma hoc ſopitum eſt, quia (vt quædam hyſtorię referunt) mortuo Siluerio in exilio, Vigilius ab omnibus in Papam aſſumptus eſt.

Septimum fuit inter Eugenium ſecundum, et alium quemdam in diſcordia coelectum. Quod ſchiſma ſopitum eſt potentia Lotharij filij Lucij Imperatoris, qui Romam veniens ſtatum populi pacificauit cum Pontifice Eugenio deprauatum per ſuos anteceſſores, et ita reiecto Antipapa, Eugenius manſit in Papatu, cui etiam maior pars nobilium et populi fauebat.

Octauum fuit inter Leonem Quintum, et Chriſtophorum Pſeudoantipapam; qui Chriſtophorus diabolica pſumptione ita execratus eſt, vt Leonem Papam ui capere, et carceri mancipare pręſumpſerit; et ita hoc ordine apoſtolicam ſedem vſurpauit; ſed Leone Papa in carcere mortuo, et Chriſtophoro antipapa turpiter reiecto Sergius ſecũdus ad Apoſtolatum eligitur, et ſic ſchiſma ſopitur.

Nonum fuit inter Ioannem Duodecimum,

et

et Leonem Octauum; nam licèt Ioannes Duodecimus ob demerita sua, quia lubricus erat, et venator, congregato Concilio Episcoporum Italiæ, per Ottonem Imperatorem foret depositus, et Leo in apostolatu constitutus; nihilominus post recessum Imperatoris Ioannes fauore suorum receptus est à Romanis, et collecta Synodo reassumit Papatum Leone deposito; quo tandem iusto Dei iudicio à Diabolo extincto schisma sopitum est.

Decimum fuit inter prędictum Leonem, et Benedictum Quintum; qui Benedictus cum ab amicis Ioannis adhuc viuente Leone eligeretur, schisma ortum est. Quod schisma sopitur sic; reuertit enim Imperator hoc audiens ad Vrbem, et obsidionem illam fatigat, quousq; Benedictus sibi traditus est, quem Imperator in exilium in Saxoniam mittit, et Leo restituitur, et ita potentia Imperatoris schisma sopitur.

Vndecimum fuit inter Gregorium Quintum, et quemdam Ioannem Episcopum Placentinum, quem Crescentius consul pecunia corruptus in apostolicam sedem violenter intrusit; sed hoc Imperator cum multo dolore audiens ad Vrbem celeriter regreditur, et Crescentium trucidari iubet, et dictum Ioannem oculis effossis priuatum in Castro sancti Angeli carceri perpetuò mancipauit, et Gregorius restituitur: et sic potestate Imperatoris schisma sopitur.

Duo-

Duodecimum fuit inter Benedictum Nonum, et alios tres assumptos. Legitur enim, quod Benedictus Nonus; postquam in sede apostolica aliquibus annis sederat, dejicitur, et datus est Papatus Ioanni Sabinensi Episcopo, qui postea vocatus est Sylvester Tertius, quo potentia aliquorum Romanorum, qui Alberto patri præfati Benedicti fauebant, ejecto, Benedictus est restitutus, quo iterum reiecto datus est Papatus Ioanni presbytero sancti Ioannis ante portam latinam, qui Gregorius Sextus est dictus, qui ob ruditatem literarum, (vt ferunt) ad vices officij exequendas alium secum consecrari fecit: quę coadiutoris institutio cum multis non placeret, Tertius superindicitur, qui solus vices duorum impleret. Inter tres ergo de Papatu contenditur, uno contra duos, et duobus contra unum de Papatu altercantibus, venit Henricus Imperator Romam, et tribus eiectis, Quartus substituitur, qui vocatus est Clemens Secundus; et ita potentia Imperatoris schisma sopitur.

Tertiumdecimum fuit, cum Benedictus Decimus fretus potentia alioquorum nobilium Romanorum sedem occupauit apostolicam; qui tandem conscientia ductus cessit, agnoscens se per ostium non intrasse, et factus est Nicolaus Secundus.

Quartumdecimum fuit inter Alexandrum Secundum, et Cadulum Parmensem Episcopum. Sanè Episcopi Lombardiæ dicentes non debere

debere eligi in Romanum Pontificem, nisi de Italiæ Paradiso, siue Iardino, quem vocabant Lombardiam, contra morem Ecclesiæ prædictum Cadulum in Papam eligunt fauente eis ad hoc Imperatore Henrico. Sed hoc schisma sopitur hoc modo; Nam Henricus Imperator rediens ad cor, condolens turbationi Ecclesiæ Romam proficiscitur, et Alexandro reconciliatur: Cadulus verò hoc uidens, re cognoscens errorem dimissa præsumptione Papatus venit ab obedientiam Alexandri.

Quintumdecimum fuit inter Gregorium Septimum, et Clementem quemdam. Sanè cum inter Papam Gregorium Septimum, et Henricum Imperatorem Quartum oriretur discordia super inuestituris Episcoporũ in Imperio suggerente Imperatore superindicitur alius. Nam conuenientibus Episcopis et Archiepiscopis Lombardiæ apud Brixiam Archiepiscopus Rauennaten. nomine Gilbertus in Papam eligitur, qui uocatus est Clemens. Vndè sequutum est schisma grauissimum, quod durauit vsque ad mortem præfati Antipapæ, et præfati Henrici Imperatoris, qui schisma illud fouebat; et ita morte illorum sopitum est schisma.

Sextumdecimum fuit inter Paschalem Secundum, et alios tres pseudopontifices. Sanè cum Paschalis post decessum Vrbani Secundi in Pontificem esset assumptus coronato in Imperio Henrico Quarto aliqui ex Clero in Pontificem

tificem exurgentes tres diuersis temporibus hæresiarchas in Papatum promouere moliti sunt, videlicet Albertum, Arnolphum, et Theodoricum, qui quanquam in initio prophanæ assumptionis turbationes non mediocres excitarunt; mox tamen per uerum Pontificem restricti sunt, quibus tandem mala morte extinctis, sopitum est schisma eorum morte.

Decimumseptimum fuit inter Gelasium Secundum, et Burdinum Antipapam. Sanè Henricus Quartus occasionem assumens, quod ad electionem Gelasij non fuerit vocatus, electioni præfatæ se opponens Burdinum quemdam ex Hispanis in Papam fecit ordinari. Gelasio autem mortuo apud Clumachum in Francia eligitur Calixtus Secundus, qui Romam veniens in Sutrio Burdinum capit, et confusibiliter ad Vrbem deducit, carcere recludit, et schisma sopitur.

Decimumoctauum fuit inter Innocentium Papam Secundum, et Petrum Leonis: licèt à minori parte fuerit electus; nihilominus potentia parentum suorum vallatus præualebat in Vrbe; qua de causa Papa Innocentius cũ Cardinalibus sibi adhærentibus recessit de Vrbe in Franciam; Petrus vero Leonis manens in Vrbe arripuit Præsulatum, iubensque se vocari Anacletum. Schisma hoc finitur hoc modo: quoniam Lotharius Imperator ad Vrbem veniens partem totam Petri Leonis extirpauit, et dictum Innocentium Papam restituit; et ita

poten-

potentia Lotharij schisma illud sopitur.

Decimumnonum fuit inter Alexandrum Tertium, et quatuor pseudoantipapas. Cum enim Alexander præfatus propter discordiam ortam inter ipsum et Fridericum Primum coactus esset Italiam relinquere, iuit in Franciam, vbi quasi per 18. annos mansit: quo tempore intermedio fauente prefato Friderico quatuor antipapæ successiuè intrusi sunt apostolicam sedem prophanantes, primus fuit Octauianus, qui se vocari fecit Victorē; secundus fuit Guido Cremonen. qui se vocari fecit Paschalem; tertius fuit Ioannes Fremen. qui se vocari fecit Calixtum; quartus fuit Laudo, qui se vocari fecit Innocentium; qui omnes ab Alexandro excommunicati mala tandem morte interierunt: compositaautem pace inter Papam Alexandrum, et prefatum Fredericum schisma sopitum est.

Vigesimum fuit inter Ioannem Papam Vigesimumsecundum, et pseudopontificem fratrem Petrum de Corberio. Sanè Ludouicus Bauarus, quia præfatus Papa Ioannes sibi non fauebat in facto Imperij, sed magis sibi foret contrarius, veniens Romam in despectum eius fecit præfatum Pseudoreligiosum ordinis minorumfratrem Patrum de Corberio eligi in Papam, ab eo Imperij coronam vsurpans; et ita ortum est graue schisma in Ecclesia. Verum disponente Domino præfatus Antipapa capitur, et Papæ Ioanni præsentatur, tandem in

Castro

Castro Cremonen. moritur; et sic schisma sopitur.

Vigesimumprimum fuit quasi temporibus nostris pro parte: fuit.n. inchoatum, circa Annum Domini M. CCC. LXXVIII, et durauit ferè vsq; ad tēpora nostra. Vacante enim apostolica sede per mortem Gregorij Vndecimi, fuerunt duo ad summum Pontificatum assumpti; primò quidem Bartholomeus Episcopus Baren. et vocatus est Vrbanus Sextus; tandem recedentibus Cardinalibus, et conferentibus sē ad Auinionem, vbi se securos credebant, electus est Cardinalis Gebenen. et vocatus est Clemens Septimus; et ita schisma magnum ortum est in Ecclesia Dei, quod multis annis durauit. Nam post mortem Vrbani Sexti per Cardinales per eum factos assumptus fuit ad Papatum Bonifacius Nonus, et post istum Innocentius Septimus, et post eum Gregorius Duodecimus: pro alia vero parte post mortem Clementis assumptus est Benedictus Decimus tertius; tandem per Cardinales aliquos Gregorij, et Benedicti celebratum est Concilium Pisis Anno Domini M. CCCC. VIII. et depositis Gregorio, et Benedicto, quantum fuit in eis, electus est ad Papatum frater Petrus de Candia magister in Theologia, qui dictus est Alexander Quintus, post quem electus est Ioannes Vigesimustertius; et ita vbi primò duo contendebant, iam contendebant tres; verum Dei misericordia opitulante religiosa solicitu-

dine

dine Domini Regis Sigismundi congregatum est Concilium Constantiæ, in quo tribus obedientijs tandem conuenientibus, renunciat Gregorius iuri suo. Ioannes, et Benedictus deponuntur, et ita sopito schismate reddita est pax Ecclesiæ.

Vigesimumsecundum fuit hoc nostro tempore inter Eugenium Papam Quartum, et pseudopontificem Amedęum Ducem Sabaudiæ Fœlicem nuncupatum. Sanè cum inter prę fatum Eugenium et Basilienſe Concilium, qđ cępit Anno 31. mense Iulij super aliquibus temerè attentatis in progressu ipsius per aliquos Patres ipsius Concilij, quę nunquam aliàs per quęcunque alia vniuersalia concilia vno existente in apostolica sede indubitato Pontifice fuerunt attentata, et maximè super loco, ad quẽ Gręci pro eorum vnione tractanda erant venturi, grauis orta foret dissensio, et plurimum scandolosa. Nam in tantum quorundam impiorum hominum, qui post dissolutionem Concilij Basilęæ pertinaciter remanserunt, creuit audacia, vt Amedęum Ducem Sabaudiæ in Pseudopontificem prophanarent, quem Fœlicem nominarunt, cui etsi pauci exceptis illis de dominio suo obedirent, nihilominus stulta prę sumptione vulnerata est Ecclesia; verum mortuo Eugenio, et succedente Beatissimo Domino nostro Nicolao Papa Quinto, ad suggestionem Illustrissimorum Regnum, et Dominorum, videlicet Regis Franciç, et Angliç prętatus

fatus Dominus Amedeus destitit ab inceptu summi Pontificatus; quem Amedeum tàm pro nobilitate sanguinis, quàm pro pace reddita Ecclesiæ sanctissimus Dominus noster Nicolaus pro sua clementia maxima cum charitate suscipiens Cardinalem legatum cum certis prærogatiuis in tota terra Sabaudiæ perpetuum instituit ac creauit; et ita schisma Dei gratia sopitum est. Hæc omnia per Turrecrem. 1. p. summę libr. 4. capitul. 9. per totum: dixi in summa peccat. capitul. part. 1. titul. 2. q. 37.

HÆRE-

HÆRETICORVM CATALOGVS.

VIA hęreſes ſuam ad originẽ reuocaſſe refutaſſe eſt, (teſte D. Hieronymo) hic ponam hæreſiarcas, eorumque ſequaces, à quibus hæreſes principium duxerunt. Quidam enim hęretici, qui de Eccleſia receſſerunt, ex nomine ſuorum authorum nuncupantur: quidam vero ex cauſis, quas eligentes inſtituerunt, cap. pen. 24. q. 3.

Abelonij, ſiue Abelani vel Abelonitæ. 1.

ABELONIOS nonnulli tradunt ab Abele filio Adæ nomẽ ſortitos eſſe; horũ porrò hęreſis ruſticana fuit, quæ habuit ortũ in agro hipponenſi; iſti rem vxoriam abhorrebant, qui fuerunt Theodoſij, et Archadij Imperatorum, et Innocentij huius nominis Primi Romani Pontificis temporibus circa Annum Domini 407. qui cum admoniti fuere, in gremium S. Matris Eccleſiæ rediere: de his ſcripſit Aug. lib. de hæreſibus: quorum hæreſis conuincitur ab Alphonſo de Caſtro ver. Nuptiæ hæreſi. 1.

Ablabius. 2.

ABLABIVS nobilissimus Orator fuit Troili Sophistæ auditor de Secta Nouitianorum; præfuit Ecclesiæ in Nicæna Vrbe, qui primas nuptias tantùm admittebat, omnemq; pœnitentię virtutem tollebat; fuit Theodosij Iunioris Imperatoris, et Cęlestini Maximi Pontificis temporibus, circa Annum Domini 430. de hoc scripsit Niceph. Eccl. suæ Hystoriæ libr. 14. cap. 13. cuius hæresis refutatur per Alphonſ. de Castro titul. de pœnit. hær. 3.

Abstinentes. 3.

ABSTINENTES (authore Philiastro) in Gallia, Hispania, et Aquitania viguère, qui prædicabant hominum coniugia esse dirimenda, et escarum abstinentiam prohibebant: fuerunt Diocletiani, et Maximiliani Imperat. et Marcellini Papæ temporibus, circa Annum Domini 289. quorum hæresim conuincit Alphonſ. de Castro tit. de Creatura hæresi. 1.

Acacius. 4.

ACACIVS Episcopus fuit Cæsareæ Palestinæ, Eusebij Pamphili successor, Secta Arrianus: reiciebat. n. nomen eiusdem substantiæ, et similis substantiæ, vel æqualitatis Filij cum Patre, tanquam scripturis alienum: fuit Constantij Imperat. filij Constantini Maioris,

ioris, et Liberij summi Pontificis, circa Annum Dñi 357. de quo scripsit Niceph. libr. 9. cap. 44. Tripar. Hyst. lib. 5. cap. 36. et Niceph. d. lib. 9. cap. 36. et 43. qui fuit per Fœlicem, et Gelasium excommunicatus: cuius hæresis repellitur ab Alphons. ver. Deus hæresi. 6.

Acephali. 5.

ACEPHALI, seu Acephalitæ sub Anastasio Imperat. et Symmaco Pontifice exorti sunt, circa Annum Domini 494. qui impugnabant Calcedonense Concilium in distin. 15. capitul. 1. quia miscebant naturam diuinam, et humanam, eandemq; crucifixam dicebant; dicuntur autem Acephali sine capite; quia nullus eorum author reperitur, de quibus scribit Nicephorus Eccl. Hyst. lib. 18. cap. 45. qui damnantur in cap. pen. 24. q. 3.

Acesius. 6.

ACESIVS Nouitianorum Episcopus fuit tempore Constantij Imperatoris, et Iulij Pontificis, circa Annum Domini 346. qui negabat potestatem remittendi peccata fuisse concessam sacerdotibus, de quibus scribit Niceph. lib. 8. cap. 20. quorum hæresis damnatur in Concil. Trid. sess. 14. Can. 3.

Achillas. 7.

ACHILLAS Alexandrinus Episcopus fuit fautor Arrij sub Constantino Magno Im

peratore, et Sylueſtro Pontifice, circa Annum Domini 320. de quo ſcripſit Niceph. libr. 6. cap. 35. et Sozimenus in Tripart. Hyſt. libr. 1. cap. 12. idem Niceph. lib. 8. cap. 5. 7. et 8. Huius hæreſis damnatur, vt infra, cum de Arrio mentio fiet.

Adamæi ſiue Adamiani, vel Adamitæ. 8.

ADAMAEI à quodam Adam ſunt ita appellati, Ludibrij magis, quàm veritatis dogma habentes. Nudi.n. velut ex matre tùm viri, tùm fœminæ ſimul conueniebant, et aggregabantur; fuerunt temporibus Aelij Pertinacis Imperat. et Victoris Pontificis, circa Annum Domini 194. de quibus ſcripſit Epiphanius contra octaginta hæreſes, et Gulielmus Lindanus lib. Dubitantium Dial. 2. damnantur iſti in cap. pen. 24. q. 3.

Addam Manicheus. 9.

ADDAM, qui et Addas, et Adamantus dicitur Manetis Diſcipulus fuit, qui dicebat Euangelicam, et Apoſtolicam doctrinam eſſe Prophetis contrariam; de quo ſcripſit Niceph. lib. 6. capitul. 32. contra quem ſcripſit Aug. lib. qui contra Adamantum conſcripſit; fuit Aurelij Imperatoris, et Fœlicis huius nominis Primi Pontificis, circa Annum Domini 273.

Adel-

Adelphius. 10.

ADELPHIVS Messalianorum hæreticorum, qui et Euchitæ, id est Orantes, siue Eutusiastæ, hoc est Afflati, et Diuini, aut Sacrificatores dicti sunt: fuit tempore Valentiniani Imperat. et Liberij Papæ, circa Annum Domini 368. qui nihil prodesse Eucharistiam affirmabant, de qua Dominus dixit Ioan. 6. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam; de eo scripsit Niceph. lib. 11. cap. 14. Qui etiam asseuerabat, nullam vtilitatem ex baptismo homini prouenire. Huius hæresis damnatur in Concil. Trident. ista videlicet de baptismo in sess. 7. Can. 5 vbi concluditur baptismum esse necessarium ad salutem, et illa de Euch. sess. 13. Can. 5. Alphons. ver. Euchar. hæresi. 8.

Adessenarij. 11.

ADESSENARII sunt ex Sacramentariorum nostri seculi factione; quorum quatuor diuersæ Sectæ reperiuntur. Alij. n. contendunt, quòd corpus Domini sit in pane; alij quòd circa panem; alij quòd cum pane; alij quòd sub pane; de quibus scripsit Prateolus lib. 1. de vit. hæret. c. 11. quorum hæreses damnantur in Concil. Trid. sess. 13. Can. 1. et seq.

Adiaphoristæ. 12.

ADIAPHORISTAE dicuntur, qui quæ natura sua sint, eiusmodi ad salutem nihil

interesse arbitrentur, seruent vel non seruent, hoc est qui Ecclesiæ et Conciliorum legitimas constitutiones, et cæremonias dicunt, res esse indifferentes, quas siue obserues, siue violes, mutues vè, te nihil peccare. Isti Viuterburgenses fuerunt, tempore Martini Lutheri, et eius Sectæ, vt inquit Hosius lib.j.de hæresibus nostri temporis, et Prateolus lib.j.cap.12.quorum hæresis damnatur in Concil. Trid. sess.7. Can.8. Nichol. Sander. libr.7.n.226. de Vis. Mon. Eccl.

Aegidiani. 13.

AEGIDIANI sunt Secta Antilutherani ad tertiam porrò nostri seculi Euangelicorum classem pertinentes: dicti sunt ab Ægidio quodam aquensi hæretico, de quo Lindanus in libr. Dubitantium, Dialog.2. Damnantur, vt infra de Luthero dicetur.

Aeriani seù Aerij. 14.

AERIANI, vel Aerij ab Aerio quodam paruæ Armeniæ nuncupati sunt tempore Constantini Magni Imperatoris, et Iulij huius nominis Primi Pontificis, circa Annum Domini 342. de quo scripsit Aug. lib. de hæresibus cap.35. Hi offerri pro defunctis sacrificium spernunt: qui damnantur in cap.pen.24.q.3. Docuerunt alias hæreses, de quibus, vide Prateolum cap.14.lib.j.

Aetiani

Aetiani. 15.

AETIANI ab Aetio quodam Syro vocitati sunt, circa Annum Domini 363. sub Constantino Imperatore, et Liberio Pontifice; de quibus scripsit Niceph. lib. 9. cap. 17. et in trip. hyst. lib. 5. cap. 42. Dicebant dissimilem Patri Filium, et Filio Spiritum sanctum: dicebant etiam nulli imputari peccatum in fide manentium. Damnantur cap. fin. de consecr. distin. 3. et cap. pen. 24. q. 3.

Agapetæ. 16.

AGAPETARVM hæresis, vel schisma potius, ab Agape muliere Hispana, et Elpidio eius viro dictæ sunt: fuerunt tempore Theodosij Imp. et Syricij Pontificis, Anno Domini 395. de quibus scribit B. Hieronymus ad Ctesiphontem aduersus Pelagianos, et ad Eustichium lib. de custodia virginitatis, et ad Oceanum de vita Clericorum, qui ipsarum hæresim damnat, quæ est expellere ieiunium, et abstinentiam: solent .n. dicere omnia munda mundis, sufficit mihi conscientia mea. Cor mundum Deus solum desiderat; cur me abstineam à cibis, quos Deus creauit? quarum hæresis damnatur tot. tit. de obseruat. ieiunij, et supra 1. p. ver. Ieiunium.

Agareni. 17.

AGareni ab Agar Abraę Ancilla nominantur, damnantur vt per Prateolum libr. j. n. 17.

Aginnenſes. 18.

AGINNENSES hæretici eſcas abominantur, vt immundas dicentes, Deum illarum non eſſe Creatorem; execrabiles nuptias appellabant: emerſerunt tempore Iuſtiniani ſecundi huius nominis Imperat. et Sergij Romani Pontificis, circa Annum Domini 694. Horũ hæreſes in Concilio Gangrenſe damnantur, et in Can. 50. Apoſtol. dicam infra ver. Manichæi, et dixi ſupra ver. Nuptiæ.

Agnoetæ. 19.

AGnoetarum hæreſis, à Theophronio quodam genere, et Patria Capadociæ primũ cepta eſt Valentiniani Cęſaris Imperat. et Liberij Pontificis temporibus, circa Annum Domini 365. de quibus ſcripſit Niceph. libr. 12. cap. 30. et lib. 18. cap. 50. qui dicebantur Gnoitæ ab ignorantia, dicentes Chriſtum ignorare diem iudicij, non recordantes Chriſti perſonam in Iſaia loquentem cap. 30. Dies iudicij in corde meo. Horum hæreſis damnatur cap. pen. 24. q. 3.

Agonychitæ. 20.

AGonychitæ quoties orant genuflectere nolunt Anno Domini 701. de quibus Nicholaus Sanderus libr. 7. de Viſ. Mon. Eccl. numero 129.

Agrip-

Agrippiniani. 21.

AGripiniani ab Agrippino Cartaginensè Episcopo exorti sunt, Galieni Imperatoris, et Stephani I. Pontificis temporibus, circa Annum Domini 259. Isti rebaptizandos censebant eos, qui ab hæretica prauitate desciscentes, ad Ecclesiam remeassent: quorum sententia à Romana Ecclesia reiecta fuit; vt refert Aug. lib. 3. 6. et 7. contra Donatistas: de qua dicemus infra de Anabaptistis, Donatistis, et Manichęis.

Airani. 22.

AIras (à quo Airani seù Airanistæ) eorum Dux fuisse traditur, qui fuere tempore Valentiniani, Gratiani, et Valentis Imperatorum, et Damasi Pontific. Anno Domini 377. de quibus scripsit Niceph. lib. 11. cap. 31. Isti impugnabant consubstantialitatem Spiritus sancti: quorum hæresis damnatur in Nicæna Syn. dicam infra de Arrianis.

Albanenses. 23.

ALbanenses diuinæ doctrinæ corruptores fuere; emerserunt tempore Constantini VI. Imperatoris, et Leonis III. Pontificis, circa Annum Domini 796. de quibus dicit S. Anton. 4. p. summę tit. 11. cap. 7. Horum plures fuerunt errores, qui damnantur supra ver. Anima hær. 8. ver. Baptismus hær. 4. ver. Deus hær. 1. et pluribus alijs in locis.

Albigen-

Albigenſes ſiue Albij, vel Albigeſei. 24.

ALbigenſium hæreſis fuit temporibus Fridericí II. Cæſaris Germani, et Innocentij III. Papæ Anno Domini 1216. refert Cæſarius Ciſtercienſis 5. diſtin. Dialog. S. Ant. 3. p. Hyſt. tit. 19. cap. j. Horum plures fuerunt hæreſes, quæ damnantur ſupra ver. Anima hær. 7. verb. Baptiſmus hær. 4. ver. Cibus hær. 1. ver. Deus hær. 2. ver. Reſurrectio hær. 1.

Alexander Baucalis. 25.

ALexander Baucalis Arrianæ diſſenſionis primus author habitus eſt, Conſtantini Magni Imperatoris, et Syueſtri Pontificis temporibus, circa Annum Domini 315. de quo ſcribit Niceph. libr. 8. cap. 5. Cuius hæreſes damnantur, vt dicam infra de Arrianis.

Alexander Aerarius. 26.

ALexander Aerarius traditus fuit Satanæ ab Apoſtolo Paulo 2. Tim. 4. fuit Anno Domini 56. Domitij Neronis Imperat. et Petri Apoſtoli ſummi Pontificis temporibus. Iſte voluit circunciſionem, et legem reducere, et aſſerebat reſurrectionem iam factam.

Alexander Latro. 27.

ALexander hæreticus, et latro, apud Aemilium Fontinum Proconſulem Epheſi propter latrocinia iudicatus eſt, cum iam apoſtata

factus

factus esset: de quo Eusebius Cæsar. lib. 5. capitul. 19. Eccl. Hyst. scribit Prateolus lib. 1. capitul. 26.

Algazel. 28.

ALgazel hæreticus in hac fuit hæresi, vt assereret hanc solam pœnam reddi peccatoribus, quod pro amissione vltimi finis affligerentur; de quo scribit S. Thom. lib. 3. contra gentes. Cuius hæresis damnatur in Concil. Florentino, ibi Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendos esse.

Alascus. 29.

IOannes à Lasco hanc hæresim dixit, illa verba hoc est corpus meum; hoc inquit, id est non panis; sed tota hæc cœnæ actio, est corpus meum; de quo scribit Vuilhelmus Damas. lib. 2. ad fratres Catholicos Germaniarum; et Erasmus Alberus lib. 2. contra Carolstadium: fuit autem hic tempore Lutheri, de Secta Antilutheranorum; cuius hæreris damnatur, vt dixi supra ver. Eucharistia.

Almaricus. 30.

ALmaricus natione Gallus, Patria Carnotensis, Lutetiæ Parisiorum Doctoratus Lauream assecutus, Philippo Barbarossæ filio imperante, et Innocentio III. Pontifice emersit

Anno

Anno Domini 1204. de quo Cęsarius lib. Dialog. distin. 5. Damnantur in cap. damnamus de Summa Trinitate, et fide cath.

Alogi, siue Alogiani. 31.

ALogi exorti sunt, circa Annum Domini 180. sub Commodo Imperatore, et Sotero Pontifice: dicuntur ita quasi verbo carentes; eo quia Euangelium Ioannis, quod de verbo præcipuè loquitur, reijciunt: damnantur isti in cap. pen. 24. q. 3.

Amantius seù Palladius. 32.

AMantius Episcopus Arrianus fuit tempore Valentiniani Iunioris, et Gratiani Imper. et Damasi Pontificis, circa Annum Dñi 381. de quo Nicephorus lib. 11. cap. 31. Qui damnatus fuit in Concilio Aquileiensi sub Damaso. j. Pontifice, vbi Amantius, alio nomine Palladius vt hæreticus damnatur.

Ambrosiani. 33.

AMbrosiani, qui et Pneumatici, à quodam Ambrosio dicti, tantopere sui spiritus suggestiones, et Dei reuelationes iactabant, vt vtrumque testamentum reiecerint: sunt autem Secta Anabaptistæ; de quibus Lindanus libr. 2. Dialog. et Echius contra confessionem Zuinglij; Prateolus lib. j. cap. 32.

Ammonius. 34.

AMmonius Alexandrinus Origenis præceptor vixit sub Seuero Imperatore, et Victore Papa Anno Domini 200. de quo Nicephorus lib. 5. cap. 13. qui tamen eum defendit contra Porphirium, qui Ammonium desertorem Orthodoxæ fidei appellat lib. 3. quem scripsit contra christianos.

Amsdorffiani. 35.

AMsdorffiani sunt ex Rigidorum Confessionistarum nostri temporis factione; qui affirmant bona opera ad salutem homini esse perniciosa; quod idem tenent Flacciani, et multi Saxonici, quorum opinio reprobatur supra ver. Opera hæresi. 1.

Anabaptistæ. 36.

ANabaptistæ ab iterato Christi Baptismo nomen inuenère, quod baptizatos in pueritia retingant: de quibus Lindanus libr. qui Dubitantium scribitur Dialog. 2. Hosius libro. j. de hæresibus. Horum Origo fuit Anno Domini 1525. Damnantur autem in Bulla Cœnæ Domini. n. 1.

Anastasius. 37.

ANastasius Discoros cognomine à discoribus oculorum pupillis; quarum dextera nigricans, et sinistra cerulea fuit, post Zenonem

nem Isauricum Imperium sumpsit sub Pontificatu Symmachi Pōtificis Anno Domini 493. qui dicebat Papam ei potius debere morem gerere, quàm ille Papæ: de quo scripsit. S. Anton. j. Hyst. tit. 6. cap. j. et d. Greg. lib. Dialog. Niceph. lib. 16. cap. 25. Cuius hæresis damnatur supra ver. Papa.

Andręas Musculus. 38.

ANdręas Musculus asseruit Diuinam naturam vnà cum humana mortuã esse. Damnatur vt per Nicol. Sander. libr. 7. de visibili Mon. Eccl. n. 185.

Andręas Osiander. 39.

ANdręas Osiander Nuremburgensium Propheta hæreticus nostri temporis negat verum Christi corpus, et verum sanguinem eius in Eucharistia contineri: quem reprobat Alphons. de Castro ver. Missa hær. 2. col. 8.

Angelitæ. 40.

ANgelitæ à loco Alexandrię Angelij nomen acceperunt; fuerunt Anastasij Imperatoris, et Symmachi Pontificis temporibus Anno Domini 494. Horum hæresis fuit circa personas diuinas: quæ reprobatur, vt infra de Sabellio dicetur.

Angelici. 41.

ANgelici dicti sunt, quia Angelos adorabant: de quibus Aug. libr. de hæresibus cap.

cap.39. emerserunt sub Seuero Imperatore, et Victore Papa, circa Annum Domini 199. Damnantur isti cap.pen.24.q.3. vbi Angelici vocati, quia Angelos colunt.

Annianus. 42.

ANnianus fuit Pseudodiaconus Ecclesiæ Cœlidensis, Pelagiani Discipulus, et Consors; vixitque Archadij Imperatoris, et Innocentij I. Pontificis Anno Domini 405. contra quos scribit d. Hieron. in Epist. ad Alypium: damnatur, vt infra de Pelagio.

Anomi, siue Anomæi. 43.

ANomi potius quàm Anomei latinè sine lege dici possunt, qui dicebant se comprehendere naturam Dei; de quibus Theophyl. cap.3. ad Ephes. Aug. de videndo Deum Epistol. ad Paulinum 112. cap.9. Cyprian. in tract.4. damnat hanc heresim, dicens Non potest uideri Deus, quia visu clarior est; nec comprehendi, tactu purior est; aut æstimari, sensu maior est: ideò sic eum digne æstimamus, dum inæstimabilem dicimus: de his etiam Osius in expos. salutationis Angelicę cap.60. fuit tempore Constantij Imperat. et Liberij Pontificis Anno Domini 358.

Anthimus. 44.

ANthimus primùm Trapezuntianus, post verò Constantinopolitanus Episcopus extitit

extitit tempore Zenonis Imperatoris, et Simplicij Pontificis Anno Domini 476. Hic negabat duas naturas in Christo; de quo Niceph. lib. 17. capitul. 7. Damnatur autem in Syn. 5. Const. in 4. vol. conc. pag. 486.

Anticaluiniani. 45.

ANticaluiniani hæretici nostri temporis negant transubstantiationem, et adorationem Eucharistiæ; falso etiam asserentes extra vsum non esse sacramentum; Prateolus dicto loco cap. 49. Damnantur in Concil. Trident. sess. 13. Can. 3. 6. et seq.

Antichristiani. 46.

ANtichristiani dici possunt omnes Hęretici, de quibus per Prateolum libr. j. cap. 43. Antichristus hæreticorum omnium, qui fuerunt, qui sunt, vel qui futuri erunt, erit vltimus Gl. super Luc. cap. 17. Prateol. d. loco cap. 42.

Antidicomarianitæ, siue Antimariani. 47.

ANtidicomarianitæ, hoc est Marię aduersarij appellantur; vel quia non substinent audire Mariam Dei genitricem: seù potius ita appellati sunt, asserentes eam post Christum natum viro suo fuisse commixtam; de quibus scribunt Hosius, et Lindanus, et Epiph. lib. 3. Tomo 2. contra hęreses: damnantur autem cap. pen. 24. q. 3.

Antilu-

Antiluterani. 48.

ANtiluterani sunt ex tertia Classe Euangelicorum nostri temporis, qui et Sacramentarij dicuntur, dicentes non esse præsens Corpus in Cœna Domini; quorum tumultus excitauit primò Carolstadius Anno Domini 1524. quorum hæresis conuincitur supra ver. Eucharistia.

Antidæmoniaci. 49.

ANtidæmoniaci sunt ex Rigidorum Confessionistarum nostri seculi familia, negantes esse Diabolum, et malos spiritus; nec vllas esse incantationes, vel maleficia per Dæmones excitata, Prateol. d. loco cap. 46. Damnantur in toto titulo de Sortilegijs.

Antidiaphoristæ. 50.

ANtidiaphoristæ nullas volunt in Ecclesia Cęremonias antiquas, nullamque Episcoporum Iurisdictionem: sunt hæretici nostri temporis, Prateolus d. loco cap. 47. Horum hæresis damnatur in Concil. Trident. sess. 23. Can. 7.

Antisuencfeldiani. 51.

ANtisuencfeldiani sunt hæretici nostri temporis, omnem fidei christianæ causam, rationemque ponunt in vocali ministerio suorum concionatorum, Prateol. d. loco cap. 48.

Antiſtancariani. 52.

ANtiſtancariani ſunt hæretici noſtri temporis, aſſeuerant Diuinam naturam vnà cum humana in cruce mortuam eſſe, Prateol. cap. 5. quæ hæreſis manifeſtè damnatur ſcripturis.

Antinomi. 53.

ANtinomi quaſi legem impugnantes vel legi diuinæ contrarij dicuntur; ſunt de Secta Luteranorum ex prima claſſe Euangelicorum noſtri temporis, Hoſius libr. j. de hær. noſtri temp. et Lindanus Dialog. 2. qui concludunt homines Euangelicos non obligari ad bona opera diuinæ legis; quorum hæreſis damnatur ſup. ver. Opera.

Anthropomorphitæ, ſeù Vadiani. 54.

ANthropomorphitæ, qui et Vadiani primùm exorti ſunt in partibus Ægipti tempore Theodoſij maioris, qui cum Archadio, et Honorio filijs tribus annis Imperium tenuit, et Syricij ſummi Pontificis Anno Domini 395. ità dicti ſunt, eò quod ſimplicitate ruſtica Deum habere humana membra, quæ in diuinis ſcripta ſunt libris, arbitrantur, Antropos græce latinè homo interpretatur, ignorantes vocem Domini, qui ait, ſpiritus eſt Deus. Quorum hæreſis damnatur in cap. pen. 24. q. 3. de quibus Niceph. lib. 11. cap. 14.

Anto-

Antosiandrini. 55.

ANtosiandrini sunt hęretici nostri temporis, dicentes hominem non re ipsa, sed verbo tantùm pronunciari iustum. Prateolus d.loco cap.53.

Apellitæ. 56.

APellitæ, vel Appelliani, ab Apelle Marcionis hæretici discipulo dicti sunt; viguerunt sub Marco Antonino Imperat. et Sotero summo Pontifice Anno Domini 128. de quibus Aug. lib. de hæresibus cap. 23. Nicephorus lib.4.cap.24. dixerunt plures hęreses, inter quas Christum non in veritate Deum, sed hominem in Phantasia aparuisse: damnantur autem cap.pen.24.q.3.

Aphthartodocitæ. 57.

APhthartodocitarum hęresis temporibus Iustiniani I. Imperat. et Fœlicis 4. Pontificis Anno Domini 356. de quibus scribit Niceph.lib.17.cap.29. dicebant Carnem, quam sumpsit Christus ante passionem, incorruptibilem esse; quæ hęresis conuincitur per Niceph.d.loco, Prateol.lib.j.cap.55.

Apocryphi. 58.

APocrypha hæresis eorum est, qui solum Prophetas, et Apostolos recipiunt; non autem reliquas scripturas Canonicas .i. legem

et Prophetas, vetus scilicet, et nouum testamentum; de quibus scripsit Philaster lib. de hæresibus; quorum hæresis damnatur in Concil. Trident. in sess. 4. in principio.

Apocaritæ. 59.

APocaritarum hæresis à Manete natione Persa exorta est tempore Taciti Imperatoris, et Euthichiani Pontificis Anno Domini 279. Isti dicunt, animam hominis esse Dei substantiam, aut ex Dei substantia, quæ hæresis damnatur supra ver. Anima hær. 3.

Apollinaristæ. 60.

APollinaristæ, vel Apollinariani dicti sunt ab Apollinari viro Laodiceno, qui imperante Valentiniano Cęsare, et Damaso Pontifice viguit Anno dñi 377. de quo in Trip. hyst. libr. 5. c. 44. et Niceph. lib. 11. cap. 12. Vincentius Lirinensis in libr. aduersus omnium hereseos nouationes; isti inter alias hereses dixerunt Christum corpus tantummodo sine anima assumpsisse; qui damnantur cap. pen. 24. quæstio. 3.

Apostolici, siue Apotactici. 61.

APostolici hoc sibi nomen ideo acceperunt, quia nihil possidentes proprium, nequaquam recipiunt eos, qui aliquo in hoc mundo vtuntur; fuerunt tempore Seueri Imperatoris, et Victoris Papę Anno Domini 199. de quibus

bus dixit Aug. lib. de hęresibus cap. 40. et Hosius in Symbolo cap. 29. damnantur autem cap. pen. 24. q. 3.

Aquarij. 62.

AQuarij eo dicuntur, quòd solum aquam offerunt in calice; de quibus dixit Aug. lib. de hęresibus cap. 4. quorum hæresis damnatur cap. pen. 24. q. 3 cap. j. §. vna verò de Summa Trint. et fid. cath. Conc. Cartag. 3. cap. 24.

Aquila. 63.

AQuila Ponticus genere ex Paganismo ad Christianismum conuersus tandem Ebionis sectam amplexatus est, Adriani Imperatoris, et Xisti I. Pontificis temporibus, circa Annum Domini 132. de quo scribit Epiphanus lib. de mensuris, et ponderibus, et Ireneus libr. 5. Confutation. et euersio. et c. et Niceph. libr. 4. cap. 14. Eius hęresis damnatur vt infra ver. Ebionitę.

Armacanus. 64.

ARmacanus hibernius natione florebat Anno Domini 1360. sub Carolo IIII. Imperatore, et Innocentio VI. Pontifice: docuit turpe esse christianis sua sponte mendicos esse; dicebat etiam minores sacerdotes in absentia Episcopi posse exercere munus episcopale; cuius hęresis damnatur in Concil. Hispal. cap. 5. et supra. ver. Sacerdotium hær. 5.

Arabici. 65.

ARabici ab Arabia, in qua exorta est hęc hęresis, nuncupati sunt, dicentes animam cum corpore mori, atque in nouissimo vtrumque resurgere. Horum hęresis orta est Seueri Imperatoris, et Seuerini Pontificis temporibus Anno Domini 207. de qua hęresi Eusebius lib.6.cap.26.et Aug.de hęresibus cap.83. Niceph. libr.5. cap.23. damnatur autem cap. pen.24.q.3.

Archontici. 66.

ARchontici à principibus, quibus mundi creationem tribuunt, appellantur. Dicunt .n. hanc mundi vniuersitatem non à Deo; sed ab Arcangelis conditã esse: exorti sunt Antonini Pij Imperatoris, et Pij Primi Pontificis Anno Domini 160. Quorum hęresis damnatur cap. Quis Episcopus 23.dist.cap.pen.24. q.3.cap.j. de Summa Trin. et fid.cath.

Arrabonarij. 67.

ARrabonarij sunt ex Sacramentariorum nostrę ętatis familia, qui volunt Cœnam Domini, cum ea prębetur, dari tanquam arrabonem corporis, et quasi inuestituram donati prędij, aut domus alicuius; de quibus Prateol. lib.j. cap.65. Damnatur autem horum hęresis supra.ver.Eucharistia.

Arriani

Arriani. 68.

ARriani ab Arrio Alexandrię ciuitatis presbytero sunt appellati: qui Arrius viguit tempore Constantini Imperatoris, et Syluestri Pontificis Anno Domini 315. Qui coęternum Patri Filium non agnoscens, diuersas in Trinitate substantias asseruit contra illud, quod ait Dominus, Ego et Pater vnum sumus: quę damnatur cap. pen. 24. q. 3. cap. j. per totum de Summa Trinit. et fid. cath. et in Niceno Concilio; de qua hęresi, et contra quam scribit Hilarius libr. contra Constantium cap. 105. et Vincentius Lirinensis in libr. de fidei cath. antiquitate, et veritate, Niceph. libr. 8. cap. 4. et Cassiod. in Trip. hyst. lib. j. cap. 12. et seq.

Armeni. 69.

ARmeni hęretici sub Constantini III. filij Heraclij Imperio, et Pontificatu Theodori Pontificis viguere, circa Annum Domini 640. de quibus scribit Niceph. lib. 18. cap. 53. Horum hęreses plures fuère, quę damnantur supra ver. Adam hær. 3. Baptismus hær. 4. Beatitudo hær. 1. Deus hær. 3. Eucharistia hær. 2. et alijs in locis.

Arnaldistæ. 70.

ARnaldistæ ab Arnaldo Brixiensi dicti sunt: fuerunt sub Cunrado III. Imperatore Cęsare Germano, et Innocentio II. Pontifice

Anno Domini 1140. dicunt plures hæreses, et damnantur in cap. pen. de hæret.

Arnoldus à Villa Noua. 71.

ARnoldus à villa noua, quę sita est in agro Catellonensi plures hæreses docuit, quæ damnantur in Direct. Inquisit. par. 2. quæst. 11. pag. 198.

Arnoldus Montanerius. 72.

ARnoldus Montanerius fuit tempore Innocentij VI. Vrbani V. et Greg. XI. Plures hæreses docuit, quę damnantur in Direct. Inquisit. p. 2. q. 11. in fine.

Artemon. 73.

ARtemon, qui et Artemas hæreticus dictus est: fuit temporibus Marci Aurelij, Antonini, et Heliogabali Imperat. et Vrbani Primi Pontificis Anno Domini 221. de quo Eusebius lib. 5. cap. 28. hyst. eccl. Niceph. libr. 4. cap. 20. et Tripart. hyst. libr. j. cap. 14. asserit D. N. Iesum Christum merum hominem fuisse, ex virgine natum, et virtute Prophetis præstantiorem; cuius hæresis damnatur supra ver. Deus per totum, et in cap. j. de Summa Trinit. et fid. cath.

Artotyritæ. 74.

ARtotyritæ hæretici emerserunt in Galatia, Commodi Imperatoris, et Soteri

Papę

Papę temporibus, circa Annum domini 181. qui ab oblatione ita vocati sunt; panem. n. et caseum offerunt dicentes, à primis hominibus oblationem à fructibus terrę et à fructibus ouium fuisse celebratam, qui damnantur cap. pen. 24. q. 3.

Asclepiadotęi. 75.

ASclepiadotęi ab Asclepiadoto eiusdem nominis authore dicti sunt: fuerunt temporibus Heliogabali Imperat. et Vrbani Pontificis Anno domini 222. de quibus Eusebius lib. 5. cap. 19. suę hyst. Isti dicebant Christum purum hominem; qui damnati sunt ab Vrbano, et in capitul. j. de Summa Trinitat. et fid. cath.

Ascodrogitæ. 76.

ASCodrogitę fuerunt hęretici Galatiam regionem incolentes, emerserunt Commodi Imperat. et Soteri Pontificis temporibus Anno domini 181. Quorum hæresis magis ad Paganismum intendebat, quæ damnatur à Paulo 2. Corint. 5. Vetera transierunt, et ecce noua omnia per Christum facta sunt, Prateolus libr. j. cap. 72.

Assurritani. 77.

ASsurritani sunt Secta Donatistæ, qui sub Constantino Imperatore, et Liberio Pontifice fuerunt in Africa Anno domini 358. qui tem-

tempore Augustini in Concilio Bagarensi damnati sunt.

Asterius Sophista. 78.

ASterius Sophista genere Cappadox Arrianę hęresis Patronus Constantini Magni Imperatoris, et Marci Pontificis temporibus viguit Anno Dñi 339. de quo Niceph. libr. 8. cap. 53. Casiod. libr. 4. cap. 9. hyst. trip. damnatur vt supra de Arrio.

Astharitæ. 79.

ASthariteæ hęresis Iudęorum fuit Prateolus lib. j. n. 75.

Athei. 80.

AThei sunt, qui nullum esse Deum credunt; omniaq; fato agi asseuerant, animasque cum corporibus interire arbitrantur: quorum hereses, seu potius stultitiæ, insanię vè refellun tur supra tit. de Deo, de anima, de fato: dicit enim Psalm. contra istos Dixit insipiens in cor de suo, non est Deus, Nic. Sand. lib. 7. n. 231.

Audęani. 81.

AVdęani ab Audęo quodam Syro natione di cti sunt, qui Valentis Imperatoris, et Damasi Pontificis fuerunt Anno Domini 380. Deum putabant humana membra habere: de quibus Theodoretus eccl. hyst. libr. 4. cap. 10. et hyst. tripart. libr. 7. cap. 11. quorum hęresis dam-

damnatur sup. ver. Deus, et ver. Anima hær. 4.

Augustiniani. 82.

AVgustiniani à quodam Augustino Bohemo hæretico dicti sunt, ex Sacramentariorum factione nostri temporis: dicunt cælum esse occlusum vsque ad extremam diem: quorum hæresis damnatur supra ver. Beatitudo, Lindanus in Dialog. 2. sui Dubitantij, Prateolus lib. j. cap. 80.

Auricularij. 83.

AVricularij dicunt, non esse faciendam confessionem sacerdoti, Nicol. Sand. lib. 7. numero 113.

Auxentius. 84.

AVxentius Mediolanensis Episcopus hæresiarca turbauit Ecclesiam sub Constantino Cesare, et Iulio I. Pontifice Anno Domini 340. Qui cum Arrianorum dogma anathemati subiacere renuit; ideò in Concilio Ariminensi condemnatus est; contra quem scripsit Hilarius, et Niceph. lib. 9. cap. 13.

Baalitæ. 85.

BAalitæ apud Iudæos hæretici habentur, seu potius Idololatræ Prateol. lib. 2. n. 1.

Baculares. 86.

BAculares sunt Secta Anabaptistæ, ad tertiam classem nostræ tempestatis Euangelicorum

licorum pertinentes, gladium, telum, aut arma præter baculum portare nefas habent; qui magis sunt inter diliros deputandi, Prateolus lib.2.cap.2.

Baiolenſes. 87.

BAiolenſes hæretici exorti ſunt Conſtantini VI. Imperat. et Leonis III. Papę tempori bus, circa Annum Domini 796. de quibus S.Ant.4.p. ſummæ tit.11. cap.7. qui dicebant omni chriſtiano omnino interdictum eſſe iura mentum: quorum hęreſis damnatur ſupra ver. Iuramentum hær.1.

Balaamitæ. 88.

BAlaamitæ hęretici à Balaam ariolo, et pſeu-dopropheta ſunt appellati; qui docebant terrenos Principes fornicari debere, et edere de Idolorum ſacrificijs: de quibus in 2.Apo-calip.et Num.24. quæ hęreſis damnatur à D. Petro in 2.Epiſt.cap.2. et Iudas in Epiſt.Can. vę illis, qui in via Cain abierunt, et errore Ba-laal mercede effuſi ſunt et c.

Balatius. 89.

BAlatius fuit temporibus Conſtantij Im-perat.et Julij Pōtificis Anno Domini 352. de quo Athanaſius in vita S.Anto. Eremitæ, et fuit Sectę Arrianæ, quę damnatur vt ſupra de Arrio.

Baltha-

Balthasar. 90.

BAlthasar Pacimontanus fuit inter primos author Anabaptistarum Sectæ, quę fuit Anno Domini 1534. quę virescere cepit in Vuesthalia, Caroli V. Germani Cæsaris, et Pauli III. Papæ temporibus. Cuius hæresis damnatur supra ver. Baptismus hær. 5. de quo Hosius lib. de Traditionibus.

Barbara. 91.

BArbara Sigismundi Imperatoris Germani Coniux, qui Anno Domini 1411. in Imperium suffectus est, Pontificiam dignitatem agente Ioanne huius nominis Vigesimotertio, stultas appellabat virgines, quę pro Christi nomine passæ fuissent; dicebat etiam animas cum corporibus interire. Cuius hæresis damnatur sup. ver. Virginitas, et ver. Resurrectio.

Barbas Antiochenus. 92.

BArbas Episcopus Antiochenus fuit Secta Arrianus, tempore Theodosij Iunioris Augusti Filij Arcadij, et Cœlestini Primi summi Pontificis Anno Domini 427. de quo Niceph. lib. 14. c. 13. et Cassiod. hyst. trip. lib. 11 c. 6. Damnatur aũt, vt dixi supra de Arrianis

Bardesanistæ. 93.

BArdesanes Syrus genere ex Mesopotamia ortus, patria Edessenus sub Marco Antonino vero Imper. et Pio huius nominis I. Põtifice

fuit

fuit Anno Dñi 163. à quo Bardesaniſtæ ſunt vocati: de quo Aug. lib. de hæreſibus cap. 35. et Epiphanus lib. 80. hæreſum hæreſ. 56. Dicebat omnium hominum conuerſationes fato imputandas eſſe, et nõ libero hominis arbitrio: quæ hæreſis damnatur ſupra tit. de fato hær. 1.

Barlaamus, & Acindynus. 94.

BArlaamus, et Acindynus fuerunt temporibus Henrici Septimi Imperatoris, et Ioannis XXII. Pontificis Anno Domini 1313. Horum hæreſis fuit, nullum diſcrimen eſſe in diuina natura, ſubſtantia, et effectu; ſed idem eſſe, nec diuerſum: modò differentiam eſſe profitebantur, ſubſtantiam tamen increatam. Eius autem eſſentiales actiones, et naturales ſentiebant eſſe diuerſas; non tamen increatas, ſed creatas; damnantur autem in Concil. Generali, Prateol. lib. 2. cap. 10.

Barulus. 95.

BArulus dixit, Animas creatas eſſe ante mundum, Nicol. Sand. lib. 7. n. 149.

Bartholomęus. 96.

BArtholomęus Ianuenſis ex inſula Minorica oriundus, tempore Caroli IIII. Imperat. et Vrbani Papæ V. Anno Domini 1363. Eius hęreſes fuerunt circa aduentum, et poteſtatem Antichriſti; quæ damnantur in Direct. Inquiſ. part. 2. q. 11. pag. 200.

Baſili-

Basilidiani. 97.

BAsilidiani à Basilide Alexandrino, intemperantiæ magistro dicti sunt; fuerunt tempore Adriani pronomine Aelij Cęsaris, et Alexandri Papæ I. Anno Domini 124. Qui inter reliquas blasphemias Christum passum annegabant: damnantur autem cap. pen. 24. q. 3. de quibus Hier. libr. 2. aduers. Iouinianum, Niceph. lib. 4. cap. 2.

Bassus. 98.

BAssus Corinti, Ebionis, et Valentini hæreticorum Discipulus fuit tempore Antonini Pij, et Higini Pontificis Anno Domini 150. Cuius hæresis damnatur supra ver. Christus hær. 8.

Batemburgici. 99.

BAtemburgici errones sunt isti Secta Antiluterani, ad tertiam classem Euangelicorum nostri seculi pertinentes: isti suos ad intestinum armant bellum. Quorum hęresis damnatur supra ver. Bellum per totum.

Bayras. 100.

BAyras hæreticus de Secta Iacobitarum fuit sub Heraclio Imperatore, et Honorio I. Pontifice Anno Domini 624. Cuius hæresis damnatur, vt dicetur infra de Maumete.

Bedricus

Bedricus. 101.

BEdricus patria Stanicensis, et natione Morauus fuit tempore Sigismundi Cęsaris Germani, et Martini V. Pontificis Anno Domini 1418. de quo Syluius de origine Boem. cap. 27. Cuius hæreses fuerunt plures, quæ damnantur supra ver. Christus.

Begardi & Beguinæ. 102.

BEgardi et Beguinæ, qui et Fraticelli, seu fratres de Paupere vita, vel Bisochi sunt vocati, Hæretici erant Germaniam inferiorem incolentes, tempore Ludouici Bauari Imper. et Ioannis XXII. Pontif. Anno Domini 1314. Quorum hæresis damnatur clem. ad nostram de hæret.

Belitæ. 103.

BElitæ à Belo Rege Assyriorũ dicti sunt, cui templum post mortem dicarunt; de quibus infra cum de Idololatris dicetur.

Belliani. 104.

BElliani sunt Semiluterani, ex secunda classe nostri seculi Euangelicorum, Prateolus libr. 2. cap. 18.

Berengarius. 105.

BErengarius natione Gallus Archidiaconus B. Mauritij Andagauensis fuit temporibus

bus Henrici Tertij Imperat. et Leonis VIIII. Victoris II. Stephani VIIII. Benedicti X. et Nicolai II. summorum Pontificum Anno Domini 1048. qui negabat sacramentum altaris: Cuius hæreses damnantur in Concil. Verc. Turonense, et Lateranense, Director. 2. part. quæstio. 11.

Bernardinus Ochinus. 106.

BErnardinus Ochinus dixit, licere habere plures vxores; damnatur à Nicol. Sand. libr. 7. de visi. Mon. Eccl. n. 203.

Bertoldus. 107.

BErtoldus de Borbarch. dixit hanc hęresim, Christum in passione dubitasse de salute. Damnantur per Nicol. Sand. libr. 7. n. 167. de visibili Monarch. Eccl.

Bertramus. 108.

BErtramus hæreticus male de sacramento altaris sentit. Damnantur per Nicolaus Sand. lib. 7. n. 133. de visibili Monarc. Eccl.

Beryllus. 109.

BEryllus Bostrenæ Vrbis in Arabia Episcopus fuit tempore Antonini Bassiani Caracallæ Imperat. et Calisti Pontificis Anno Domini 214. de quo Eusebius lib. 6. c. 21. S. Anto. 1. p. hyst. trip. tit. 7. Niceph. lib. 5. c. 21. Cuius hæresis damnatur supra ver. Christus per totũ.

Bezanitæ. 110.

BEzanitę, siue Bezani à Theodoro Beza, natione Burgundo, sunt nominati: exorti sunt tempore Caroli V. Imperat. et Iulij III. Pontificis Anno Domini 1550. Sunt de Secta Antiluterani, ad tertiam Euangelicorum nostræ ætatis pertinentes. Huius hæreses plures notantur per Prateolum lib.2.cap.22. quæ damnantur vt infra de Caluino et Luthero dicemus.

Bibliſtæ. 111.

BIbliſtæ ad ſecundam noſtri temporis Confeſsioniſtarum Sectam pertinent: iſti nihil proponunt legendum niſi ſolum ac nudum Bibliorum textum: nullas autem diſcendas Philoſofiæ artes. Quorum hæreſis damnatur ſupra ver. Studium Generale.

Biſsacramentales. 112.

BIſsacramentales duo tantùm noſtris temporibus admittunt ſacramenta: qui damnantur ſupra tit. de ſacramentis.

Biſochi. 113.

BIſochi ſunt, quos ſupra Begardos nuncupauimus, et quod infra Fraticelli, ſeu fratres de Paupere vita appellantur, qui reprobantur in Extr. Ioannis XXII. quæ incipit, Sancta Romana.

Blaſius

Blastus. 114.

BLastus, et Florinus ambo hæretici hæresim suam instituerunt tempore Commodi Imperatoris, et Eleuterij Pontificis Anno Domini 182. de quibus Niceph. lib. 4. cap. 20. damnantur supra ver. Malum hær. 1. et ver. Pascha hæres. 1.

Bohemi. 115.

BOhemi sequuntur Vualdensium errores, vt testatur Æneas Syluius postea Pius Pontifex in sua hyst. cap. 35. et Hosius lib. 1. de hæresibus nostri temporis; quorum hæreses damnantur supra ver. Euchar. hær. vlt. et ver. Sancti hæres. 1.

Bogomiles. 116.

BOgomiles Hæretici fuerunt tempore Friderici I. Imperat. et Alexandri III. Pontificis Anno Domini 1179. isti blasphemauerunt contra Ecclesiam, et contra sacrificium Missæ, qui damnantur supra ver. Ecclesia, et ver. Missa.

Bonosiaci. 117.

BOnosiaci, à Bonosio quodam Episcopo exorti sunt tempore Constantij Imperat. et Liberij Papæ Anno Domini 358. Qui Christum filium suum Dei adoptiuum non proprium asseuerabant; qui damnantur c. pen. 24.

quæst.3. Nicol. Sand. lib.7.n.67. de vis.Mon. Eccl.

Bononatus. 118.

BOnonatus in Catalonia regione Villafranca de Penades, primicerus, hæresiarca fuit quamplurium Begardorum, Ludouici Imperatoris, et Ioannis XXII. temporibus Anno Domini 1314. qui damnatur in Direct. Inquis. p.2.q.11.pag.199.

Borboriani. 119.

BOrboriani, siue Borboritæ exorti sunt Adriani Imperatoris, et Xisti Pontificis temporibus, circa Annum Domini 129. Isti non sperant iudicium futurum; qui damnantur supra ver. Iudicium hær.1.

Boquinij. 120.

BOquinij sunt de Sacramentariorum factione, dicentes Christum non esse pro omnibus crucifixum; voluntque corpus Christi ab illis tantùm in cœna manducari, pro quibus mortuus est; quorum hæresis damnatur supra ver. Christus, et ver. Eucharistia.

Brachitæ. 121.

BRachitæ ex Manicheis progressi sunt; fuerunt Manetis Taciti Imperatoris, et Euthichiani Papę temporibus Anno Domini 280. Isti dicebant animam hominis esse Dei substantiam,

ſtantiam, aut ex Dei ſubſtantia: quæ hæreſis damnatur ſupra ver. Anima hęr. 4. et vt infra de Manicheis dicetur.

Brentius. 122.

BRentius Secta Semiluteranus de ſecunda Secta Euangelicorum noſtri temporis fuit tempore Caroli V. Imperat. et Pauli III. Pontificis Anno Domini 1540. de quo Hoſius lib. j. in princ. de hæreſibus noſtri temporis, et Lindanus Dialog. 2. Dub. 15. inter alias hæreſes docet Baptiſmum non tollere omne peccatum, et Euangelium non eſſe legem iuxta propriam legis rationem; quæ hęreſes damnantur ſupra ver. Baptiſmus, et Euangelium, et ver. Lex.

Bucerus. 123.

BVcerus Martinus nuncupatus patria Argentinenſis, et Monachus apoſtata ex ordine Prædicatorū, ex Sacramētariorum noſtri tpis factione fuit ſub Carolo V. Imp. et Clemē te VII. Pont. Anno Dñi 1530. qui mortuus eſt Anno Domini 1551. die 27. Februarij: docuit per baptiſmum non deleri omne peccatum: aſſerit nullum eſſe peccatum mortale præter incredulitatem: Sacerdotum cœlibatum reprehendit: docet peccatores debere credere, etiam ſi ſint in peccato, ſe eſſe gratos Deo: quæ hæreſes damnantur ſupra ver. Baptiſmus, ver. Peccatum ver. Sacerdos, et alijs in locis.

Buddas. 124.

BVddas, qui et Teribynthus, Manetis Hæretici fuit præceptor, temporibus Aureliani Imperatoris, et Fœlicis I. Pontificis Anno Domini 273. Prateolus lib. 2. cap. 36.

Bugaurius. 125.

BVgaurius de Monte Falcone author fuit eorum, qui in religione Catalonienſi auſi ſunt dogmatizare, nullum opus eſſe bonum, niſi ex puro et ſincero amore fiat: quod damnatur, vt ſupra ver. Opera hær. 2.

Bulgari. 126.

BVlgari, qui et Myſij appellantur inter Iſtrũ, et Aemum monte habitacula ſortiti ſunt, hodie ritum Græcorum retinent; qui damnantur, vt infra dicetur de Græcis.

Cacangelici. 127.

CAcangelici ſunt, quos Apoſt. Paulus pſeudoapoſtolos, et operarios ſubdolos appellat. 2. Corint. 11. de quibus dicetur infra de pſeudoapoſtolis.

Cainani, ſeù Caiani. 128.

CAinani, ſeù Caiani, ſiue Caini ſic dicti, quoniam Cain adorant; fuerunt tempore Antonini Pij Imperatoris, et Pij I. Pontificis Anno Domini 159. damnantur in cap. pen. 24. q. 3.

Calicu-

Calicularij. 129.

CAlicularij sunt, qui hac nostra tempestate calicis communionem necessariam dicunt: damnantur in Concil. Trident. sess. 21. Can. 1. et seq.

Caluinistæ. 130.

CAluinistæ à Ioanne Caluino nostri seculi summo hæresiarca Picardo natione patria Nouiodunensi dicti sunt: emersit Caroli V. Imperatoris, et Pauli III. Pontificis Anno Domini 1534. Damnatur in Bulla Cœnæ Domini. n. 1.

Campanistæ. 131.

CAmpanistæ sunt ex tertia Euangelicorum classe nostri temporis: isti negant sacramentum altaris, et distinctionem personarum in Diuinis; quę damnantur supra ver. Eucharistia, et ver. Deus.

Campates. 132.

CAmpates sunt Secta Donatistæ, qui Romę Montenses quondam nuncupabantur: dicunt in Ecclesia non esse nisi bonos, et asserunt martyres, qui sibi mortem vltronei subeunt; dicunt etiam penès se solos esse Ecclesiam: damnantur autem supra ver. Ecclesia, et ver. Martyrium.

Campenſes. 133.

CAmpenſes à Campe, quod flexum ſignificat, nomen ſortiuntur; ſunt de Secta Arriana, de qua ſupra dictum eſt ſuo loco.

Carolſtadius. 134.

CArolſtadius nuncupatus Andreas natione Germanus ex ſacerdote laycus factus eſt, primusque ex Clero apud Germanos vxorem duxit Secta Luteranus, qui fuit tempore Caroli V. Imp. et Clementis VII. Pontificis Anno Domini 1524. Damnantur ſupra ver. Imago hæreſ. 1.

Carolus. 135.

CArolus Molineus dixit ſolam mortem Chriſti Deo acceptã pro peccatis fuiſſe, non autem Incarnationem, Natiuitatem, et alia, Nicol. Sand. lib. 7. n. 219.

Caſtaleo. 136.

CAſtaleo Sebaſtianus proprio nomine nuncupatus, dicebat Canticum canticorum continere amorem prophanum, non autem ſacrum. Damnatur per Nicol. Sand. lib. 7. n. 190. de viſibili Monarch. Eccl.

Carpocratiani. 137.

CArpocratiani à Carpocrate quodam vocantur; qui dixit Chriſtum hominem

fuiſſe

fuisse tantùm, et de vtroque sexu progenitum; fuit tempore Adriani Imperatoris, et Xisti Pontificis Anno Domini 129. de quo Eusebius lib.4.cap.7. Niceph.libr.4. cap.2. Damnatur cap.pen.24.q.3.

Cataphrygij, seù Cataphrygæ. 138.

CAtaphrygij à Phrygia Prouincia nuncupantur; vbi extiterunt authores, nempè Montanus, Prisca, et Maximilla, Commodi Imperat. et Soteri Papæ temporibus Anno Domini 181. de quibus Cæsariensis lib.7.cap.19. et Niceph.lib.4. cap.22. Damnantur cap.pen. 24.q.3.

Cathari siue Patareni. 139.

CAthari propter munditiam ita se nominauerunt; gloriantes enim de suis meritis; negant pœnitentibus veniam peccatorum; viduas si nupserint tanquam adulteras damnant: fuerunt tempore Galieni Imperat. et Stephani I. Papæ Anno Domini 256. Damnantur in cap. pen.24.q.3.

Catharialij, siue Catharistæ. 140.

CAtharialij, seù Catharistæ fuerunt sub Aureliano Imperat. et Fœlice I. Pontifice Anno Domini 279. de quibus Aug.lib. de hæresibus cap. 46. Damnantur isti in cap. pen. de hæret.

Cæle-

Cœlestiani. 141.

COelestiani à Cœlestio Monacho dicti sunt tempore Archadij Imperat. et Innocentij I. Pontificis Anno Domini 405. Damnantur supra tit. de Gratia hær. 1.

Cerdoniani. 142.

CErdoniani à Cerdone quodam mago, et Hæretico dicti sunt, qui viguit tempore Antonini Pij Imperatoris, et Hygini Pontificis Anno Domini 144. de quibus Ilarius libr. 6. de Trinit. et Irenęus lib. j. cap. 28. aduersus hæreses Aug. lib. de hæresibus cap. 21. Niceph. lib. 4. cap. 3. Isti duo principia contraria statuerunt, nempè vnum Deum iustum, alterum iniustum: damnantur in cap. pen. 24. q. 3.

Cerinthiani. 143.

CErinthiani à Cerintho homine hæretico dicti sunt, qui fuit temporibus Neronis Imperat. et Petri Apostoli Pontificis Anno Domini 69. de quo Irenęus lib. 3. cap. 3. aduersus hæreses, Niceph. libr. 3. cap. 14. Isti inter cętera Circunciſionem admittebant: Damnantur in cap. pen. 24. q. 3.

Chazinzarij. 144.

CHazinzarij hæretici sunt ex Armeniorum familia; exorti sunt temporibus Constantini III. Heraclij filij, et Theodori Pontificis

Anno

Anno Domini 640. de quibus Niceph. lib. 18. cap. 54. Chatus ab eis Crux nuncupatur, et ita dicti sunt, propterea quòd crucem tantùm adorare, et colere dicuntur; quorum hæresis damnatur, quia videtur excludere adorationem sacramenti altaris, et venerationem Sanctorum: de quibus supra ver. Adoratio, Eucharistia, et Imagines.

Chiliastæ. 145.

CHiliastæ Cerinthiani sunt Secta; Chiliastæ nempè Millenarij appellantur, quod mille annorum post mortuorum resurrectionem fore dicant Christi Regnum corporaliter in hac terra producendum, Sanctosq; corporaliter epulaturos cum Christo: fuerunt temporibus Adriani Imperat. et Xisti I. Pontificis Anno Domini 130. Damnantur Marc. 12. In die iudicij non nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei; et Paulus Roman. 14. Non est regnum Dei esca, et potus; sed iustitia, pax, et gaudium in Spiritu Domini sempiternum.

Christophorus. 146.

CHristophorus Goodmannus natione Anglicus dicit Reginam Angliæ esse caput Ecclesiæ Nicol. Sand. lib. 7. n. 222.

Christophorus. 147.

CHristophorus Schaplerus natione Germanus Secta Luteranus, fuit tempore Caroli V.

li V. Imperat. et Clementis VII. Pontific. Anno Domini 1525. hic conscripsit duodecim articulos de libertate christiana, qui damnantur supra ver. Lex.

Christoliti. 148.

CHristoliti dicebant, Christi corpore, et anima apud inferos relicto, eum ascendisse in cœlum cum sola diuinitate, Damnantur per Nicol. Sand. lib. 7. n. 107. de vis. Mon. Eccl.

Circuncelliones. 149.

CIrcuncelliones dicti sunt, eo quod agrestes sunt, qui amore martyrij seipsos interimunt: de quibus Aug. lib. de hæresibus c. 69. Damnantur autem cap. pen. 24. q. 3.

Clancularij. 150.

CLancularij sunt Secta Anabaptistica, existimant, satis omnino esse; si ipsimet clàm quid credant, sciant: palam confiteri non esse opus: quæ hæresis damnatur supra ver. Fides, et ver. Confessio.

Claudius. 151.

CLaudius Episcopus Taurinensis Anglus Vuiclephita; damnatur supra ver. Oratio hær. 1. ver. Baptismus hær. 6.

Cleobiani. 152.

CLeobiani à Cleobio, qui inter primos hæreticos fratrum vnitatem scidit, dicti sunt:

fuerunt

fuerunt tempore Neronis Imperat. et Petri Apostoli Pontificis Anno Domini 51. de quibus Ignatius in Epistol. ad Tralleis. Niceph. libr. 4. cap. 7. Damnantur in Const. Apost. libr. 6. cap. 8.

Colluthiani. 153.

COlluthiani à Collutho quodam Ægyptio dicti sunt, qui fuerunt temporibus Constantini Magni Imperat. et Sylvestri Papæ Anno Domini 315. de quibus Aug. lib. de hæresibus cap. 65. qui dicebant Deum non facere mala, contra illud quod scriptum est Ego Dominus creans malum: qui damnantur in cap. pen. 24. q. 3. quod intelligas de malo pœnę.

Collyridiani. 154.

COllyridiani inde dicti sunt, quòd stata quadam die anni, Collyridem virgini Mariæ offerent in sacrificium, illam vltra decorum glorificantes; fuerunt tempore Theodosij I. Imperat. et Syricij Papæ Anno Domini 395. Horum hæresis damnatur, quia soli Deo offertur sacrificium, vt dixi supra ver. Missa.

Colorbosij. 155.

COlorbosij à Colorbosio nuncupati sunt: fuerunt tempore Antonini Pij Imperat. et Hygini Pontificis Anno Domini 152. Isti non verum hominem Christum dicebant; qui damnantur supra ver. Christus.

Com-

Communihabentes. 156.

COmmunihabentes sunt Secta Anabaptistæ, qui omnia, et vxores et liberos sibi in Republica communia esse debere arbitrantur: Quorum hæresis damnatur supra ver. Paupertas.

Concordenses, seù Cozocenses. 157.

COncordenses, seù Cozocenses ijdem sunt, quos supra Albanenses appellauimus, de quibus S. Ant. 4. p. tit. 11. cap. 7. Damnantur, vt dixi supra ver. Albanenses.

Condormientes. 158.

COndormientes sunt Secta Anabaptistæ, qui iubent mares et fœminas, iuuenes, et virgines vno in loco, et eodem cubili dormire: Quorum hæresis damnatur supra ver. Matrimonium, et ver. Nuptiæ.

Confessionistæ. 159.

COnfessionistæ sunt Secta Lutherani; qui sacramentum pœnitentiæ, nempè confessionem sacerdoti faciendam non admittunt: qui damnantur supra ver. Pœnitentia, et confessio.

Cononitæ. 160.

COnonitæ à Conone quodam Alexandriæ Episcopo nominati sunt; qui fuerunt tem-

tempore Mauricij Imperat. et Pelagij Pontif. Anno Domini 584. de quibus Niceph. libr. 18. cap. 50. Isti in Trinitate tres Deos asseuerant; qui damnantur in cap. 1. de Summa Trinit. et fid. cath.

Constans Imperator. 161.

CONstans Imperator Constantini III. huius nominis Filius, et Nepos Heraclij Imperatoris, et Theodori Pontificis temporibus imperauit Anno Domini 643. Hic de Secta Acephalita fuit, qui damnatur cap. pen. 24. q. 3.

Constantius Imperat. 162.

CONstantius Constantini Magni Filius, et Constantis frater, qui lenitate quadam in arrianam delapsus hæresim imperauit Anno Domini 340. Pontifice Iulio I. existente; de quo hyst. trip. lib. 4. cap. 38. Damnantur supra ver. Arriani.

Constantinus Quintus Imperator. 163.

CONstantinus V. Imperator fuit tempore Zachariæ Pontificis Anno Domini 743. Hic damnauit Imagines esse adorandas; ipse autem damnatur supra ver. Imago hær. 1.

Constantinus Sextus Imperator. 164.

CONstantinus VI. Imperat. vixit sub Pontificatu Adriani I. Anno Domini 783. Damnatur in 2. Synodo Nicęna.

Conto-

Contobabditæ. 165.

CONtobabditæ à loco quodam nomine sumpto appellantur, de quibus Niceph. libr. 18.c.49. fuerunt sub Mauricio Imperatore, et Pelagio II. Pontifice Anno Domini 584. dicuntur etiam isti Angelitæ: de quibus dixi supra ver. Angelitę.

Copti. 166.

COpti hęretici sunt Indiam incolentes, qui in Missis suis Euangelium legunt Nicodemi; quorum hæresis damnatur in sess. 4. Concil. Trid. in princip.

Cosmiani. 167.

COsmiani à Cosma quodam hęretico dicti sunt, qui damnantur in vniuersali Synodo Constantinopolitana: fuerunt sub Constantio Constantini Magni filio, et sub Iulio I. Pontifice Anno Domini 350. de quibus Niceph. lib. 9. cap. 11.

Coterelli. 168.

COterelli dicebant, Beatam Virginem fuisse Angelum; Christi corpus non esse glorificatum in cœlo, et alia, quæ damnantur per Nicol. Sand. libr. 7. nu. 148. de visibili Monarchia Eccl.

Cozo-

Cozocenſes. 169.

COzocenſes ſunt de ſecunda Secta Catharorum, damnantur ab Alphonſ. de Caſtro ver. Iuramentum hær. 1.

Creſconius. 170.

CReſconius grammaticus ex Secta Donatiſtarum fuit, qui tempore Conſtantij Imperat. et Liberij Papę fuerunt Anno Domini 358. qui Donatiſtæ damnant cap. pen. 24. q. 3.

Criſpinus. 171.

CRiſpinus fuit Donatiſta in Calamenſi ciuitate Epiſcopus, qui vixit tempore Archadij, et Honorij Imperatorum, et Syricij Summi Pontificis Anno Dñi 400. damnatur infra. ver. Donatiſtæ.

Crotaldus. 172.

CRotaldus Valentinus nuncupatus male ſenſit de Euchariſtiæ ſacramento: Damnatur p Nicol. Sand. libr. 7. nu. 212. de viſ. Mon. Eccl.

Cynici. 173.

CYnici Philoſophi quidam fuerunt, ſectatores Antiſthenis, qui primus huius hereſis inuentor fuit, ita dicti à Cynoſarge gymnaſio, in quo Antiſthenes profitebatur. hi Hæretici fuère ſimiles Vualdenſibus, qui damnantur infra ver. Vualdenſes; et per Prat. lib. 3. cap. 40

Dadoes. 174.

DAdoes vnus ex Messalianorum hæresis ducibus extitit: quæ tempore Iouiniani Imperatoris, et Liberij Papæ exorta est Anno Domini 367. de quo Niceph. libr. 11. cap. 14. et Theod. in eccl. hyst. lib. 4. cap. 11. dicebat, nullam vtilitatem ex sacro baptismate baptizatis accedere: quæ damnatur supra ver. Baptismus.

Dæmoniaci. 175.

DÆmoniaci sunt de factione Anabaptistarum ad tertiam classem Euangelicorum nostri temporis pertinentes: qui decies per diem Diabolum adorant: quę hęresis damnatur supra ver. Adoratio et ver. Deus: qui etiam dixerunt, post finem mundi Dęmones esse saluandos. Damnantur à Nic. Sand. lib. 7. n. 197. de vis. Mon. Eccl.

Dauidici. 176.

DAuidici, qui à Dauid Georgio nomen sortiti sunt, ex tertia classe Euangelicorum nostri temporis fuerunt sub Carolo V. Imper. et Clemente VII. Pōtifice Anno Domini 1525. qui dicebant, suam doctrinam perfectiorem esse doctrina Apostolorum, et Prophetarum: quorum doctrina damnatur supra ver. Euangelium, et ver. Scriptura sacra.

Dauid

Dauid Dinantius. 177.

DAuid cognomento Dinantius, Deum esse primam materiam asserebat; contra quem scripsit S.Thom.lib.j. cap.17. contra Gentiles 1.part. q.3.art. 8. fuit tempore Philippi Imp. et Innocentij III. Pontificis Anno Dñi 1204.

Deistę. 178.

DEistæ, qui et Trinitarij, seù Arriani noui in Polonia Anno Domini 1564. ex Luthe rana Secta exorti sunt: damnantur vt supra tit. de Arrianis, et infra de Trinitarijs dicetur.

Desiderius. 179.

DEsiderius Erasmus docuit plures hęreses, contra quem scripsit Alphonſ. de Castro tit.de Nuptijs hær.6.et alijs in locis Nic.Sand. lib.7.pag.641.

Desiderius longobardus. 180.

DEsiderius longobardus hæresiarca suam hæresim instituit Conradi Quarti Imper. et Alexandri Quarti Pontificis Anno Domini 1250. Hic damnabat voluntariam paupertatem; quæ hæresis damnatur supra ver. Paupertas hæres.3.

Deuterius. 181.

DEuterius Episcopus Arrianus fuit tempore Anastasij huius nominis I. in Oriente Cęsaris, et Symmachi Pontificis Anno Do-

mini 493. Qui baptizabat in nomine Patris per Filium in Spiritu sancto; de quo Niceph. libr. 16. cap. 35. Damnatur supra ver. Baptismus.

Dicartitæ. 182.

DIcartitæ ex Manicheorum familia fuerunt tempore Taciti Imperatoris, et Eutychiani Pontificis Anno Domini 279. qui damnantur infra ver. Manichei.

Dimæritæ. 183.

DImœritæ emerserunt Valentiniani Imper. et Damasi Papæ temporibus Anno Domini 377. de quibus Epiph. contra hær. vol. 2. Ipsi negabant, à creata carne, hoc est à Maria Verbum carnem accepisse; quæ hæresis damnatur in Symbolo Constantinopolitano.

Dimophilus 184.

DImophilus, seù Demophilus, Secta Arrianus, in Concilio Ariminensi hæreseos damnatus fuit tempore Valentiniani Imperat. et Liberij Pontificis Anno Domini 368. de quo Niceph. lib. 11. c. 15.

Dioscorus. 185.

DIoscorus à quo Dioscoriani hæretici dicti sunt, Cyrillo in Episcopatu Alexandrino succesit, Theodosij Iunioris Archadij Filij et Martiani Imp. atq; Leonis I. Pont. temporibus Anno Domini 453. Hic cum Eutychite

dicebat

dicebat vnam naturam esse verbi Dei, et carnis: qui Dioscorus damnatur cap. In tantum 21. distin. cap. canones 13. distin. cap. sanè 24. q. 2. de quo Niceph. lib. 14. cap. 47.

Diotrephes. 186.

DIotrephes hæresiarcha tempore Apostolorum fuit, qui damnatur supra ver. Peregrini hær. 1.

Discalceati. 187.

DIscalceati ideo dicti sunt; quia docent, non licere homini calceamenta portare; qui damnantur supra ver. Calceamentum hæres. 1. et per Prateol. lib. 4. cap. 13.

Donatistæ. 188.

DOnatistæ, seù Donatiani à Donato quodam Casensio dicti sunt, vel à Donato Carthaginis Episcopo, qui tempore Constantij Imperat. et Liberij Papæ floruit Anno Domini 358. Hic dicebat Patre minorem esse Filium, et Filio Spiritum sanctum, et rebaptizabat Catholicos; qui damnatur cap. pen. 24. quæst. 3.

Dorotheus. 189.

DOrotheus fuit tempore Theodosij Imper. et Syricij Pontificis de Secta arriana Anno Domini 395. de quo Niceph. libr. 12. c. 24. et lib. 14. c. 13. qui damnatur sup. ver. Arriani.

Dositheus. 190.

DOsitheus hæreticus fuit sub Domitiano Nerone, et Petro Apostolo Pontifice Anno Domini 52. de quo Prateolus lib. 4. c. 16.

Dulcinus. 191.

DVlcinus, à quo Dulciniſtæ dicti sunt, fuit tempore Henrici VII. Imperat. et Clementis V. Pontificis Anno Domini 1309. qui damnatur in Direct. 2. p. q. 12. Turre Crem. in summa lib. 4. p. cap. 37.

Durandus. 192.

DVrandus de Vualdach fuit sub Henrico V. Imp. et Paschale II. Pont. anno Dñi 1117. qui dicebat, matrimonium nihil aliud esse, quàm occultum meretricium; qui damnatur in Direct. Inquisit. 2. p. q. 11. pag. 199.

Ebionitæ. 193.

EBionitæ à quodam Ebione facundo viro orti sunt, Imperante Tito, et Anacleto Pontificatum agente Anno Domini 80. de quibus Hilar. lib. 1. de Trinit. et Irenæus lib. j. Adverſ. hæreſes cap. 26. Niceph. lib. 3. c. 13. Damnantur supra ver. Christus hær. 1. et in cap. pen. 24. q. 3.

Ecebolus. 194.

ECebolus fuit tempore Iuliani Imperat. et illius præceptor: qui à fide christiana in Græ-

Græcorum superstitionem defecit Anno Domini 365. de quo Niceph. lib. 10. cap. j. damnatur eius hæresis, vt dicam infra de Græcis.

Eiulantes. 195.

EIulantes sunt Secta Anabaptistæ; qui putant, nihil esse deuotionis, quod perinde sit gratum Deo, atque lachrymari et eiulare perpetim: damnatur supra suo loco Prateolus lib. 5 cap. 3.

Elchesaitæ. 196.

ELchesaitæ à quodam pseudopropheta Helchesae nomine dicti sunt; fuerunt eiusdem hæresis, cuius erant Ebionitæ, de quibus Niceph. lib. 5. cap. 24. damnatur supra tit. de lege hæres. 1.

Eleusius. 197.

ELeusius Cyzicenus Episcopus Macedoniorum Ecclesiæ præfuit tempore Theodosij I. Imperat. et Syricij Pontificis Anno Domini 396. fuit de Secta arriana: de quo hyst. tripart. lib. 9. cap. 12. et Niceph. libr. 9. cap. 42. Damnatur, vt supra tit. de Arrianis.

Elymas. 198.

ELymas Iudæus genere, Simonis Magi doctrinam insecutus, magus et pseudopropheta fuit Apostolorū tēporibus; qui damnat c. Cum beatus 45. dist. c. qđ Christus 23. q. 4.

Elpidius. 199.

ELpidius Hiſpanus natione Agapetarum hæreſis cum vxore ſua nomine Agape, Dux fuit tempore diui Hieronymi: damnatur ſupra tit. de Agapetis.

Eluidius. 200.

ELuidius fuit tempore Theodoſij I. Imper. et Syricij Pontificis Anno Domini 395. Iſte dixit Màriam Virginem poſt partum cognitam eſſe; qui damnatur ſupra ver. Maria hęreſ. 1.

Emeritus. 201.

EMeritus fuit de Secta Donatiſtarum tempore Archadij Imperat. et Syricij Pontificis Anno Domini 400. Damnatur ſupra tit. de Donatiſtis.

Encratitæ. 202.

ENcratitæ hęreſes à quodam Tatiano ortæ ſunt tempore Marci Antonini Imperat. et Soteri Papę Anno Domini 178. Damnantur, vt dicam infra de Tatiano; de his Niceph. lib. 4. capitul. 4.

Energici. 203.

ENergici ſunt noſtrę tempeſtatis de ſacramentalia factione; qui docent non ipſum corpus, ſed virtutem corporis eſſe in Cœna Domi-

Domini; qui damnantur supra ver. Eucharistia. Nicol. Sand. lib. 7. n. 213.

Enthusiastæ. 204.

ENthusiastæ fuerunt tempore Valentini Imperat. et Damasi Pontificis Anno Domini 380. Isti sunt Messaliani, qui damnantur supra ver. Animæ hær. 4. ver. Baptismus hær. 4. ver. Eucharistia hær. 8.

Epicurei. 205.

EPicurei ab Epicureo dicti sunt, qui nomen illud voluptatis, in qua summum bonum ponebat, effecit, vt ab eo homines voluptarij Epicurei dicerentur; quales verò sunt, qui hac nostra ætate hanc doctrinam sequuntur; dictum est supra de Atheis.

Eraclitæ. 206.

ERaclitæ ab Eraclio dicti sunt; Monachos tantùm recipiebant; connubia respuebãt; regna cœlorum paruulos consequi non credebant: damnantur cap. pen. 24. q. 3.

Essæi. 207.

ESsei fuerunt ex vna ex tribus sectis apud Iudæos, qui ferè per omnia vitam anabaptisticam egerunt; abstinebant à matrimonijs; omniaque communia esse voluerunt: fuerunt autem sub Ioanne Hyrcano antè natum Christum Annis 125.

Euan-

Euangelici. 208.

EVangelici sunt hæretici nostri temporis, qui sectantur doctrinam, quam dicunt euangelicam, per Martinum Lutherum adulteratam; qui damnantur vt dicam infra de Luthero.

Euchitæ. 209.

EVchitæ putabant se precibus tantùm omnia mala posse auertere; dicuntur.n. Euchitæ.1. Orantes; qui damnantur supra ver. Oratio.

Eudo. 210.

EVdo dicebat, se esse eum, qui venturus erat iudicare seculum per ignem: quem damnat Nicol.Sand.lib.7.n.145. de vis.Mon.Eccl.

Eudoxius. 211.

EVdoxius Germanicæ Vrbis Syriæ Primus Episcopus fuit; deinde Antiochiæ, et inde postea Cõstantinopolim est transiatus; fuit primò Aetianæ, et exinde Arrianæ Sectæ: tempore Valentis Imperat. et Damasi Pontificis Anno Domini 370. de quo Niceph.lib.9.c.36. qui damnantur vt supra de Arrianis.

Eunomiani. 212.

EVnomiani ab Eunomio dicti sunt genere Cappadox, discipulus Arrij tempore Con-

Constantij Imperat. et Liberij Pontificis Anno Domini 358. de quibus Niceph. libr. 11. c. 11. damnatur eius hęresis cap. pen. 24. q. 3. ver. Arriani.

Euphratas. 213.

EVphratas negabat Christum Deum, Nicol. Sand. lib. 7. n. 60. de vis. Mon. Eccl.

Eupsychiani. 214.

EVpsychiani ab Eupsychio dicti sunt: fuerũt tempore Valentiniani Imperat. et Liberij Pontificis Anno Domini 368. de quibus Niceph. lib. 12. cap. 30. Damnatur, vt per Prateolum lib. 5. c. 20.

Eusebius Archieunuchus. 215.

EVsebius Archieunuchus fuit tempore Constantij Imperat. et Liberij Pontificis Anno Domini 357. de Secta Arriana: de quo Niceph. lib. 9. cap. 2. damnatur cum Secta Arriana cap. pen. 24. q. 3.

Eusebius Nicomediensis. 216.

EVsebius Nicomediensis viguit tempore Constantini Magni Imperat. et Syluestri Pontificis Anno Dñi 315. de quo Niceph. lib. 8. cap. 3. fuit de Secta Arrianorum; quæ damnatur supra suo loco.

Eusta-

Euſtathius. 217.

EVſtathius primò Monachus, deinde Sebaſtienſis Armeniæ regionis Epiſcopus, fuit tempore Conſtantini Magni Imperat. et Syluestri Pontificis Anno Dñi. 320. Iſte dicebat Sanctos non eſſe ab hominibus venerandos; qui damnatur ſupra ver. Sancti hæreſ. 1.

Eutychiani. 218.

EVtychiani ab Eutychite Conſtantinopolitano Abbate dicti ſunt; qui Theodoſij II. Imperat. et Leonis I. Pontificis temporibus fuerunt Anno Domini 443. Qui Chriſtum poſt humanam aſſumptionem negauit eſſe de duabus naturis; ſed ſolam in eo diuinam aſſeruit eſſe naturam; qui damnantur cap. pen. 24. quæſt. 3. et Prateol. lib. 5. cap. 24.

Euzoius. 219.

EVzoius Eccleſiæ Alexandrinæ Diaconus fuit Arrij Socius, eiusdemque doctrinæ, tempore Conſtantini Imperat. damnatur cap. pen. 24. quæſt. 3.

Falſi Prophetæ. 220.

FAlſi prophetæ ſunt, qui verbi Dei obtentu populum ſeducunt; de quibus Mathe. 7. Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium; intrinſecus autem ſunt lupi rapaces, et 2. Pet. 2. Fuerunt et pſeudoprophetæ

phetæ in populo: de quibus Prateolus libr.6. cap.j. Item falsi martyres damnantur, vt per Nicol.Sand.lib.7.n.32.

Farelliſtæ. 221.

FArelliſtę sunt Secta Antilutherani à Guilhelmo Farello nuncupati; isti prętер Sacramentariſmum dixerunt, Spiritum ſanctum motum in rebus creatum; Damnantur vt infra de Sacramentarijs dicetur.

Fauſtus. 222.

FAuſtus Manicheus viguit Archadij Imper. et Innocentij I. Pontificis temporibus Anno Dñi. 407. damnatur ſupra ver. Anima hęr. 4.

Felix Manicheus. 223.

FElix Manicheus fuit tempore Archadij Imperat. et Innocentij I. Papę Anno Domini 405. damnatur ſupra ver. Terra hęr. 1.

Felix alius. 224.

FElix alius, à quo feliciana hęreſis dicta eſt ſub Conſtantino Sexto Imperatore, et Adriano I. Pontifice viguit Anno Domini 783. damnatur ſupra ver. Virginitas. hęr. 1.

Felicianus. 225.

FElicianus Arrianus fuit ſub Theodoſij I. Imperio et Syricij Pontificatu Anno Domini 395. damnatur ſupra ver. Deus hęr. 6.

Fla-

Flauitas. 226.

FLauitas Constantinopolitanus Episcopus fuit tempore Leonis II. Imperat. et Simplicij Pontificis Anno Domini 476. de quo Niceph.lib.16.c.18.fuit Secta Arrianus, quę damnatur cap.pen.24.q.3.

Flagellantes. 227.

FLagellantes primò in Italia, deinde in Germania, et Gallia fuere tempore Rodulphi Imperatoris, et Gregorij X. Pontificis Anno Domini 1273. Deinde maximè eorum hęresis inuasit tempore Ludouici Bauari Imperat. et Ioannis XXII. Pontificis Anno Domini 1313. qui damnantur supra ver. Aqua hęr.2. dicebantur Flagellantes; quia asseuerabant hanc flagellationem potiorem esse ad delenda quęcunque peccata, quauis confessione.

Florinus. 228.

FLorinus, vnde Floriani dicti sunt, floruit temporibus Commodi Imperatoris, et Soteri Pontificis Anno Domini 182. Qui dicebat Deum creasse mala, contra hoc, quod scriptum est. Fecit Deus bona, qui damnatur cap. pen.24.q.3. de quo Eusebius libr.5. cap.15. Niceph.lib.4.cap.20.

Fortunatus. 229.

FOrtunatus, à quo Fortuniani dicti sunt viguit tempore Archadij Imperat.et Innocentij

centij I. Pontificis anno domini 405. fuit Secta Manicheorum; quę damnatur vt infra suo loco dicetur.

Fortunatianus. 230.

FOrtunatianus natione Afer Aquilegiensis Episcopus fuit tempore Archadij imper. et Syricij Papę anno domini 400.

Fortunatitæ. 231.

FOrtunatitæ dicuntur, qui apud Iudęos fortunam seù Reginā cœli adorabant, eique sacrificia offerebant: de qua dicam cum de Idolis agemus.

Fraticelli. 232.

FRaticelli seù fratres de paupere vita in partibus Italię ortum habuerunt tempore Alberti I. Imperat. et Benedicti XI. Pontificis anno domini 1304. qui damnantur in extr. Ioannis XXII. quę incipit S. Romana, dixi supra de Bisochis, et Beguinis.

Fulgentius. 233.

FVlgentius Donatista vixit tempore Archadij Imperat. et Syricij Papę anno domini 400. Iste duo principia, et duo baptismata affirmabat: damnatur, vt dixi supra ver. Baptismus.

Fun-

Funclius. 234.

FVnctius dixit Petrum nõ fuisse Romæ, damnatur à Nicol. Sand. lib. 7. de visibili Monarch. Eccl. n. 225.

Gainitæ. 235.

GAinitæ à Gaino quodam dicti sunt, qui Zenonis Imperat. et Simplicij summi Pontificis temporibus fuerunt Anno Domini 476. fuerunt de Secta Eutychiana, quæ damnatur supra suo loco; de quibus S. Thom. in quolibeto 4. q. 1. artic. 8.

Gainas. 236.

GAinas ex Scythis fuit sub Archadio Imperatore, et Innocentio I. Pontifice Anno Domini 405. de quo Niceph. lib. 13. cap. 5. de Secta Arriana, quæ damnatur cap. pen. 24. quæstione 3.

Galla. 237.

GAlla non gente, sed nomine sic appellata, maga, et hæretica fuit, Priscilliani hæretici adiutrix, Valentiniani Imperat. II. et Syricij Papæ temporibus Anno Domini 388. quæ damnatur vt dicam infra de Priscillianistis.

Galatæ. 238.

GAlatæ reprehenduntur, et damnantur à D. Paulo ad Gal. 5.

Gau-

Gaudentius. 239.

GAudentius Donatistarum Episcopus fuit sub Imperio Archadij, et Pontificatu Innocentij I. Anno Domini 405. qui damnatur vt dixi supra de Donatistis.

Genfericus. 240.

GEnfericus Vandalus Rex Aphricæ fuit tempore Theodosij Iunioris Archadij filij, et Cœlestini Pont. Anno Dñi 427. de quo Niceph. lib. 14. c. 56. fuit Secta Arrianus, quæ damnatur supra suo loco.

Georgius Alex. 241.

GEorgius Alexandriæ Episcopus Secta Arrianus, quæ damnatur, vt dixi suo loco: fuit Anno Dñi 358. tempore Constantij Imp. et Liberij Pont. de quo Niceph. lib. 9. c. 29.

Georgius laodicensis. 242.

GEorgius Laodicensis Episcopus Secta Arriana infectus fuit sub Constãtio Imp. et Liberio Papa Anno Dñi 357. de quo Niceph. lib. 9. c. 49. damnatur vt supra de Secta Arriana dictum est.

Georgiani. 243.

GEorgiani in Iberia fuerunt tempore Constantini Imp. et Sylvestri Papæ Anno Dñi 325. qui in sacramentis Græcorum errores sequuntur; qui damnantur, vt dicam infra de Græcis.

Georgiusdauid. 244.

GEorgiusdauid, seù Dauidgeorgius in Frisia nouus Propheta emersit sub Carolo

V. Imp. et Clemente VII. Pont. Anno domini 1525. Iſte plures hæreſes docuit: de quibus Prateolus lib. 7. cap. 10.

Gherardus. 245.

GHerardus ſegerellus damnatur in Direct. 2. p. q. 12. Turre Crem. in Summa libr. 2. p. 2. cap. 37.

Gilbertus. 246.

GIlbertus Porretanus Pictonum Epiſcopus fuit tempore Cunradi Tertij Imp. et Eugenij III. Pontificis Anno dñi 1147. Hic male de Trinitate ſentiebat; dicebat in Diuinis perſonis non eſſe relationes; quod damnatur à D. Thom. 1. p. q. 39. artic. 6.

Gnoſimachi. 247.

GNoſimachi dicunt animam cum corpore interire Nic. lib. 7. n. 12.

Gnoſtici. 248.

GNoſtici ab excellentia ſcientiæ, quam iactabant, ita ſe appellari voluère; Animam noſtram naturā Dei eſſe dicunt; qui damnantur cap. pen. 24. q. 3. de quibus Iren. lib. 1. aduerſ. hær. c. 24. Niceph. lib. 4. c. 2.

Gortheus. 249.

GOrtheus fuit vnus ex ſeptem hæreticis, qui primùm Eccleſiam Dei vexauerunt ſub Domitiano Imp. et Petro Apoſtolo Pont. Anno dñi 53. à quo Gortheani dicti ſunt; qui unitatem Eccleſiæ diuiſerunt, et damnantur, vt per Prateol. lib. 7. cap. 13.

Got-

Gotthi. 250.

GOtthi, Vandali, Rugiani, et Hunni fuerunt Arrianæ Sectæ tempore Valentis Imp. et Damasi Papæ Anno Dñi 378. damnantur supra ver. Deus hær. 6. de quibus hyst. trip. lib. 8. cap. 13. Niceph. lib. 11. cap. 48.

Græci. 251.

GRæci quemadmodum in multis deliquerunt, ita in multis fuerunt damnati; vt supra pluribus in locis, et in Direct. Inquisit. p. 2. q. 18.

Guido de lacha. 252.

GVido de lacha fuit homo in vita habitus multæ sanctitatis; deinde post mortem inuentus hæreticus fuit damnatus; Prateolus lib. 7. cap. 16.

Guilhermus Cornelius. 253.

GVilhermus Cornelius Brabantinus natione in Vrbe Antuerpiensi, dicebat per paupertatem omnia peccata deleri: damnatur autem hæc opinio in Exod. 23. ibi Pauperis non misereberis in iudicio: si pauperem Dominus damnari præcipit in iudicio; hinc colligere licet fieri posse, vt quis pauper sit et reus. Prateolus lib. 7. cap. 17.

Guilhelmus de S. Amore. 254.

GVilhelmus de sancto amore sub Alexandro Quarto Pontif. et Cunrado Quarto Imper. viguit Anno Domini 1250. damnatur supra tit. de Labore hæres. 2.

Hamſtedij. 255.

HAmſtedij ab Adriano Hamſtedio dicti ſunt; ſpectantque ad noſtri temporis Euãgelicorũ claſſem: hic ſenſit pueros infantes non eſſe baptizandos, ſed eos eſſe per aliquot annos ſeruandos; quæ hæreſis damnatur in Conc. Trid. ſeſſ. 7. Can. 12.

Harmonius. 256.

HArmonius filius Bardeſanæ Syri, fuit Anno Dñi 163. temporibus Antonini Philoſophi Imp. et Pij I. Pont. de quo Niceph. lib. 9. cap. 16. in hæreſi Græcorum, quæ damnatur vt ſupra.

Heiecetæ. 257.

HEiecetę cum tripudijs in fœminarum cętu Deum à viris laudandum aſſerebant: de quibus Nicol. Sand. lib. 7. nu. 120. de viſ. Monarch. Eccl.

Helcheſaitæ. 258.

HElcheſaitarum hæreſis fuit ſub Gordiano Imp. et diuo Fabiano Pont. Anno Domini 240. de quibus Euſebius lib. 6. c. 38. hij Pauli ſcripta negabant; qui damnantur in Concil. Trid. ſeſſ. 4.

Heliognoſtici. 259.

HEliognoſtici, qui et Deuictiaci dicuntur, apud Iudęos ſolem adorabant, ignari quòd ipſe ſit miniſter Dei Math. 5. qui oriri facit ſolem ſuum ſuper bonos, et malos, et pluit ſuper iuſtos, et iniuſtos.

Helui-

Heluidiani. 260.

HEluidiani ab Heluidio hæretico dicti sunt; isti dixerunt Mariam filios post Christũ natum habuisse; qui damnantur c.pen.24.q.3.

Hemerobaptistæ. 261.

HEmerobaptistæ apud Iudæos hæretici fuêre; qui se et sua vestimenta quotidie abluebant: damnantur autem in Const.Apost.c.6.

Henriciani. 262.

HEnriciani ab Henrico quodam genere Franco, natione et patria Tolosano dicti sunt; fuerunt Anno Dñi 1128. sub Lothario II. Imp. et Honorio II. Pont. damnantur supra ver.Baptismus hær.5.

Henricus Bullingerus. 263.

HEnricus Bullingerus dixit Romanum Pontificem esse Antichristũ Anno Dñi 1571. Nic.Sand.lib.7.de vis.Mon.Eccl.n.233.

Henricus de Senis. 264.

HEnricus de senis hæreticus fuit, et damnatur in Direct.2.p.q.16.pag.213.

Heracleonitæ. 265.

HEracleonitæ ab Heracleone dicti sunt, qui plures hæreses amplexi sunt, nempè Valentini, Cerdonis, Marcionis, et Basilidis, qui damnãtur supra suis in locis; fuerunt temporibus Antonini Philos. Imp. et Pij I. summi Pontificis Anno Domini 154.

Hermas. 266.

HErmas, seù Hermias, vnus fuit ex ducibus Messalianorum hæreticorum tempore

Valentis, et Valentiniani Imp. et Siricij Papæ Anno Domini 388. de quo Niceph. lib. 11. cap. 14. damnatur, supra ver. Anima hær. 4.

Hermanus Rissuich. 267.

HErmanus Risuich Batauus natione fuit tẽpore Maximiliani Imp. et Alexandri VI. Papæ Anno Domini 1499. qui damnatus est ab officio S. Inquisit. et curiæ seculari traditus Anno Domini 1512. Prateolus lib. 8. cap. 10.

Hermanus Italus. 268.

HErmanus Italus author fuit hæresis Fraticellorũ, quẽ damnauit Bonifacius VIII. sub Adulpho Imp. Anno Domini 1297.

Hermogeniani. 269.

HErmogeniani ab Hermogene, quodam Afro, Sabelli Assecla, dicti sunt; qui per sonas Trinitatis confundebant; Emerserũt tempore Galieni Imp. et Stephani. I. Pont. Anno Domini 260. damnantur in c. pen. 2. q. 3.

Herodiani. 270.

HErodiani ab Herode Rege Iudæorũ dicti sunt; isti Herodem percussum ab Angelo, vt Christum sperantes expectabant; de quibus Prateolus lib. 8. c. 13.

Heron Apostata. 271.

HEron Apostata apud Ægyptios ad grecã superstitionem à Christianismo defecit tempore Iuliani Imp. itidem apostatæ, et Liberij Papę Anno Domini 365. de quo Nicephi. lib. 10. c. 29. damnatur, vt de Græcis dictũ est.

Heshusij. 272.

HEshusij sunt secta semiluterani ad secundam Euangelicorum nostri temporis classem pertinentes: damnantur; vt infra de Luthe ranis diceretur.

Hidroparastatæ. 273.

HIdroparastatæ aqua sola in mysterijs vtebantur: damnãtur per Nicol. Sand. lib. 7. num. 27. de vis. Mon. Eccl.

Hierarchitæ. 274.

HIerarchitæ ab Hierarcha hæretico dicti sunt, qui Taciti Imp. et Eutychiani Pont. temporibus fuerunt Anno Domini 279. de quibus Aug. lib. de hæresibus c. 47. Isti Carnis resurrectionem futuram negabant, et nuptias damnabant, Damnantur à Nicol. Sand. lib. 7. num. 52. de vis. Monar. Eccl. et c. pen. 24. q. 3.

Hieronymus de Praga. 275.

HIeronymus de Praga Hæresiarcha origine Bohemus in Concil. Constantiense in sess. 19. et 21. damnatus fuit tempore Sigismũdi Imp. et Ioan. XXIII. Pont. Anno Dñi 1414.

Hilarius. 276.

HIlarius Arrianus vixit sub Theodosio Imp. Et Siricio Pont. Anno Domini 400. damnatur supra verb. Cantus hær. 1.

Honoricus. 277.

HOnoricus IIII. Vandalorum Rex, quem alij Honorium appellant, Zenonis Imp. et Simplicij Papæ temporibus Anno Domini 476. fuit de secta Arriana; dãnatur in 6. q. Syn. Const.

Const. Act. 13. et quia doctrinam Sergij est amplexus.

Hugonistæ. 278.

HVgonistæ ex tertia Classe Euangelicorum nostri temporis damnantur expressè in Bulla Cœnę Domini num. 1. ver. Vgonottos.

Hussitæ. 279.

HVsitæ à Ioanne Huss genere Bohemo appellati sunt, qui fuit damnatus in Conc. Constantiense sess. 15. sub Vuenceslao Imp. et Gregorio XI. Pont. Anno Domini 1377. et dānantur expressè in Bulla Cœnę Domini nu. 1. verb. Husitas.

Hutitæ. 280.

HVtitæ sunt secta Antiluterani à Ioanne Huto sic dicti, qui dicebant diem Domini breui instare: damnantur per Prat. lib. 8. c. 22.

Hymenæus. 281.

HYmenæus Apostolorum temporibus et Domitij Neronis, et Petri Pont. fuit Anno Domini 56. dicebat factā esse resurrectionem, nec amplius futuram; damnantur supra verb. Resurrectio hær. 1.

Hypsistarij. 282.

HYpsistarij dicunt, non esse orandum pro patre defuncto, et solum omnipotentem esse venerandum Nicol. Sand. lib. 7. n. 86.

Iacobellus. 283.

IAcobellus Misnensis tempore Ruperti Bauari Imp. et Alexandri quinti Pont. Anno Domini 1410. dicebat absque Communione Calicis

cis neminẽ saluari posse; qui damnatur in Concil. Trid. sess. 21. Can. 1. et seq.

Iacobitæ. 284.

IAcobitæ à quodam Iacobo genere Syro nuncupantur tempore Mauricij Imp. et Pelagij II. Pont. Anno Domini 584. damnantur supra ver. Confessio hęr. 1. de quibus Niceph. libr. 18. cap. 45.

Iacobus Præpositi. 285.

IAcobus Præpositi Flander natione, ordinis Eremitarum S. Augustini, secta Luteranus fuit tempore Caroli V. et Clementis VII. Anno Domini 1523. damnatur vt infra de Lutero dicetur.

Iacobus Iustus. 286.

IAcobus Iustus inter Begardos fuit tempore Ludouici Imp. et Ioannis XXII. Papę Anno Domini 1314. damnatur vt in direct. 2. p. q. 11. pag. 199.

Ibas Ediſſenus. 287.

IBas Ediſſenus Episcopus fuit, et Hæreticus tempore Zenonis Imp. et Simplicij Papæ Anno Domini 476. Hic in Quinta Synodo Constantinop. damnatus est, de quo Niceph. libro 17. cap. 27.

Iconoclastæ. 288.

IConoclastæ, siuè Iconomachi Imaginum demolitores appellantur, Quæ hæresis cæpit Anno Domini 719. tempore Leonis III. Imp. et Gregorii summi Pont. quæ hæresis damnatur in 7. Syn. Nicen. et supra ver. Imago.

Idolatra

Idolatræ Hæretici. 289.

IDolatræ hæretici dicuntur, quod dogmata ab Ecclesię definitione aliena, velut Deos quosdam nouos, recentesque, et quos non coluerunt Patres eorum, sequuntur; Prateolus lib. 9. c. 7. et dicam inferius de Idolis.

Ienenses. 290.

IEnenses sunt secta Luterani, qui damnantur, vt infra dicetur de Luthero.

Ignoitæ. 291.

IGnoitæ seu Gnoitæ ab ignorantia dicti sunt, dicentes Christi diuinitatem ignorare futura, quæ scripta sunt de die, et hora nouissima; non recordantes Christi personam in Isaia loquentem, Dies Iudicij in corde meo: sunt damnanti cap. pen. 24 q. 3.

Illyricani. 292.

ILlyricani sunt secta Lutherani à Matthia Illyrico homine Sclauo appellati: damnantur vt infra dicetur de Luteranis.

Indiani. 293.

INdiani, qui et Abasini dicuntur, ad ditionem Presbiteri Ioannis, quem vulgò dicunt, spectant; per Apostolum Thomam ad Christi fidem conuersi sunt: isti circumcisionem admittunt: adurunt paruulos suos in frontibus calamo ferreo in modum crucis: in fermento conficiunt: sub vtraque specie communicant; vnde meritò, vt hæretici damnantur; Prateolus lib. 9. cap. 12.

Infer-

Infernales. 294.

INfernales dicunt Christum ad Inferos cruciatus in anima passum esse Nic. Sand. lib. 7. de vis. Mon. Eccl. n. 225.

Insabbatati. 295.

INsabbatati sunt ex factione Vualdensiũ sic appellati, quod qui inter eos perfectiores sunt, signum quoddam in superiori parte sui sotularis, quem sabbatem appellant, deferre solerent. Fuerunt tempore Friderici I. Imp. et Alexandri III. Pont. Anno Domini 1160. Respuunt omne iuramentum; nullam orationem præter Dominicam admittunt; carnes omni die comedunt: damnantur autem vt supra suis in locis, de Iuramento, Oratione, et Cibo.

Interimistæ. 296.

INterimistæ ad secundam classem Euãgelicorum nostri temporis spectant; damnantur vt infra de Luthero dicetur.

Inuisibiles. 297.

INuisibiles sunt ex Rigidorum Confessionistarum secta nostri temporis, ita vocati, quia docent nullam Ecclesiam esse visibilem, damnantur vt supra ver. Eccl. Nic. Sand. de visibili Mon. Eccl.

Ioachimus Abbas. 298.

IOachimus Abbas Florenti Cœnobij in Calabria Monachus S. Benedicti floruit sub Henrico VI. Imp. et Cælestino III. Pont. Anno Domini 1195. damnatur in cap. Damnamus de summa Trin. et fide Catholica.

Ioannes à Lasco. 299.

IOannes à Lasco malè sentit de Eucharistię Sacramento. Damnatur à Nicol. Sand. libr. 7. n. 207. de visib. Mon. Eccl.

Ioannes de Leiden. 300.

IOannes de Leiden primò sartor fuit professione, deinde ex factione Zuingliana, et Caluiniana constituitur Anabaptistarum Rex Anno dñi 1534. sub Imperio Caroli V. et Pōtificatu Pauli III. damnatur, vt in Bulla Cęnæ Domini de Zuinglio et de Caluīno fit mentio.

Ioannes Behalim. 301.

IOannes Behalim vitam Cleri recusat; decimas, et vectigalia solui negat. Damnatur per Nicol. Sand. lib. 7. n. 179. de vis. Mon. Eccl.

Ioannes Oecolampadius. 302.

IOannes Oecolampadius Sacramentariorum Dux fuit Anno Domini 1525. sub Carolo V. Imp. et Clemente VII. Pont. damnatur supra ver. Eucharistia hær. 4.

Ioannes Spangebergus. 303.

IOannes Spangebergus fuit ex Luteranorum familia: emersit tempore Caroli V. Imp. et Pauli III. Pont. Anno Domini 1556. damnatur supratit. de Operibus hær. 4.

Ioannes Vuicleffus. 304.

IOannes Vuicleffus à quo vuicleffitę hęretici, Anglus fuit natione, professione Sacerdos; floruit tpe Caroli IIII. Imp. et Clementis VI. Pont. Anno dñi 1352. Damnatur in Bulla Cœnę dñi n. 1. ver. Vuicleuitas et sup. multis ī locis.

Ioannes

Ioannes de Rocsesana. 305.

IOannes de Rocsesana successor fuit Vuiclessi, et Ioannis Husi, Sigismundi Imper. et Martini V. Pontef. temporibus Anno Domini 1430. damnatur supra tit. de Eccl. hær. 1.

Ioannes Paruus. 306.

IOannes Paruus asseruit, licitum esse priuata authoritate occidere Tyrannum. Damnatur per Nicol. Sand. lib. 7. num. 172. de vis. Mon. Eccl.

Ioannes vuestphalus. 307.

IOannes vuestphalus Germanus natione Luteri hæresi infectus est sub Carolo V. Imp. et Clemente VII. Pont. Anno Domini 1533. dãnantur eius hęreses supra tit. de Aqua hęr. 1. et ver. Eccl. hær. 2. et 3.

Ioannes de Zischa. 308.

IOannes Zischanus Husitarum Hæreticorum Capitaneus fuit tempore Sigismundi Imp. et Ioannis XXIII. Pont. Anno Domini 1411. damnatur vt supra de Husitis dictũ est.

Ioannes Roatius. 309.

IOannes Roatius Sigismundi Cæsaris Germani, et Ioannis XXIII. Pont. extitit temporibus Anno Domini 1412. Damnatur, vt per Prateolum lib. 9. cap. 24.

Ioannes Præmonstratensis. 310.

IOannes Præmonstratensis fuit tempore Sigismundi Imp. et Ioannis XXIII. Pont. Anno Domini 1412. Damnatur, vt per Prateolum dicto loco. cap. 25.

Ioannes

Ioannes de Poliaco. 311.

IOannes de Poliaco Theolog. Parisiensis fuit tempore Ludouici Bauari Imp. et Ioannis XXII. Pont. Anno Domini 1323. Iste malè sentiebat de Sacramento pœnitentiæ; cuius errores damnantur supra ver. Confessio, et verb. pœnitentia.

Ioannes Philoponus. 312.

IOannes Philoponus Phocę Imp. et Sabiniani Pont. temporibus fuit; de quo Niceph. lib. 18. cap. 46. damnatur, vt per Prateolum lib. 9. c. 27.

Iouinianus. 313.

IOuinianus, à quo Iouinianistę hæretici dicti sunt, Monachus Romanæ Vrbis fuit sub Theodosio II. Imp. et Siricio Pont. Anno Domini 395. Ipse dicebat nullam nuptiarum et virginum esse distantiam: damnatur expressè c. pen. 24. q. 3.

Isini. 314.

ISini hęretici sunt Indiam incolentes, Hi ferro candenti et peracuto suos infantes baptizant, signum crucis frontibus eorum, velut characterem quendam imprimentes. Prateol. lib. 9. c. 29.

Iudas Iscariotes. 315.

IVdas Iscariotes hæreticorum omnium Euangelicæ legis, et à fide Christiana defectorũ primus fuit; de quo per Niceph. lib. 1. c. 30. damnatus est vt clarè scriptura testatur.

Iscario-

Iscariotistæ. 316.

ISCariotistæ negant à Iuda Iscariote verum corpus Domini acceptum in Cæna, Nicol. Sand. lib.7.pag. 703.

Iudæorum hæreses. 317.

IVdei non sunt propriè hæretici, nisi eo quod Christianę fidei in figura susceptę omnino renitantur; de quibus Prat.lib.9.c.31.

Iulianus Halicarnaseus. 318.

IVlianus Halicarnaseus multarum hæresum author fuit tempore Phocæ Imp. et Sabiniani Pont. Anno Domini 604. de quo Niceph. lib. 18. cap. 43. damnatur, vt per Prateolum lib.9.cap.32.

Iulianus Capuanus. 319.

IVlianus Capuanus Episcopus vixit sub Archadio Imp. et Innocentio I. Pont. Anno Domini 405. damnatur supra verb. Gratia Hęres. 1.

Iulianus Apostata. 320.

IVlianus Apostata Constantij Cęsaris Nepos imperauit Anno Domini 357. de quo Niceph. lib. 10. cap. 3. qui damnatur, vt per Prateol.lib.9.c.34.

Iustificatorij heretici. 321.

IVstificatorij hæretici sunt ex Luteranorum secta nostri temporis, qui damnantur supra ver. Iustificatio.

Iustina. 322.

IVstina Mater Valentiniani Imp. fuit tempore Siricij Papæ Anno Domini 1388. de qua

Trip.

Trip.Hist. lib. 9.c.20. erat secta Arrianus quæ damnatur vt supra.

Kemnitius. 323.

KEmnitius dicebat vnicuique licitum esse interpretari concilia; damnatur per Nic. Sand.lib.7.n.226.de vis.Mon.Eccl.

Laicocephali. 324.

LAicocephali in Anglia dicunt Reginam esse caput Eccl.Nicol.Sand.lib.7.n.220.

Lamperiani. 325.

LAmperiani fuerunt circa Annum Domini 1352. sub Carolo IIII.Imp.et Innocētio VI. Papa damnantur supra ver. Votum hær. 1.

Leo Imperator. 326.

LEo Tertius natione Isaurus imperauit sub Gregorio II. Pont. qui damnatur supra ver. Imago.

Liberi. 327.

LIberi heretici sunt nostri temporis ex Anabaptistarum ordine; dicentes, se esse liberos ab obedientia Principum, à decimis, et cēsibus, vxores habent comunes, post baptismum negant posse peccare; qui damnantur supra ver. Decimæ, Matrimonium, et Libertas.

Libertini. 328.

LIbertini à libertate, quam prædicant euangelicam, appellantur, et sunt hæretici diuersæ sectæ; qui damnantur, vt per Prateolum lib. 10.c. 4. Dicunt Eccl. Romanam non esse veram Ecclesiam, Nicol.Sand.lib.7.n. 228.

Licinius

Licinius Imperator. 329.

LIcinius Imp. ex Dacia oriundus fuit summus persecutor Eccl. sub Miltiade Pont. Anno Domini 312. de quo Niceph. lib. 7. c. 44.

Loistæ. 330.

LOistæ ex numero sunt nostri temporis Euãgelicorum à quodam Eligio Antuerpiensi dicti; de quo Prateol. lib. 10. c. 6.

Lollardi. 331.

LOllardi ex Anglia Vuiclephistarum secta originem duxerunt sub Carolo IIII. Imp. et Innocentio VI. Papa Anno Domini 1360. damnantur supra ver. Aqua hær. 1.

Lucianus Const. Episcopus. 332.

LVcianus Constantinopoli post Eudoxium, cuius erat ex sorore nepos, Eunomianę sectæ prefuit, sub Archadio Imp. et Syricio Romano Pont. Anno Domini 398. de quo Niceph. lib. 13. c. 1. damnatur vt supra de Eunomio dictum est.

Luciferiani. 333.

LVciferiani à Lucifero quodam Caracalitano in Sardinia Episcopo nominati sunt, de quibus August. de hæresibus cap. 8. et Niceph. lib. 10. c. 14. fuerunt sub Constantio Imper. et Liberio Pont. Anno Domini 365. qui dicebãt animam hominis de carnis substantia propagatam esse. Damnantur cap. pen. 24. q. 3.

Lucas Sternberger. 334.

LVcas Sternberger Anno Domini 1561. sub Ferdinando Imperat. et Pio IIII. Pont. in

Olomucensi Moraniæ oppido emersit, secta Luteranus: damnatur per Nicol. Sand. libr. 7. n. 217. et vt infra de Lutero dicetur.

Ludoicus Alemani. 335.

LVdoicus Alemani, natione Italus secta Zuinglianus fuit Anno Domini 1566. apud Lugdunum dãnatur, vt infra de Zuinglio dicet

Lucilla. 236.

LVcilla Aphricana fuit genere, Donati hęretici adiutrix, tempore Constantij Imp. et Liberij Papæ Anno Domini 358. damnatur vt supra de Donato dictum est.

Lucianus. 337.

LVcianus, à quo Lucianistæ, Marcionis discipulus, Valentini, Cerdonis, et Basilidis hæresim cum suo doctore sequutus est, sub Antonino Pio Imp. et Pio I. Pont. Anno Domini 156. de quo Hylarius lib. 6. de Trin. et Irenæus libr. 3. cap. 3. damnatur vt infra de Marcione dicetur.

Lucius Alexandrinus. 338.

LVcius Alexandrinus Episcopus Arrianus Hęreticus fuit tempore Valentis Imp. et Damasi summi Romanorum Antistitis Anno Domini 378. de quo in Trip. Hist. lib. 7. c. 37. damnatur vt de Arrio dictum est.

Lulliste. 339.

LVllistæ damnantur, vt hæretici in Direct. Inquisit. 2. p. q. 9. et dicetur inferius de Raymundo Lullio.

Lute-

Luterani. 340.

LVterani à quodam Martino Lutero dicti sunt hæresiarcha, natione Germano, patria Islebiensi Saxoniæ vrbe. Qui cum sub instituto fratrum Eremitarum D. Augustini aliquandiu vixisset; tandē ab eodē suo Patre Aug. degenerans, qui hæreticorum acerimus hostis fuit, hic filius degener, summus hæresiarca euasit, ab Indulgentijs suorum errorum initium auspicatus; quibus totam pœnè Germaniam, et exinde ferè vniuersum orbem Christianum infecit, Maximiliani Imp. et Leonis X. Pont. temporibus Anno domini 1517. qui dānatur vt supra pluribus in locis, et expresè à Leone X. in Extr. Exurge Domine in sess. 12. Concil. Lateran. et in Bulla Cœnę Domini nu. 1. ver. Luteranos. Sunt et Luteropapistæ, Luterosiandriani, Luterozuingliani, et Luterocalui niani; de quibus omnibus dicetur inferius suo loco: Prateol. lib. 10. c. 15. et seq.

Macedoniani. 341.

MAcedoniani à Macedonio Episcopo Constantinopolitano dicti sunt, qui Constantij Imp. et Liberij Pont. temporibus suam hæresim instituit Anno domini 359. Qui Spiritum Sanctum esse minorem Patre, et Filio; et non eiusdem substantię cum Patre; sed esse meram creaturam statuit: de quo Ruffinus lib. 1. Hist. Eccles. cap. 25. et August. libro de Heresibus cap. 52. damnantur expresè cap. pen. 24. quæst. 3.

Macarius. 342.

MAcarius Antiochenus Episcopus dixit Vnam tantùm in Christo fuisse operationem, videlicet diuinam, damnatur 6. Syn. Constantinopol. Act. 8. tempore Constant. Imp. IIII. et Agatonis Papæ Anno Dñi 559.

Mahometes. 343.

MAhometes Arabs, Mercator vilissimus, et Princeps latronum, prænuncius fatanæ, præcursor Antichristi, complementum falsitatis exortus est Heraclij Imperator. et Honorij I. Ponteficis Anno Domini 630. contra quem late scripsit Dionysius Cartusianus, qui aduersus Alchoranum librum doctissimum edidit; vbi apertè probatur damnatio illius sectæ, et doctrinæ: et Pius II. in epist. ad Mahometem Turcarum principem; Bartholomæus Vngarus, Gulielmus postellus de orig. Turch.

1. Hic cum Sabellio negat Trinitatem.

2. Cum Arrio, et Eunomio Christum creaturam esse contendit, eumque Deum dicere ridiculum putat.

3. Cum Carpocrate asseuerat Christum non Deum quidem esse, sed sanctum prophetam.

4. Cum Cerdone asserit fore impossibile, vt Deus filium habeat, quod nimirum vxore careat, citra quam gignere filium non possit.

5. Cum Manichæis Christum negat crucifixum fuisse; sed alium sibi similem.

6. Cum Donatistis negat cuncta Ecclesię mysteria, quæ à Christi passione suam vim, et efficiam

etiam obtinent.

7. Cum Origenistis dicit, dæmones esse sub mundi finem saluandos.

8. Cum Anthropomorphitis, qui Deum corporalem asserunt, communicat.

9. Cum Cerintho extremam felicitatem, vel summum bonum statuit in corporeis voluptatibus.

10. Cum Ebionitis Circũcisionem admittit.

11. Cum Tatianis prohibet vini vsum. In his, et in alijs erroribus conuenit Mahometes cum hæreticis antiquis; cum quo etiam conueniunt in multis hæretici nostri temporis, vt refert Lindanus Dubitãtij sui Dialogo secundo.

1. Mahometes se se legem, et Euangelium tenere aiebat; se primum vidisse, quæ rectè docenda et emendanda in vtroq; testamento viderent; hoc idem iactauit Luterus, qui Germaniã aiebat ante se nunq̃ verũ audiuisse Euangeliũ.

2. Septuaginta septas peperit: ita septuaginta, et vltrà Euangelicorum recensentur sectæ.

3. Voluit secundum eius scripta tantum esse iudicandũ; quod idẽ volunt hæretici moderni.

4. Quadragesimam vnius lunæ, quæ quouis anni tempore obueniret, cursu transmutat; hæretici autem non solum transmutarunt; sed omnia tempora ieiunij subuerterunt.

5 Diem festum Dominicæ in diem veneris commutauit; Hæretici autem maxima ex parte dies festos abrogarunt.

6. Sacras Imagines deleuit; quod idem fa-

ciunt hæretici noſtri temporis.

7. Abrogauit cultum omnium Sanctorum: quod idem factum fuit à Luthero.

8. Baptiſmum contemnit, quem Caluinus neceſſarium non eſſe affirmauit.

9. Non circumcidunt niſi habentes vſum rationis: Adrianus Namſtedius non baptizat, niſi in ſeptimo et octauo anno.

10. Apud Mahometanos fit diuortium; Oecolampadius priore vxore deſerta, duxit aliam.

11. Plures vxores ducunt: Bucerus quoque, et Oldendorpius idem affirmarunt.

12. Mahometani negant aliena opera alteri prodeſſe: Luterani verum non modo Sanctorum negant opera alijs vtilia; ſed noſtra propria omnia faciunt peccata.

13. Mahometani tollunt liberum arbitrium: quod idem faciunt hæretici noſtri temporis; ità Prateolus lib. 11. cap. 3.

Maiorinus. 344.

MAiorinus Cartaginenſis Epiſcopus Donatiſta hæreticus, fuit ſub Conſtãtino Imp. et Liberio Pont. Anno Domini 358. damnatur vt ſupra de donatiſtis dictum eſt.

Maiorani. 345.

MAiorani ſunt ſecta Lutherani à Sergio maiore nuncupati: damnantur, vt per Prateolum lib. 11. c. 5.

Manichæi. 346.

MAnichæi à Manete quodam natione perſa dicti ſunt, qui Aureliani Imp. et Felicis

eis Papæ I. temporibus fuerunt Anno Domini 273. de quibus Eusebius lib. 7. cap. 28. et Aug. libr. 90. q. damnantur pro vt in c. pen. 24. q. 3.

Mansfeldenses. 347.

MAnsfeldenses sunt secta Lutherani, ad primam nostri temporis Euangelicorum classem spectant; damnantur, vt per Prateolum lib. 11. cap. 7.

Manifestarij. 348.

MAnifestarij hæretici nostri temporis sunt secta Anabaptistæ; damnantur, vt per Prateolum d. loco. c. 8.

Manusimpositorij. 349.

MAnusimpositorij sunt ex Rigidorũ Confessionistarum nostri temporis familia, eo quod laycalem impositionem manuum volunt esse sacramentum; damnantur, vt patet supra de sacramento pœnitentiæ.

Marathonius. 350.

MArathonius Nicomediensis Episcopus fuit tempore Constantij Imp. et Liberij Pont. Anno Domini 360. de quo Niceph. libr. 9. c. 42. erat de secta Macedoniani; quæ damnatur vt supra suo loco.

Marcellus. 351.

MArcellus, à quo Marcelliani dicti sunt Ancyræ Galatiæ Episcopus fuit Constantij Imp. et Iulij I. Pont. temporibus Anno Domini 340. Hic dixit D. N. Iesum Christum purum hominem fuisse; de quo Niceph. lib. 8. cap. 52. damnatur vt supra ver. Christus.

Marcion. 352.

MArcion, à quo Marcionitæ dicti sunt, Ponticus natione, ex Ciuitate Sinope fuit tępore Antonini Pij Imp. et Pij I. Pont. circa Annum Domini 155. damnantur c. pen. 24. q. 3.

Marcus. 353.

MArcus, quo Marcitæ dicti sunt, Valentini hæresiarchæ fuit discipulus sub Antonino Pio Imp. et Pij I. Pont. Anno Domini 155. de quo Niceph. lib. 4. c. 3. et Eusebius libr. 4. Hist. Eccl. Irenęus lib. 1. aduer. hæreses cap. 8. damnatur in Const. Apost. Clem. lib. 6. ca. 8. et supra tit. de Baptismo hær. 2.

Marinus. 354.

MArinus Thrax natione, secta Arrianus fuit tpe Theodosij I. Imp. et Syricij Papæ Anno Domini 395. de quo Niceph. lib. 12. cap. 30. damnatur vt de Arianis dictum est.

Maris Calced. Episcopus. 355.

MAris Calcedonensis Episcopus fuit sub Constantino Magno Imp. et Syluestro Papa Anno Domini 328. de quo Niceph. lib. 8. cap. 18. damnatur in Concilio Nicęna de fide.

Maronitæ. 356.

MAronitæ ab hæretico quodam nomine Maron dicti sunt: fuère tempore Philippi Barbarossę Imp. et Innocentij 111. Papę Anno Domini 1215. quo tempore ipsorum Patriarca interfuit Concilio Romæ celebrato sub Innocentio 111. cum incepisset hæresis vsque ab Anno 699. qui dicebant vnam tantum fuisse

in

in Christo operationē, videlicet diuinam, damnatur vt supra de Eutichete, Dioscoro, et Acephalis dictum est.

Marsilius. 357.

MArsilius Paduanus fuit sub Henrico V. Imp. et Paschale II. Pont. Anno Domini 1117. damnatur vt supra ver. Eccl. hær. 4.

Martyriani. 358.

MArtyriani, à Petro Martyre hæretico nostri temporis dicti sunt. hic pessimè sentit de Eucharistia; damnatur vt supra verbo Eucharistia.

Masbotheus. 359

MAsbotheus, à quo Masbotheni hæretici dicti sunt: fuit vnus ex primis hæreticis tempore Neronis Imp. et Petri Apostoli Pont. Anno Domini 55. de quo Eusebius Cæsar. lib. 4. c. 22. et Niceph. lib. 4. c. 7. damnatur, vt per Prateolum lib. 11. c. 19.

Messaliani. 360.

MEssaliani emerserunt tempore Valentis Imp. et Damasi Papę Anno Domini 380. damnantur vt supra tit de Anima hær. 4. tit. de Eucharistia hær. 8. tit. de Labore hær. 1.

Mathematici. 361.

MAthematici inter hæreticos adscribuntur, vt tot. tit. de Maleficis et Mathemat. Prateolus lib. 11. c. 21.

Maximinus. 362.

MAximinus Arrianorum Episcopus fuit tēpore Archadij Imperat. et Innocentij 1. Pont.

Pont. anno domini 405. damnatur, vt supra de Arrianis dictum est.

Maximilla. 363.

MAximilla, et Prisca Prophetissæ Montani hæresiarchæ emerserunt sub Commodo Imper. et Eleutherio Pont. anno dñi 182. de quibus Niceph. lib. 4. c. 20. damnantur, vt supra tit. de Baptismo hær. 3.

Melchisedechiani. 364.

MElchisedechiani hæretici dicti sunt, quòd Melchisedech sacerdotem, qui benedixit Abrahæ, non hominem purum fuisse; sed quandam Dei virtutem Christo maiorem; damnantur, vt in cap. pen. 24. q. 3. et supra ver. Melchisedech.

Melanchthonici. 365.

MElanchthonici, à Filippo Melanchthone Confessionistarum Patre dicti sunt: fuerunt sub Carolo V. Imp. et Clemente VII. Pont. anno dñi 1530. damnantur supra tit. de Baptismo hær. 11. et alijs in locis.

Melchioritæ. 366.

MElchioritæ hæretici nostri temporis, à Melchiore Hofmanno sic dicti, et secta Antiluterani, negant Christum assumpsisse de virgine carnem; quod reprobatur supra verb. Christus.

Meletiani. 367.

MEletiani à Meletio Ægyptio Episcopo dicti sunt, qui fuit tẽpore Constantij chlori, et Valerij Maximi Imp. et Eusebij Papæ Anno

no Domini 311. erant secta Arriana, quæ damnatur vt supra de Arrio dictum est.

Menandriani. 68.

MEnandriani à Menandro mago Simonis discipulo, genere Samaritano, et in Vico Caparatensi orto, dicti sunt, qui viguit tempore Vespasiani Imp. et Lini Pont. Anno Domini 80. isti mundum non à Deo; sed ab Angelis creatum esse affirmabant: damnantur c. pen. 24. q. 3.

Menas Diaconus. 369.

MEnas Ecclesiæ Alexandrinæ Diaconus Arrianus fuit tempore Constantini Magni Imper. et Syluestri Papæ Anno Domini 315. damnatur vt supra de Arrio dictum est.

Menophantus. 370.

MEnophantus Ephesinus Episcopus hæreticus Arrianus fuit tempore Constantini Magni Imper. et Syluestri Papæ Anno Domini 316. de quo Niceph. lib. 8. c. 17. damnatur, vt supra de Arrio dictum est.

Mennonitæ. 371.

MEnnonitæ Anabaptistę secta, hæretici nostri temporis à Mennone Simonis Phrisio Anabaptistarum Duce dicti sunt. Qui negat Christum carnẽ ex Maria sumpsisse; damnatur per Nicol. Sand. lib. 7. n. 202. et vt supra de Anabaptistis dictum est.

Metamorphistæ. 372.

METamorphistæ sunt hæretici nostri tempo ris, qui male sentiunt de Eucharistia;

quo-

quorum opinio damnatur supra suo loco.

Metangismonitæ. 373.

METangismonitæ, teste diuo Augustin. idem significant quod transuasantes, vel inuasantes: asserunt.n. sic esse in Patre filium, tanquam vas minus intra vas maius; fuerunt tempore Heliogabali Imp. et Vrbani Papæ Anno Domini 221. damnantur c.pen.24.q.3.

Michael. 374.

MIchael de Cęsena damnatur vt hæreticus 2.p.Direct. Inquis.q.9. pag.188. Alius Michael seruettus dicebat Deum esse vnicam personam Nicol. Sand.libr.7.num.227.

Molochitæ. 375.

MOlochitæ, et Remphamnitę ab Idolatria, quâ Moloch, et Rempham Ammonitarum Idolo exhibebant; de quibus Prateolus lib.11. c.34.

Monasterienses. 376.

MOnasterienses sunt hęretici nostri temporis, qui in sua Cęna omittunt illa Christi verba, Hoc est corpus meum, quorum loco dicunt, Accipe, Ede, memento Domini; quorũ hær. damnantur supra ver. Eucharistia.

Monophysitæ. 377.

MOnophysitę, à Monos, quod est vnus, et physis natura dicti sunt, quod vnam illius verbi, et carnis naturam post ineffabilem vnionem in Christo esse sentiant, et doceant; de quibus Niceph.lib.18.c.47. damnantur in Cõcil.4. Calced. et in Sexta Syn. Const.

Mon-

Montaniſtæ. 378.

MOntaniſtæ ſiue Montani, à Montano Phrige natione fuerunt tempore Commodi Imp. et Sotheri Papę Anno Domini 187. ſeù ita dicti ſunt, quia tempore perſecutionis in montibus latuerunt; damnantur in c. pen. 24. q. 3.

Moſes falſus. 379.

MOſes falſus in Creta erupit Theodoſij Iunioris Imp. et Cęleſtini Pontificis temporibus Anno Domini 435. qui cum eſſet Iudęus aſſerebat ſe eſſe Moſen, de quo Socrates Eccl. Hiſt. lib. 7. c. 38. de quo Prateolus lib. 11. c. 39.

Muntzerici. 380.

MVntzerici, à Thoma Muntzero, ſiue Monetario Anabaptiſtarum patre dicti ſunt hęretici noſtri temporis, qui emerſerunt ſub Carolo V. Imp. et Clemente VII. Pontif. Anno Domini 1524. damnantur, vt ſupra de Anabaptiſtis dictum eſt.

Mundanitæ. 381.

MVndanitæ dicti ſunt; quia mundum non mutari, ſed in eodem ſtatu ſemper manſurum aſſerunt, etiam poſt generalem reſurrectionem contra illud Pſal. 101. Omnia tranſibunt, et mutabuntur, tu autem idem ſemper es, et Mat. 24. Cœlum, et terra tranſibunt; verba autem mea non tranſibunt, et Iſa. 65. Ego facio nouum Cœlum, et nouam terram dicit Dominus; dixi ſupra ver. Mundus.

Musoritæ. 382.

MVsoritę erant apud Iudæos Idolatrę, qui damnantur supra ver. Idolatria hęr. 1.

Muscaronitæ. 383.

MVscaronitæ à Musca, et Accaron ciuitate, in qua Musca colebant, dicti sunt; de quibus Prateolus lib. 1. cap. 43. et dicetur inferius suo loco de Idolatria.

Muscalani. 384.

MVsculani sunt hęretici nostri temporis, qui dicunt Naturam diuinam in cruce fuisse mortuam; quæ opinio damnatur supra ver. Christus.

Narcissus. 385.

NArcissus Neroniadis Cilicię, quam nunc Irynopolim vocant, Arrianę perfidię Patronus fuit tempore Constantij Imp. et Iulij I. Pont. Anno Domini 344. de quo Niceph. lib. 9. cap. 12. damnatur, vt supra de Arrio dictum est.

Nazaræi. 386.

NAzarei à Nazaret Galileę Vico dicti sunt; fuerunt tempore Adriani Imp. et Xisti I. Pont. Anno Domini 133. omnia veteris legis obseruant, damnantur in cap. pen. 24. q. 3.

Nepos Episcopus. 387.

NEpos Episcopus cuiusdam vrbis Ægipti vixit sub Claudio II. Imp. Felice I. Pont. Anno Dñi 270. de quo Eusebius l. 7. c. 24. et Niceph. lib. 6. c. 21. hic dicebat mille annis in libidine et voluptate corporali in hac vita Sanctos

&tos regnaturos; damnatur, vt per Prateolum lib. 12.cap.3.

Nestorius. 388.

NEstorius Episcopus Constantinopolitanus fuit tempore Theodosij Imp. et Celestini Pont. Anno Domini 427. de quo Gennadius, et Socrates lib.7.c.32. Hist. Eccl. Iste dicebat Mariam non Dei, sed hominis matrem fuisse; dicens separatim, atque seiunctim alterum filium Dei, alterum hominis, duas ponens in Christo naturas, duasque personas, qui damnatur c.pen.24.q.3.

Neutrales. 389.

NEutrales Sacramentarij nostri temporis dicuntur, quod neq; vna species, neq; vtraque sit necessaria, sed solam fidem sufficere; damnantur vt supra ver. Eucharistia.

Nicolaus Galecus. 390.

NIcolaus Galecus ex Bohemia oriundus, conditione presbiter vnus eorum extitit, quilegatus à Bohemia ad concilium Basilienſe missus fuit, Sigismundi Imp. et Eugenij IIII. Pont. temporibus coactum Anno Dñi 1434. dicebat nullum hominem in lege noua iuste occidi posse; damnatur supra ver. Occidere.

Nicolaitæ. 391.

NIcolaitę à Nicolao Antiocheno dicti fuerunt tempore Domitiani Imp. et Anacleti Papę Anno Domini 83. isti inuicem coniugia commutabant; damnantur cap. pen. 24. quæst. 3.

Nos-

Noetiani. 392.

NOetiani à Noeto quodam Sabellij Pentapolitani præceptore dicti sunt; fuerunt in Ægypto tempore Galieni Imp. et Stephani 1. Papę Anno Domini 259. de quo Epiphanius in lib. 80. hęr. hęr. 57. hic Noetus in diuinis personarum numerum negabat; damnatur c. pen. 24. q. 3.

Nouatiani. 393.

NOuatiani à Nouato Romanę Ecclesię presbytero dicti sunt: fuerunt tempore Galli, et Volusiani Imp. et Cornelij summi Pont. Anno Domini 255. nolebant Apostatas recipere, et baptizatos rebaptizabant; damnantur c. pen. 24. q. 3.

Nudipedes. 394.

NVdipedes sunt hęretici nostri temporis, qui omnia relinquebant, omniaque communia faciebant, calceos aborrebant, vnde et Nudipedes sunt nuncupati; damnãtur vt supra ver. Nuditas.

Nyctages. 395.

NYctages à somno nuncupati sunt, quod Vigilias noctis respuebant Contra psal. 118. Media nocte surgebam ad confitendum tibi: damnantur c. pen. 24. q. 3.

Olipius. 396.

OLipius Arrianæ hęresis fuit Cartaginensis Episcopus tempore Anastasij Imper. et Symmachi Papę Anno Domini 505. damnatur vt supra de Arrio dictum est.

Ollarii

Ollarij. 397.

OLlarij hæretici nostri temporis sic dicti sunt, eo quod suos coniuratos non nisi mensa bellè instructa inuisant; damnantur vt per Prateolum lib. 13. c. 2.

OPHYTE. 398.

OPhytæ quasi Serpentini dicti sunt à colubro, vel Serpente, quem colebant; de quibus Aug. lib. de hær. c. 17. damnantur cap. pen. 24. q. 3.

Orebitæ. 399.

ORebitarum hæresis emersit tempore Sigismundi Imp. et Martini V. Pont. Anno Dñi 1418. damnatur vt p Prateol. lib. 13. c. 4.

Origenistæ. 400.

ORrigenistæ siue Origeniani ab Origene Alexãdrinæ Ecclesiæ doctore, et Clemẽtis contextoris successore exorti sunt tempore Seueri Imp. et Zephyrini Pont. Anno Domini 207. dicentes, quod non possit filius videre Patrem, nec Spiritus sanctus filium; animas quoque in principio mundi dicũt peccasse, et alia, quæ damnantur cap. pen. 24. q. 3.

Orphani. 401.

ORphani sunt secta Gusitę, qui exorti sunt sub Sigismũdi Cęsaris Germani Imperio et Martini V. Pontificatu Anno Domini 1420. qui sub vtraq; specie communicabant sine prę-uia sacramentali confessione; suam perfidiam armis defendebant; damnatur hæc hæresis supra ver. Eucharistia.

Osiandriani. 402.

OSiandriani ab Andrea Osiandro luterano dicti sunt; damnantur vt est supra de Luthero dictum; mortuus est anno Domini 1552. Prateolus lib. 13. c. 7.

Osseni. 403.

OSseni oderunt virginitatem; qui damnantur à Nicol. Sand. de vis. Mon. Eccl. lib. 7. pag. 235.

Pacifici. 404.

PAcifici hæretici nostri temporis sunt inter Anabaptistas constituti; quorum hæresis damnatur vt de Anabaptistis dictum fuit; Prateol. lib. 14. c. 1. Item Pacificatores in causa fidei damnantur à Nicol. Sand. lib. 7. n. 232.

Parmenianistæ. 405.

PArmenianistæ à Parmeniano Carthaginensi Episcopo Maiorini successore appellati sunt tempore Valentiniani II. Imp. et Syricij Papæ Anno Domini 389. damnantur, vt supra de Donatistis dictum est.

Parermeneutæ. 406.

PArermeneutæ diuina scripta suo arbitratu interpretabantur; damnantur à Nicol. Sand. lib. 7. n. 127. de vis. Mon. Eccl.

Paschatitæ. 407.

PAschatitæ erant hæretici sub Cõmodo Imp. et Sotero Pont. Anno Domini 182. isti dixerunt Pascha celebrandum esse quartadecima luna; damnantur supra ver. Pascha.

Pascen-

Pascentius. 408.

PAscentius comes in Aphrica fuit Arrianæ hęresis tempore Archadij, et Honori Imp. et Innocentij I. Papæ anno Domini 409. iste cũ Arrio dixit, filium esse minorem patre, neque cum eo esse eiusdem substantiæ; damnatur supra ver. Deus hær. 6.

Pasioniste. 409.

PAsioniste sunt hæretici dicentes, Christum in sua pasione ita carnem dimisisse, et in cęlum sic ascendisse, vt non sit iam in carne diuinitas; damnantur vt dixi supra ver. Christus.

Pastillarij. 410.

PAstillarij secta Luterani, ad primam vtiquè nostræ ætatis Euangelicorum classem pertinentes Corpus Dñi esse dicunt in pane, est sub pane, vti farina in pastillo, aut pillulæ in ouo re conditæ; damnantur vt supra ver. Eucharistia.

Pastoricidę. 411.

PAstoricidæ hæretici sunt nostri temporis, qui in Pastorum aut Sacerdotum Catholicorum necem coniurant; damnantur supra ver. Obedientia, et ver. Sacerdotium.

Patriciani. 412.

PAtriciani à Patricio quodam Romano dicti sunt; qui dicebant carnem hominis non à Deo, sed à diabolo factam esse; damnantur c. pen. 24. q. 3.

Paterniani. 413.

PAterniani, vel (vt inquit D. August.) Venustiani à Paterno quodam appellati sunt;

dicebant inferiores partes corporis nõ à Deo; sed à diabolo factas esse; damnantur autem cap. pen. 24. q. 3.

Patropassiani. 414.

PAtropassiani sunt, qui Deum Patrem passum fuisse asserunt, vtpotè quia vnam tantùm personam in diuinis asseuerant; fuerunt sub Galieno Imp. et Stephano I. Papa Anno Domini 260. de quibus Eusebius lib. 10. cap. 29. damnantur c. 1. de summa Trinit. et Fide. Cath.

Pattalorinchitæ. 415.

PAttalorinchitæ ideo dicuntur, quod veluti palum, vel digitum in modum pali, naribus suis, vel labijs superponerent; damnantur supra ver. Silentium hær. 1.

Paulus Samosatenus. 416.

PAulus Samosatenus Antiochenus Episcopus, à quo Paulianistæ seu Pauliani dicti sunt, fuit Syrus natione, tempore Aureliani Cæsaris, et Felicijs 1. Papę Anno Domini 273. dixit non semper fuisse Christum; sed à Maria sumpsisse initium; damnatur c. pen. 24. q. 3. de quo Niceph. lib. 6. c. 77.

Pauperes de Lugduno. 417.

PAuperes de Lugduno, qui et Vualdenses ab Vualdone quodam ciue Lugdunensi, qui eorum fuit author, nuncupantur, emerserunt tempore Friderici I. Imp. et Alexandri III. Pont. Anno Domini 1160. damnantur cap. pen. de hæresi.

Pelagius

Pelagius. 418.

PElagius, à quo Pelagiani dicti sunt, professione Monachus ex magna Britania oriundus fuit tempore Archadij Imp. et Innocentij I. Pont. Anno Domini 405. damnatur c. pen. 24.q.3. et in Concil. Carthag. celebrato Anno Domini 423.

Pepuzitæ. 419.

PEpuzitæ à quodam oppido, quod Pepuza nominatur, emerserunt tempore Commodi Imp. et Soteri Summi Romanorum Pont. Anno Domini 181. de quibus Niceph. lib. 4. c. 22. damnantur supra ver. Mulier. hær. 1.

Petilianus. 420.

PEtilianus fuit secta donatista tempore Theodosij Imp. et Innocentij I. Pont. Anno Domini 415. damnatur supra ver. Martyriũ hær. 2.

Petrus Dresensis. 421.

PEtrus Dresensis Germanus natione, et patria Misnensis Vualdensium sequutus est insanias, indeque totam penè Bohemiam suo infecit errore, Ruperti Imper. et Alexandri V. Pont. temporibus Anno Domini 1410. damnatur supra ver. Eucharistia hær. vlt.

Petrus de Bruis. 422.

PEtrus de Bruis, à quo Petrobrusiani hæretici, Gallus natione fuit, ex prouincia Narbonensi oriundus vixit tempore Henrici V. Imp. et Calisti II. Papæ Anno Domini 1124. damnatur supra ver. Baptismus hær. 5.

Petrus Cnaphæus. 423.

PEtrus Cnaphæus Antiochenus fuit Episcopus tempore Zenonis Imp. et Symplicij Papæ anno Domini 476. de quo Niceph. lib. 15. c. 28. damnatur. supra ver. Christus hær. 3.

Petrus Ioannis. 424.

PEtrus Ioannis diœcesis Biranensis Ioachini Abbatis errores sequutus fuit tempore Henrici VI. Imp. et Cælestini III. Pont. anno Domini 1199. damnatur in Clement. I. de summa Trin. et fide Cath.

Petrus Abailardus. 425.

PEtrus Abailardus in Gallia ortum habuit tempore Cunradi III. Imp. et Cęlestini II. Pont. anno Domini 1143. damnatur vt supra ver. Beatitudo hær. 1. et alijs in locis.

Petrus Martir. 426.

PEtrus Martyr negat Corpus Christi in Eucharistia Nicol. Sand. lib. 7. n. 218.

Petrus Olerii. 427.

PEtrus Olerij damnatur vt hæreticus 2. p. Direct. q. 11. pag. 199.

Pharisæi. 428.

PHarisæi à voce Phares, quæ segregatos significat, sunt nominati; damnatur per Clement. in Const. Apost. c. 6. Prateolus lib. 14. cap. 22.

Philetus. 429.

PHiletus vnus eorum fuit, quos Diuus Paulus ob hęresim, et blasphemiam insanam Christi, et Apostolorum doctrinam Sathanæ

tradidit,

tradidit, hic negabat resurrectionem corporum: fuit sub Domitio Nerone, et Petro Apostolo Pont. Anno Domini 56.

Phitonissæ. 430.

PHitonissæ mulieres erant, quæ se sciscitantibus per pudenda responsa dare videbantur; damnantur vt per Prateol. lib. 14. cap. 24.

Photinus. 431.

PHotinus Sirmiensis Episcopus Pauli Samosateni discipulus, et in errore successor fuit natione Pannonius, à quo Photiniani sunt nuncupati, emersit sub Constantio Imp. et Iulio I. Pont. Anno Domini 350. Iste Trinitatem negat; de quo Niceph. lib. 9. c. 10. damnatur c. pen. 24. q. 3.

Pikardi. 432.

PIkardi hæretici dicti sunt à Pikardo hæresiarca sub Sigismundo Imper. et Ioanne XXIII. Papa Anno Domini 1414. de quibus Syluius lib. de origine Bohem. c. 41. Connubia eis promiscua fuere; damnãtur supra ver. Coitus her. 10.

Pneumatomachi. 433.

PNeumatomachi Spiritus sancti oppugnatores dicuntur; exorti sunt Constantij Imper. et Liberij Papę temporibus Anno Domini 359. quorum hæresis damnatur vt supra de Macedonianis dictum est; de quibus Trip. Hist. lib. 9. cap. 14.

Pœnitentiarii. 434.

POenitentiarij sunt secta Molles Confessionistæ huiusce nostri temporis, qui septem crassissimos errores immiscuerũt doctrinę de pœnitentiã; damnantur vt per Prateolum libr. 14. cap. 28.

Polygamistæ. 435.

POlygamistæ sunt ex Anabaptistarum familia, docent vni viro licere habere plures vxores eodem tempore; item licere fratri vxorem fratris viui ducere; damnantur, vt supra dictum est ver. Coitus, et ver. Matrimonium Nicol. Sand. lib. 7. n. 203.

Porphyrius. 436.

PORphyrius Athenienſis Philosophus natione Siculus, nominis Christiani acerrimus persecutor à Porphyrione aue immunda huncupato, Origenis fuit condiscipulus apud Plotinum magistrũ, et vsque ad tempora Probi Imp. vixit, et circa Alexandri Seueri Imp. et Vrbani I. Pont. tempora emersit, circa Annum Domini 225. de quo Niceph. lib. 5. c. 13. damnatur vt per Prateolum lib. 14. c. 30.

Postellani. 437.

POstellani ab Vuilhelmo Postello Barentonio ducunt originem; damnantur vt per Prateolum d. loco c. 3.

Praxeas. 438.

PRaxeas, à quo Praxeani dicũtur hæretici, qui negabãt plures personas in Trinitate, emersit tempore Galieni Imp. et Stephani. I. Papæ

Anno

Anno Domini 260. damnãtur vt supra de Deo dictum est.

Prædestinati. 439.

PRædestinati hæretici à sua doctrina nomen sortiuntur, exorti sunt tempore Honorii Imperat. et Innocentij I. Pont. Anno Domini 414. damnantur vt supra verb. Prædestinatio hær. 1.

Præmonstratensis Apostata. 440.

PRæmonstratensis Apostata secta Antiluteranus est hæreticus nostri temporis; damnatur vt per Prateolum lib. 1. 4. c. 34.

Prisca. 441.

PRisca, et Maximilla Prophetissæ extiterunt sub Commodo Imp. et Sotero Pont. Anno Domini 181. damnantur vt supra verb. Baptismus hær. 3.

Priscillianus. 442.

PRiscillianus, à quo Priscillianistæ hæretici dicti sunt, Hispanus fuit, et Abilæ notissimæ ciuitatis in vltiore Hispania sitę Episcopus tempore Valentini Imp. et Syricij Papæ anno Domini 388. Hic dicit animas ante infusionem corporis peccasse; damnatur cap. penult. 24. q. 3.

Prodianitæ. 443.

PRodianitæ sunt natione Galatæ, Seleuci, et Hermiæ hæreticorum discipuli tempore Valentis Imper. et Damasi Papæ Anno Domini 382. damnantur supra ver. Christus hær. 2.

Proco-

Procopius. 444.

PRocopius Thaboritarum in Bohemia hęreticorum Dux fuit tẽpore Sigiſmundi Imp. et Ioannis XXIII. Papæ Anno Domini 1411. Qui communionem calicis habere, et tenere pro laycis voluit; damnatur vt ſupra verb. Euchariſtia.

Proculus. 445.

PRoculus qui et Proclus Montani, et Cathaphrygum ſectator fuit Septimij Seueri Imper. et Zephyrini Papæ Anno Domini 207. de quo Euſebius lib.6.c. 18. Niceph. lib.4.c.20. damnatur vt per Prateol.lib.14.c.39.

Prodicus. 446.

PRodicus dixit non eſſe orandum: damnatur per Nicol. Sand.libr.7.nu.33.de viſ.Mon. Eccleſiæ.

Pſalliani. 447.

PSalliani ſunt ij, quos ſupra Enthuſiaſtas, Euchritas, ſiue Meſſalianos nominauimus, qui emerſerunt Iouiniani Imp.et Liberij Papę temporibus Anno Domini 367. ab orando autem ex lingua ſyrica deducto vocabulo, Pſalliani appellantur, quaſi ſedulò, et continuò orantes; damnantur vt ſupra ver. Oratio; de quibns Epiphan.lib.de hæreſibus hær. 13.et Aug. hær.5.

Pſeudoapoſtoli. 448.

PSeudoapoſtoli exorti ſunt ſub Adolfo Imp. et Bonifacio VIII. Pontif. Anno Domini 1296.damnantur vt ſupra ver. Apoſtoli hęr. 2. Direct.Inquiſ.2.p.q.12.

Ptole-

Ptolemeus. 449.

PTolemeus Valentini hæretici succeſſor fuit ſub Antonino Imp. et Higino maximo Romanorum Pont. Anno Domini 150. damnatur vt infra de Valentino dicetur.

Publicani. 450.

PVblicani quidam hæretici in Gallia exorti ſunt ſub Philippo III. huius nominis Francorum Rege, et Gregorio X. Pontif. et Rodulpho Imp. Anno Domini 1274. Hi paruulos nõ baptizandos dicebant, donec vſum rationis haberent; damnantur vt ſupra ver. Baptiſmus.

Puritani. 451.

PAritani in Anglia ſecta Caluiniſtarum negant omnem ritum S. Romanæ Eccleſiæ Nicol. Sand. lib. 7. n. 221.

Puteoritæ. 452.

PVteoritæ erant olim hæretici, vel potius Idolatræ apud Iudæos, qui puteos colebant, eos in altum fodientes, indeque aquam haurientes, quam ſaluatorem appellabant, in ea quippiam ſalutis ſperantes; damnantur vt per Prateolum lib. 14. cap. 44.

Quadriſacramentales. 453.

QVadriſacramentales ſunt hæretici noſtri temporis, recipientes quatuor tantum ſacramenta, Baptiſmum, Cœnam Domini, Abſolutionem, et Sacerdotium; damnantur vt ſupra de Matrimonio, Extrema Vnctione, et Confirmatione dictum eſt.

Quatuordecimani. 454.

QVatuordecimani sunt hij, quos aliàs Paschatistas seu Thessaresdecatitas nuncupauimus; qui cum Iudæis, et non Dominico die, sicuti ab Ecclesia decretum est, Mysterium Paschæ peragunt; damnantur vt supra ver. Pascha dictum est.

Quintianus. 455.

QVintianus Gazeorum Episcopus Arrianæ perfidię defensor fuit tempore Constantij Imp. et Iulij I. Pont. Anno Domini 342. de quo Niceph. lib. 9. cap. 8. damnatur vt supra de Arrio dictum est.

Quintinus. 456.

QVintinus, à quo Quintinistæ hęretici dicti sunt, sartor quidam fuit natione Pichardus è schola nostrę tempestatis Euangelicorum prodiens, tempore Caroli V. Imp. et Clementis VII. Pont. Anno Domini 1525. damnatur vt per Prateolum lib. 15. c. 4.

Quintilliani. 457.

QVintilliani à Quintilla Prophetissa dicti sunt; damnantur vt per Prateolum dicto loco cap. 1.

Ranatitæ. 458.

RAnatitæ erant apud Iudęos et Ægyptios, qui Ranas colebant; damnantur vt per Prateolum lib. 16. cap. 1.

Raymundus Lullius. 459.

RAymũdus Lullius Philosophus, ac Theologus floruit sub Interregno Imp. Romanorum,

norum, post cæsum Guilhelmum Hollandiæ comitem Cęsarem Germanum XXVII. tempore Alexandri IIII. Pont. Anno Domini 1260. dam natur vt in Direct. Inquis. 2.p.q.9. dixi supra de Lullistis.

Rhetorii. 460.

RHetorij seu Rhetoriani à Rhetorio quodā exorti sunt in Ægypto, et Alexandria. Hi cunctas laudabant hæreses; qui damnantur supra ver. hæreticus hær. 1.

Rhuteni. 461.

RHuteni Lituanis contermini sunt, gens barbara, incompta, et quę nunquam Romanæ Ecclesię obediens fuit. Horum hęreses plures fuerunt, inter quas dicunt, non posse confici in pane azimo; damnantur per Alph. de Castro ver. Eucharistia hær. 2. et supra ver. Papa, et ver. Ecclesia.

Reiudaizantes. 462.

REiudaizantes sunt Iudęi, qui Christiani effecti in Iudaismum postea relabuntur; dānantur vt per Prateol. lib. 16. c. 5.

Rochezana. 463.

ROchezana pāruulis Eucharistiam ministra uit; damnatur à Nicol. Sand. libr. 7. pag. 555. n. 177.

Rogatiani. 464.

ROgatiani sunt de Donatistarum familia à Rogato quodam appellati; de quibus scribit August. in Epist. 48. damnantur vt supra de Donatistis dictum est.

Rysuicani

Rysuicani. 465.

RYsuicani à quodam prestigiatore Hermano Rysuich nominati sunt Anno Domini 1510. damnantur vt per Prateolum lib. 16. c. 7.

Sabbas. 466.

SAbbas Messalianorum secte fuit tempore Valentini Imper. et Liberij Papæ Anno Domini 368. de quo Niceph. lib. 11. cap. 14. dicebat nullam virtutem habere Baptismum; damnatur vt supra ver. Baptismus.

Sabbatius. 467.

SAbbatius, à quo Sabbatiani hæretici dicti sunt, ex Iudaismo ad Christianismum conuersus, presbiter ordinatus, secte Iudaicę nihilominus inseruiebat; viguit autem sub Archadio Imp. et Syricio Papa Anno Domini 399. de quo Niceph. lib. 12. c. 31. damnatur vt per Prateolum lib. 17. cap. 2.

Sabbatarii. 468.

SAbbatarij sunt hęretici nostri temporis secta Anabaptistæ, Sabbatum more Iudæorum colunt: Dominicam aspernantur; solumq; Patrem inuocant; Filium et Spiritum sanctum negligunt.

Sabellius. 469.

SAbellius Pentapolitanus ex Ptolomaide Ægipti ciuitate oriundus, fuit tempore Galieni Imp. et Stephani I. Pont. de quo Niceph. lib. 9. cap. 31. ipse vnam esse personam Patris, et Filij, et Spiritus sancti dixit; damnatur cap. pen. 24. quæst. 3.

Sabi-

Sabinus. 470.

SAbinus Heracleę Thracię Macedonianorum Epiſcopus fuit, Coſtantij Imp. et Liberij Papę temporibus Anno Domini 359. de ſecta Arriana, quę damnatur vt ſupra ſuo loco.

Sacramentarii. 471.

SAcramentarij ſunt hęretici noſtri temporis: hi negant eſſe preſens in Cœna corpus Domini; damnantur vt dixi ſupra ver. Euchariſtia, et Nicol. Sand. lib. 7. n. 10. de viſ. Mon. Eccl.

Sadducæi. 472.

SAdducęorum hęreſis vna eſt earum, quę inter Iudęos quondam viguit: negabant reſurrectionem mortuorum Mat. c. 22. damnantur vt dictum eſt ſupra ver. Reſurrectio.

Samaritani. 473.

SAmaritani à Samario eorum Regedicti ſunt, hęreſis inter Iudęos fuit iſtorum, qui damnantur vt de Sadducęis dixi.

Sancoſętani. 474.

SAncoſetani negãt apud Ioãnẽ verbũeſſe Deũ Nicol. Sand. libr. 7. de viſ. Mon. Eccl. 223. Item Sampſon anglicus dixit Reginam Anglię eſſe caput Eccleſiæ, Nicol. Sand. lib. 7. n. 220.

Sampſæi. 475.

SAmpſęi et Elceſęi Ebiotarum dogma in vniuerſum amplexi ſunt; emerſerunt hi Seueri Imp. et Victoris Papę temporibus Anno Domini 195. damnantur vt ſupra de Ebionitis dictum eſt.

Sa-

Sanguinarii. 476.

SAnguinarij sunt hęretici nostri temporis qui humano poto sanguine more catilinario ad sua sese sacrilegia et homicidia adstringunt; damnantur vt per Prateol. lib. 17. c. 11.

Sarrabaitæ. 477.

SArrabaitę Monachorum genus quōdam fuit in Ægypto, vt Augustt. testatur in Ser. 12. ad fratres in Eremo; damnantur vt per Prateolum lib. 17. c. 12.

Sataniſtæ. 478.

SAtanistę vel Satanici, aduersarij latinè dicuntur: fuerunt tempore Iouiniani Imper. et Liberij Papę Anno Domini 368. damnantur vt per Prateolum d. loco.

Saturninus. 479.

SAturninus Antiochenus patria, à quo Saturniani hęretici dicti sunt, fuit tempore Daiani Imp. et Euaristi Papę Anno Domini 118. de quo Eusebius lib. 4. cap. 6. et Niceph. lib. 4. cap. 2. damnatur supra tit. de Coitu hęr. 1. de Creat. hær. 1. de Mundo hęr. 3.

Schismatici. 480.

SChismatici qui fuerint, et quo tempore, dictum est supra suo loco.

Scripturarii. 481.

SCripturarij sunt hęretici nostris temporis sic dicti; quia nullam interpretationem antiquorum patrum suscipiunt; damnantur vt dixi supra ver. Scriptura.

Secun-

Secundus. 482.

SEcundus Valentini, et Ptholemæi hæreticorum discipulus fuit tempore Antonini Pij Imp. et Higini Papæ Anno Domini 150. damnatur per Prateolum lib. 17. c. 17.

Secundus alius. 483.

SEcundus alius Ptholemaidis Episcopus fuit sectæ Arrianæ defensor tempore Concilij Niceni celebrati sub Constantino Imp. et Syluestro Papa Anno Domini 328. in quo cum suis condemnatus fuit.

Secundinus. 484.

SEcundinus Manichei discipulus fuit, floruitque sub Archadio Imp. et Innoc. I. Pont. Anno Domini 405. damnatur in Concil. Aquileiense, et supra de Manicheis dictum est.

Sectarij. 485.

SEctarij sunt hij, qui nostra hac tempestate causæ Christi agendæ, aut verbum Dei propagandi prætextu in hoc toti incumbunt; hoc eorum est totum studium, suam vt gloriam propagent, suum vt verbum pro Dei verbo rudi populo venditẽt; damnantur vt per Prateolum lib. 17. cap. 20.

Seleuciani & Hermiani. 486.

SEleuciani, et Hermiani à Seleucio, et Hermia Galatis originem deduxerunt; à quibus etiam Messalianorũ hæresis exorta est; fuerunt tempore Valentis Imp. et Damasi Pont. Anno Domini 380. de quibus Trip. Hist. lib. 7. c. 11. damnantur vt supra ver. Anima.

Semiarriani. 487.

SEmiarriani, tanquam non pleni Arriani; sed quasi Arriani appellantur: emerserunt temporibus Cõstantij Imp. et Liberij Papæ Anno domini 357. dãnantur in c. 1. Con. 1. Constant.

Semichristiani. 488.

SEmichristiani sunt, qui cum de Christo capite credant, quæ credenda sunt omnia; priuata tamen sua libidine, certis in ritibus ab eius corpore se diuidunt; damnantur vt dictum fuit supra de Luthero, et de alijs eius sequacibus.

Semiluterani. 489.

SEmiluterani dicuntur qui Lutheri placitis sua quædam noua Euangelij prętextu assumunt; damnantur vt per Prateolum d. loco c. 24.

Semiosiandriani. 490.

SEmiosiandriani sunt, qui affirmant contra Osiandrum pro Antosiandrinis, in hac vita imputatiue hãberi hominem iustum vicissimq; contra Antosiandrinos pro Osiãdro affirmant in futura vita oportere hominem eadem iustitia, qua Deus essentialiter iustus est, iustũ re ipsa fieri; damnantur vt per Prateolum dicto loco cap. 25.

Serenus. 491.

SErenus sacras Imagines, ne adorarentur, cõfregit. Nicol. Sand. lib. 7. n. 116.

Sepulcrales. 492.

SEpulcrales negant Christum in anima descẽdisse ad inferos; Nicol. Sand. lib. 7. n. 224. de vis. Mon. Eccl.

Serras

Serras. 493.

SErras fautor Actianæ hæresis fuit tpe Constantij Imp. et Liberij Papæ circa Annũ Domini 363. damnatus fuit in Concil. Constantin. celebrato sub eodem Pontifice.

Sergius Patriarcha. 494.

SErgius Patriarcha Constantinopolitanus Monothelitarum hæresis Princeps fuit, floruitquè Focæ Imp. et Sabiniani Pontificis temporibus circa Annum Domini 604. damnatur, vt dixi supra de Monophysitis.

Sergius Pseudomonachus. 495.

SErgius Monachus primo, sed à Monacatu resiliens in errorem Arrij, atque deinde Nestorij prolassus est; emersit tempore Heraclij Imp. et Honorij primi Romanorum Antistitis circa Annum Domini 630. damnaturu dixi supra de Nestorio.

Serpenticolæ. 496.

SErpenticolæ sunt, qui quondam apud Iudæos serpentem æneũ adorauerunt; de quibus per Prateol. dicitur dicto loco cap. 29.

Seruetiani. 497.

SEruetiani à Michaele Serueto Hispano dicti sunt, qui suam hæresim euomuit Caroli V. Imp. et Pauli III. Pont. tpibus circa Annũ Dñi 1538. dãnantur vt dictũ fuit de Caluino.

Sethiani. 498.

SEthiani vel Sethoitæ à Seth Adæ filio natù tertio dicti sunt, quem Iudæi quidam venerari dicebantur, asserentes, eum de superna

matre natum fuisse, eamque cum superno patre conuenisse, vnde diuinum illud semen nascere tur tanquam filiorum Dei; damnantur in cap. pen. 24. q. 3.

Seueriani. 499.

SEueriani à Seuero quodam Tatiani discipulo sunt appellati; fuerunt tempore Marci Antonini Philosophi Imper. et Sotheri Pont. circa Annum Domini 178. de quibus Ireneus lib. 3. cap. 3. Eusebius lib. 5. cap. 6. Nicephorus lib. 4. cap. 4. Eusebius lib. 4. cap. 26. damnantur cap. pen. 24. q. 3.

Seuerus Episcopus. 500.

SEuerus Antiochenus Episcopus Acephalorum author fuit tẽpore Anastasij Orientis Imp. et Symmachi Pont. circa Annum Domini 494. de quo Damasc. lib. 3. c. 3. Niceph. lib. 16. cap. 29. damnatur vt dixi supra de Acephalis.

Significatiui. 501.

SIgnificatiui sunt hæretici nostri temporis, affirmantes non esse verum Corpus Christi in Cœna Domini; damnantur vt dixi supra ver. Eucharistia.

Simoniaci. 502.

SImoniaci à Simone mago dicti sunt; qui fuit tempore Domitij Neronis Imp. et Petri Apostoli Pontificis circa Annum Domini 55. qui putabant Spiritus sancti gratiam venalem esse, atque spiritualia Dei dona pecunia comparari; de quibus Nicephorus lib. 2. c. 6. damnantur cap. pen. 24. q. 3.

Sist-

Sisinius Episcopus. 503.

SIsinius Nouatianorum sectæ præfuit apud Constantinopolim, Theodosij Iunioris Imperat. et Cælestini Pontific. temporibus, circa Annum Domini 428. de qua Socrates Eccle siasticę Hist. lib. 6. cap. 22. Nicephorus lib. 22. cap. 36. damnatur vt supra de Nouatianis dictum fuit.

Spirituales. 504.

SPirituales sunt hæretici nostri tēporis, sic appellati, quòd se spiritum viuificantem sequi dicant, cęteros carnales appellantes; damnantur vt per Prateol. dicto loco cap. 37.

Stancariani. 505.

STancariani à Francisco Stancaro Mantuano appellantur, sunt hæretici nostri temporis; damnantur vt per Prateolum ibidem c. 38.

Stableri. 506.

STableri sunt, quos supra Baculares nuncupauimus; de quibus vide ibidem.

Stephanus. 507.

STephanus Antiochenus Episcopus secta Arriana infectus sub Constantio Imp. et Iulio I. Pont. Anno Domini 350. de quo Niceph. libr. 9. cap. 23. damnatur vt supra de Arrio dictum est.

Suencfeldiani. 508.

SVencfeldiani sunt ex secta Euangeliorum nostri temporis, pertinentq; ad Antiluteranorum familiam, Casparem Suencfeldium authorem habentes: qui male sentiunt de sacramento

altaris, facientes subiectum ex prædicato, vt sit sensus: Corpus meum est hoc, scilicet Panis, vel cibus; damnantur supra verb. Eucharistia Nicol. Sand. lib. 7. n. 216. de vis. Mon. Eccl.

Symmancus. 509.

SYmmãcus Ebionita, à quo Symmachiani, genere Samaritanus fuit tempore Seueri Imp. et Victoris Papę Anno Domini 196. de quo Eusebius libr. 6. damnatur vt supra de Ebionitis dictum est.

Syncretizantes. 510.

SYncretizantes sunt hæretici nostri temporis ex secunda secta Cõfessionistarum, qui suadent omnibus alijs sectis, vt simulent saltem interea domi pacem, quando veram concordiam inire non queant; damnantur vt per Prateolum lib. 17. cap. 43.

Syrus. 511.

SYrus Alexandrinus, arte Medicus, ex Philosopho Monachus fuit tempore Iustiniani Imp. et Agapiti Papę Anno Domini 540. dãnatur vt per Prateolum lib. 17. c. 44.

Tandemus. 512.

TAndemus hereticus fuit Anno Domini 1124. sub Henrico V. Imp. et Calisto II. Pont. Iste malè sentiebat de Sacramento ordinis, et altaris; damnatur hæc hæresis supra ver. Ordo et ver. Eucharistia.

Tascodrugitæ. 513.

TAscodrugitæ ad Phrygastarum, seu Montanistarum sectam pertinent: emerserunt tempo-

tempore Commodi Imp. et Sotheri Pont. Anno Domini 281. damnantur vt supra de Montanistis dictum est.

Tatiani. 514.

TAtiani à Tatiano Iustini martyris et Philosophi discipulo dicti sunt; emerserũt tpe Marci Antonini Philos. Imp. et Soteri Pont. Anno Domini 173. Isti inter alias hæreses carnes abhominantur; damnantur autem expresse cap. pen. 24. q. 3.

Templarij. 515.

TEmplarij, seu templaris militiæ ordo, cæpit Anno Domini 1120. sic nuncupantur, quòd iuxta templum Domini Hierosolymis, in palatio regio à prima eorum institutione mãsionem haberent, de quibus Gulielmus in sacra Hist. lib. 12. cap. 7. damnantur vt per Prateolum lib. 18. cap. 4.

Tertullianistæ. 516.

TErtullianistę à Tertulliano Aphricanę Prouinciæ presbitero ciue Cartaginensi vocantur; fuerunt tempore Alexandri Seueri Imper. et Pontiani Pont. Anno Domini 228. dicebant animam inmortalem esse, sed corpoream, hoc est animam filij fieri, per traducem ab anima Patris, quemadmodum corpus ex corpore propagatur; damnantur cap. pen. 24. q. 3.

Tetraditæ. 517.

TEtraditæ ad Seueritarum familiam spectãt; qui emerserunt tempore Mauricij Imper. et Pelagij II. Pont. Anno Domini 599. de qui-

bus Niceph. lib. 18. c. 49. damnantur supra tit. de Anima hær. 4.

Tessarescædecatitæ. 518.

TEssarescædecatitę (quos supra Quatuordecimanos, seù Paschatitas nuncupauimus) ideo dicti sunt, quia quartadecima luna Pascha cum Iudæis obseruando contendunt; damnantur expresse c. pen. 24. q. 3.

Thaboritæ. 519.

THaboritæ fuerunt Bohemi quidã, hoc nomine appellati à loco quodam, quem mœnibus cingentes nomen Thabor illi indiderũt. Horum dux fuit Zischa Ioannis Husi erroribus infectus; de quibus Siluius lib. 4. de Orig. Bohemorũ; damnatur, vt dictum fuit supra de Ioanne Husso. Exorti sunt autem Thaboritæ sub Sigismundo Cæsare Germano, et Ioanne XXIII. Summo Romanorum Pont. circa Annum Domini 1411.

Thebutes. 520.

THebutes, quem alij Thebulim vocant, vnus fuit ex septem hæreticis primitiuę Ecclesiæ, de quibus Eusebius Cæsar. lib. 4. cap. 18. tempore. T. Claudij Imp. et Petri Apost. Pont. Anno Domini 40. damnantur vt per Prateol. lib. 18. cap. 9.

Theodorus. 521.

THeodorus Mopsuestiensis Episcopus fuit Ebionista, et Nestorianus tempore Zenonis Imp. et Simplicij Papę Anno Domini 476. damnatur in V. Synodo Constantinopolitana.

Theo-

Theocatagnostæ. 522.

THeocatagnostę in Deo et Sanctis nonnulla reprehendunt; damnantur per Nicol. Sand. lib. 7. n. 124. de vis. Mon. Eccl.

Theodoribus. 523.

THeodorichus Rex Ostrogotthorũ fuit secta Arrianus sub Zenone Imp. et Gelasio Papa Anno Domini 485. damnatur vt supra da Arrianis dictũ est, de quo Niceph. lib. 16. c. 23.

Theodosiani. 524.

THeodosiani à Theodosio quodam Monophysitarum hæresis principe, et à Seueritis Alexandriæ Papa creato, appellantur. Floruit autem is tempore Mauricij Imp. et Pelagij Papæ Anno Domini 592. de quibus Niceph. lib. 18. c. 48. Isti ex duabus vnam tantùm naturã Christi asseuerant; damnantur c. pen. 24. q. 3.

Theodotus. 525.

THeodotus Byzantius, à quo Theodotiani hæretici dicti sunt, arte quidẽ Coriarius, fuit tempore Heliogabali Imp. et Vrbani I. Papæ Anno Domini 221. fuit secta Montani hæretici, qui damnatur supra vt de Montano dictum est.

Theodotion. 526.

THeodotion Ephesius patria Marcionis sectator temporibus Pertinacis Imp. et Victoris Papæ circa Annum Domini 193. damnatur vt supra de Marcionistis dictum fuit.

Theognis. 527.

THeognis Niceę Ciuitatis Episcopus Arrianus secta vixit sub Constantino Magno Imp. et Syluestro Pont. Anno Dñi 328. de quo Niceph. lib. 8. c. 18. damnatur vt supra de Arrianis dictum fuit.

Thenotopsychitæ. 528.

THenotopsichitę dicunt animam hominum mortalem; damnantur à Nicol. Sand. lib. 7. n. 123. de visib. Mon. Eccl.

Theonas. 529.

THeonas Marmaricēsis Episcopus secta Arrianus fuit tempore Constantini Magni et Syluestri Papæ Anno Domini 330. de quo Eusebius lib. 4. c. 19. Niceph. lib. 8. c. 24. damnatur vt supra de Arrio dictum fuit.

Theopaschitæ. 530.

THeopaschitæ sunt ij, quos Monophysitas, supra nominauimus; exorti sunt tempore Zenonis, et Anastasij Imp. et Hormisdæ Papæ Anno Domini 513. damnantur in V. Synd. Const. Act. 1.

Theophronius. 531.

THeophronius Cappadox, et Eupsychius sectæ Eunomianæ adprimè studiosi fuerūt tempore Valentiniani Imp. et Liberij Papæ Anno Domini 368. de quo Niceph. lib. 11. c. 11. damnatur, vt supra de Eunomio dictum est.

Thomas Manichæus. 532.

THomas Manichęus vnus fuit ex tribus illis Manetis sectatoribus, quem ad sua dogma

ta

ta euulganda ad Indos misit, Aureliani Imp. et Felicis Papæ temporibus Anno Domini 273. Niceph. lib. 6. c. 32. damnatur vt supra de Manicheis dictum est.

Timotheus Ælurus. 533.

TImotheus cognomento Ælurus, à quo Timotheani hæretici sunt appellati, Nestorianæ hæresis propugnator vehementissimus fuit, professione quidem primò monachus, deinde presbiter factus, per impostu ram episcopatus Alexandrini violentus occupator, sub Leone I. post Martianum Orientis Imperatore, et Leone huius nominis itidèm Primo, doctrina, et eloquio insigni Romanorum Pontifice, circa Annum Domini 460. Damnatur vt per Prateolum lib. 18. cap. 22.

Timotheus Apollinaris hæretici discipulus. 534.

TImotheus Apollynaris hæretici, de quo supra in Apollinaristis egimus, discipulus fuit, prophanus quidem ille, et ineruditus, vixitq; Valentiniani Imp. et Damasi I. temporibus Anno Domini 377. de quo Niceph. lib. 12. cap. 4. damnatur supra verb. Appollinaristæ.

Tophetitæ. 535.

THophetitæ ab ara, quam Tophet nominabant apud Iudæos Idolatræ quidam, quę interpretata Tympanum, seu seductio dicitur, sunt appellati; qui damnantur pro vt in Prateolo dicto loco cap. 23.

Trinitarii

Trinitarij. 536.

TRinitarij secta Antiluterani sunt, qui sacro sanctam ore blasphemo violant Trinitatẽ, qui damnati sunt olim ante annos 1324. in Concilio Nicæno, et in cap. pen. 24. q. 3. et in Bulla Cœnę Domini ver. Trinitarios.

Trisacramentales. 537.

TRisacramentales sunt, qui tria tantum sacramenta recipiunt, videlicet Baptismũ, Cœnam Domini, et Absolutionem; sunt autem hęretici nostri temporis damnati, vt supra de alijs sacramentis dictum est.

Troglodytæ. 538.

TRoglodytæ apud Iudæos quondam dicebãtur, qui in speluncis habitantes abditis, Idola colebant, abhominationesque execrandas operabant; damnantur autem, vt per Prateolum lib. 18. c. 27.

Tropistæ. 539.

TRopistæ sunt, qui hoc nostro seculo aiunt figuram tantùm Corporis Domini esse in Cœna, non autem verum corpus; damnantur vt supra de Eucharistia dictum est.

Turilupini. 540.

TVrilupini fuerunt tempore Caroli IIII. Imp. et Gregorij XI. Papæ Anno Domini 1372. damnantur vt dixi supra verb. Verecundia hær. 1.

Vadiani. 541.

VAdiani sunt ij, quos Antropomorphitas supranominauimus, à suæ hæresis nomine de

denominationem sortiti; qui exorti sunt Theodosij Imp. et Syricij Papę Anno Domini 395. dicunt Deum esse corporeum; damnantur vt supra ver. Deus hær. 2.

Valesii. 542.

VAlesij à Valente quodam Arabe dicti sunt; de quibus Epiphanius lib. 2. vol. 1. contra hæreses: exorti sunt autem sub Seuero Imp. et Victore Papa Anno Domini 198. damnantur vt supra tit. de Eunuch. hęr. 1.

Valens Imperator. 543.

VAlens frater Valentiniani Imp. sub Damaso Papa Anno Domini 378. lapsus est in hęresim Arrij, quæ damnatur vt supra de Arrio dictum est.

Valens Mursię, & Vrsicius Singidonis Episcopi. 544.

VAlens, et Vrsicius Pănonię Episcopi Arriani extiterunt tempore Constantij Imp. et Iulij I. Papæ Anno Domini 343. quos damnauit Concilium Ariminense: de quibus Niceph. lib. 9. cap. 13.

Valentiniani. 545.

VAlentiniani à Valentino quodam hęretico appellati fuerunt tempore Antonini Pij Imp. et Hygini Papæ Anno Domini 150. de quibus Niceph. libr. 4. c. 3. Hic dixit Christum de Virgine nihil corporis assumpsisse; sed per eam, quasi per fistulam transijsse asseruit, damnantur expresè c. pen. 24. q. 3.

Valen-

Valentiniſtæ. 546.

VAlentiniſtæ à Ioanne Valentino Gentili Neapolitano Pędagogo dicti ſunt, et hęretici noſtri temporis; damnantur, vt per Prateolum lib.19.cap.6.

Varimandus. 547.

VArimandus dicit perſonas inęquales in diuinis Alph.de Caſtro tit.de Deo hęr.6.

Vbiquetii. 548.

VBiquetij ideo dicti ſunt, quòd vbiquitatem corporis Chriſti fingunt, dicentes Chriſtum ſecundum corpus etiam in inferno adeſſe preſentem; damnantur per Prateolum lib.19.cap.7. ſunt.n. hæretici noſtri temporis.

Venuſtiani. 549.

VEnuſtiani ſunt ij, quos ſupra Paternianos nuncupauimus; damnantur vt ſupra ver. Caro.hær.1.

Vergerius. 550.

VErgerius hæreticus noſtri temporis in Polonia ſub Ferdinando Imp.et Paulo IIII. Papa Anno Domini 1557. accerrimus Lutheranæ, et Brentianæ hereſis propugnator fuit, et Papatus vehemens inſectator, qui damnatur per Prateolum lib.19.c.9.

Vigilantius. 551.

VIgilantius, quem Dormitantium vocat Hieronymus, Gallus fuit genere, conditione autem Barchinonenſis Eccleſiæ Presbiter tempore Archadij Imp.et Anaſtaſij Pont. Anno Domini 402. damnatur ſupra ver. Sancti hęr.1.

Vitalis

Vitalis. 552.

VItalis Antiochenus, seu Antiochensis Episcopus Apollinaris Laodiceni hæresis sectator fuit, Valentis Imp. et Damasi Pont. temporibus Anno Domini 378. de quo Niceph. lib. 11. cap. 12. et Arrianus; damnatur vt supra de Arrio dictum fuit.

Vncti. 553.

VNcti sunt hæretici nostri temporis, doctis viris non credunt; damnãtur à Nicol. Sand. lib. 7. n. 230. de vis. Mon. Eccl.

Vualdenses. 554.

VValdenses ab Vualdone quodam ciue Lugdunensi dicti sunt Friderici I. Imp. et Alexandri III. Pont. Anno Domini 1160. damnantur cap. pen. de hęret. et supra verb. Baptismus hær. 1. et pluribus alijs in locis.

Vuiclephius. 555.

VViclephius in Anglia suam hęresim dissemi nauit sub Carolo IIII. Imp. et Innocẽtio VI. Papa Anno Domini 1352. dixi supra de Ioanne Vuicleph.

Vuelfgangus. 556.

VVelfgangus musculus malè sentit de Sacramento Eucharistiæ; damnatur à Nicol. Sand. lib. 7. nu. 212. de vis. Mon. Eccl.

Xenaias. 557.

XEnaias Persa fuit natione, Calcedonẽsis Synodi insectator tpe Anastasij 1. Imp. et Simmachi Pont. Anno dñi 494. de quo Niceph. lib. 16. c. 27. dãnatur vt supra de Vtiche dictũ est.

Zeno

Zeno Imp. 558.

ZEno Imp. Isauricus Leonis Imperatoris Gener Imperium sortitus est circa Annũ Domini 476. summum Romanæ sedis Pontificatũ agente Symplicio Tiburtino, de quo Egnatius venetus lib. 2. de Romanis Principibus, et Nicephorus lib. 16. c. 1. Euthichetis, et Dioscori, qui vnam Christo tribuebant naturam, hæresi infectus; quę hęresis damnata est in Calcedonensi Concilio, vt dictum fuit supra de Euthichite, et Dioscoro.

Zuinglius. 559.

VDalricus Zuinglius Canonicus Constantiensis vnà cum Ioanne Oecolampadio, et Andręa Carolstadio Berengarij errorem renouauit, qui aiebat, In participatione Cœnę Dominicæ non distribui verum corpus, et Sanguinem Christi, sub Imperio Caroli V. et Clementis VII. Pontificatu. Qui damnatur supra ver. Missa hęr. 2. et expressè in Bulla cœnę Domini emanata à S. D. N. Papa Gregorio XIII. hoc anno 1580. ver. Zuinglianos.

Talis

Talis igitur est origo hæresum, quales fuerunt opiniones illorum, qui in hoc grauissimum crimen inciderunt; quibus addo infrascripta videlicet.

ANTICHRISTVS.

BVllingerus hęreticus asseuerans dicit, nullum olim Antichristum in orbem esse venturũ pręter eũ, qui iã in ępis Romanis aduenit.

Contra facit primo Ioannes. 5. de Antichristo loquens dixit: Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis; Iudæi ergò accipient Antichristum: at quis ignorat Iudæos nondum accepisse Romanum Pontificem, nec ei credidisse? Secundo quia ille Antichristus erit vnus Princeps, et dux aliorũ Antichristorum: Pontifices autem Romani fuerunt plusquam ducenti; non ergò Romanus Pontifex est Antichristus 2. Thes. 2. vbi extollet se super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur. Non potest ergò fieri, vt plures consortes habere se fateatur, qui eodem modo sese efferat. Tertio faciunt quæ dixi supra ver. Papa in 1. p. Quarto quià Antichristus non aduenier, nisi deleto Imperio Romano: quod quidẽ Imperium adhuc vigere nullus est qui dubitet. Quinto quià Antichristus veniet cum fuerit prædicatum euangelium omni creaturæ Mat. 24. ibi Prædicabitur Euangelium Regni in vniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consumatio; cum ergo videritis abhominatio-

nem et c.at Euangelium nondum per totum orbem esse prædicatum demonstrabitur infra in p.3. Sexto quià Antichristus veniet in consumationem seculi non ante, Mat.24. Ibi tunc veniet consumatio: cum ergò videritis abhominationem desolationis stantem in loco sancto, qui legit intelligat. Septimo quia iste circumcidetur, sabbatum ritumq; Iudæorum celebrabit. Octauo Antichristus negabit Christum incarnatum fuisse, quod tamen Romanus Pontifex non facit: Proprium.n. Antichristi est, vt neget Christum in carne veniſſe. Nono quià Antichristus dicet se esse Christum; quod Pontifex non facit, sed asserit se Vicarium eius tantum. Decimo quià Antichristus finget se mori, ac resurgere, et alia opera Christi facere, quæ Pontifex non facit Apocal.3. ibi Vidi vnũ de capitibus bestiæ quasi occisum in mortem, et plaga mortis eius curata est. Vndecimo Antichristus extollet se supra Deum: Pontifex autẽ dicitur seruus seruorum Dei, et minister eius. Antichristus autem dicit se Deum esse.2.Thes. 2.ibi Sequè ipsum extollet supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Duodecimo Antichristus faciet miracula in nomine proprio, et arte magica; Pontifex autem in nomine Christi, et sic non vt Deus, sed tãquam eius minister. Tertiodecimo Papa non intelligit ænigmata: Antichristus autem sic, Daniel. 8. ibi Cum creuerint iniquitates, consurget Rex impudens facie, et intelligens propositiones,

seù

seù ænigmata; Quartodecimo quòd Papa non sit Antichristus; quià Enoch, et Elias nondum restiterunt Papæ, qui tamen Antichristo resistent, cum is aduenerit Malach. 4. Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, et horribilis; et conuertet cor Patrum ad filios, et cor filiorum ad Patres, ne forte veniam, et percutiam terram Anathemathe, et Mar. 3. Elias cum venerit primò restituet omnia. Quintodecimo Hæretici, qui sunt exercitus Antichristi, non pugnant pro Papa, sed potius contra illum Daniel 11. Et veniet in multitudine magna, vt conterat, et conficiat plurimos Luc. 21. Cum videritis circumdari ab exercitu Ierusalem, et tunc scitote, quià appropinquauit desolatio eius. Sextodecimo Papa non persequitur Sanctos, sicuti facit Antichristus. Daniel 7. Tradentur in manus cornu populi (hoc est Antichristi) et Sanctos altissimi conteret, et Apocal. 20. Datum est illi bellum facere cum Sanctis, et vincere eos. Decimoseptimo Papa tuetur, et colit Eucharistiã, quam abhominatur Antichristus Daniel. 9. In dimidio hebdomadis deficiet hostia, et sacrificium, et erit in templo abhominatio desolationis. Decimooctauo Papa non habet nomen quod contineat. 666. Pro vt habebit Antichristus Apocal. 13. ibi Nisi quis habeat caracterẽ nominis bestiæ, aut nomen, aut numerum nominis eius. Hic sapientia est, qui habet intellectum computet numerũ bestiæ; numerus.n.

nominis est, et numerus eius sexcenti sexaginta sex. Decimonono Antichristus regnabit breue tempus, Pontifex autem multo diutius præfuit in Ecclesia Dei; de Antichristo Daniel. 7. Sanctos in manu Antichristi tradendos per tẽpus. i. vnum annũ, et tempora. i. annos duos, et dimidium temporis. i. sex menses. Alias rationes adducit Nicol. Sand. de visib. Monarchia Ecclesiæ lib. 8. c. 49. et seq. in hæreticos igitur propriè quadrant, quæ dicta sunt de Antichristo, non in summum Pontificem, vt docet Turrianus lib. 3. c. 17. aduers. Magdeburgenses.

Testamentum.

VNcti Hęretici in comitatu Anglię orti Anno 1570. dicunt testamentum nouum totum rerum futurarum prędictionem esse; ideò Christum antè diem Iudicij rediturũ affirmãt.

Contra facit, quià licèt multa in testamento nouo res in Cœlo futuras pronuncient; non tamen omnia ad res futuras debẽt referri: Christus autem non redibit, nisi ea forma, qua Apostoli viderunt eum euntem in Cœlum. Act. 2. hoc autem fiet in fine, vt destruat Antichristũ illustratione aduentus sui 2. Thes. 2.

Remissa peccata.

DIcunt etiam cui remissa sint peccata, eum non peccare iterum.

Contra facit primo Apoc. 2. Charitatem tuã primam reliquisti: memor esto itaq; vnde exciderís, et age pœnitentiam, et 2. Pet. 2. Post agnitam viam Iustitiæ quidam dicuntur retrorsum con-

conuersi, veluti canes ad suum vomitum.

Doctores.

DOctis quoque viris omnem prorsus fidem abrogant. Contra facit Daniel. 12. Qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Secundo facit c. fin. de Magistr.

Interpretatio.

BRentius, et kemnitus hæretici docuerunt vnicuique licere, vnum quemquam tenere interpretari doctrinam cuiuscumque Doctoris, aut Concilij etiam Oecumenici, nec aliter eam sequi debere, quàm si ipse iudicauerit eam cum Euangelio consentire.

Contra facit primo Prou. 18. Quis.n. prius respondet, quàm audiat? Secundo Ioann. 5. Sicut audio (inquit Christus) iudico, et iudicium meum est iustum. Tertio ad Romanos 10. Secundum auditum fidei iudicare debet, qui de fidei causa iudicat: audire autem oportet non modo Christum Mat. 17. sed et discipulos eius Luca 10. et pastores, et doctores Ecclesię Paulus ad Ephes. 4. et Ecclesiam ipsam Mat. 18. præcipuè in Concilijs generalib. Act. 15. et tradit. Apost. 2. Thes. 2. communemque vsum populorum 2. Cor. 3. Labia.n. sacerdotum custodiunt scientiam Malac. 2. ne circumferamur omni vento doctrinæ ad Eph. 4. nec doctrinis varijs, et peregrinis patiamur abduci 1. Cor. 13. Quarto facit Concil. Trid. sess. 4. et Bulla Pij Quarti de

professione fidei, et in Bulla super Confirmatione Concil. Trid.

Petrus.

PEtrus non fuisse Romę asseuerant Functius et Molinœus hæretici.

Contra facit quod tenetur in sermone Leonis Papæ in natiu. Apost. Petri, et Pauli ibi Isti .n. sunt viri, per quos tibi Euangelium Christi Roma resplenduit, et quæ eras Magistra erroris, facta es discipula veritatis Nicol. Sand. de vis. Monar. Eccl. n. 228. et lib. 6. cap. 10. facit. 1. Petrus. 5. ibi Salutat vos Ecclesia, quę est in Babylone collecta, et Marcus filius meus, vbi per Babylonē intelligitur Roma, latissimè ibidem per Sanderum in d. cap. 10. Eusebius lib. 2. cap. 14. Hieronymus in Catalogo verb. Marcus, Tertullianus lib. aduer Iudæos; Irenęus lib. 3. cap. 3. Tertullianus de præscrip. aduers. hæret. Cyprianus ad Cornel. lib. 1. Epist. 3. Athanasi in Apologia de fuga sua, Lactantius de vera sapientia lib. 4. c. 21. Amb. lib. 5. Epist. 32. Hegesippus lib. 3. cap. 2. Optatus lib. 2. de schismate Donatistarum, Chrysost. in Psal. 48. Orosius lib. 7. cap. 6. Maximinus Taurinensis in homel. 5. in nat. Apost. Sulpitius in sacra hist. lib. 2. Aug. de consensu Euangel. lib. 1. cap. 10. et contra literas Petiliani lib. 2. cap. 51. Theodoretus in Psal. 116. Gregorius magnus lib. 6. Epist. 37. et Greg. Turon. lib. c. 25.

Care-

Cæremoniæ, & Ritus.

ADioforisti hæretici dicunt cæremonias, et ritus Ecclesię res indifferentes, quas siuè serues, siuè violes, nihil te peccare.

Contra facit primo Reg. 15. Melior est obedientia quàm victimæ; quoniam quasi peccatũ ariolandi est repugnare, et quasi scelus Idolatriæ nolle acquiescere. Secundo Roman. 14. Quæ pacis sunt sectemur, et quę ędificationis sunt in inuicem custodiamus. Tertio facit Bulla Pij IIII. de profess. fidei ibi Receptos quoq; et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus etc.

Inferi.

INfernales hæretici dicunt, Christum descendisse vsq; ad locum damnatorum, et ibi æternos cruciatus in anima perpessum esse.

Contra facit 1. Colos. ibi Pacificauit per sanguinem crucis suæ siuè quæ in terris, siuè quæ in cœlis reconcilians nos in corpore carnis eius per mortem; nihil igitur pœnarũ ob reconciliationem hominum remansit subeundũ post mortem: nam in cruce dixit Consummatũ est, significãs dolores finitos esse, quos redemptionis nostræ causa perferendos assumpserat; alioquin reconciliatio fieret non in corpore carnis Christi; sed in anima separata à corpore, quod falsum est. Secundo Luc. 23. Hodie mecum eris in Paradiso; qui locus voluptatis est, et gaudij; non ergò postquam expirauit æternos cruciatus passus est.

Limbus.

SEpulcrales hæretici negant Christum in anima descendisse ad inferos, seù ad limbum Patrum, et Beza negat limbum Patrum fuisse.

Contra facit Ignatius in Epist. 2. ad Trallianos ibi Christus descendit ad inferos solus, ascẽdit verò cum multitudine, et quadraginta dies conuersatus est cum Apostolis, August. Epistol. 57. et 99. ibi Quis nisi infidelis negauerit fuisse apud inferos Christum? Secundo facit sym. Apost. ibi Descendit ad inferos; vndè inferos non possumus interpretari Sepulcrum, cum ponantur diuersa, et separata.

Fœminæ.

CHristophorus Goodmannus hęreticus dixit primò non licere mulieribus ad gubernacula Reip. alicuius sedere; secundò reuoluto mantello dixit, mulierem non tantum regnare potuisse; verum etiam supremam Ecclesiæ gubernatricem in omnibus causis, etiam spiritualibus esse posse, vt est Regina Angliæ.

Contra primum facit primo num. 27. Homo cum mortuus fuerit absque filio, ad filiam eius transibit hæreditas. Secundo Iudic. 4. Ascendebantq; ad eam filij Israel in omne iudicium. Tertio 4. Reg. 11. Athalia prefuit annis ferè septem, et post captiuitatem Babylonicam Alexandra regnauit annis nouem, vt tradit Ioseph us in Antiq. iud. lib. 13. cap. 24.

Contra secundum verò, quo dicitur mulierem posse esse supremam gubernatricem Ecclesiæ

cleſiæ etiam in ſpiritualibus, dixi ſupra ver. Abſolutio hær. 2. ver. Papa ver. Sacramenta verb. Mulier. ver. Layci.

Seculares.

SAmpſon hæreticus docet Reges, et Principes, omnesque alios dominos ſeculares preeſſe rebus Eccleſiæ etiam in ſpiritualibus; cuius opinio damnatur latiſsimè per Nicol. Sand. lib. 8. de viſ. mon. Eccl. nu. 220. et lib. 2. cap. 2. et ſeq.

Contra facit primo 2. Paral. 26. ibi Cũ Ozias Rex adolere vellet incenſum ſuper altare thymiamatis, ſtatim ingreſſus poſt eum Azarias Sacerdos, et cum eo ſacerdotes Domini reſtiterunt Regi, atque dixerunt: Non eſt tui officij Ozia, vt adoleas incenſum Domino; ſed Sacerdotum, hoc eſt filiorum Aaron, qui conſecrati ſunt ad huiuſmodi miniſterium. Secundo facit 2. Paral. 19. vbi Ioſaphat Rex Iuda, vtramque poteſtatem diſtinguens, dicebat ad Leuitas, et Sacerdotes; Amarias Sacerdos, et Pontifex veſter in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit; porrò Zabadias filius Iſmael, qui eſt Dux in domo Iuda ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent. Tertio Poteſtas Principis ſecularis non attingit animam Mat 10. ibi Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animã aũt occidere non poſſunt. Poteſtas autem Sacerdotis pertinet ad ipſam dicente Mat. 18. Quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta et in Cœlo, Chryſoſtom. de verbis Eſaiæ Homil. 4.

Quarto

Quarto facit ratio, si Princeps secularis esset capax iurisdictionis ecclesiasticæ, sequeretur, quòd mulier, et infans cum possint esse Principes, possent quoque esse Sacerdotes, quod est absurdum, et falsum, cum prohibeantur docere, et sacramenta administrare; Docere (inquit Apost. 1. Timoth. 2.) mulieri non permitto: turpe est. n. mulieri loqui in ecclesia, et de puero dicitur, heredem paruulum nihil differre à seruo. Non est autem ecclesiastici moris, vt qui seruus adhuc manet, minister Ecclesiæ fiat. Quinto Apostolis, et Sacerdotibus dictũ fuit, eos esse dispensatores Mysteriorum Christi, non autem Principibus secularibus. Sexto Leuit. 6. ibi Si Sacerdos, qui vnctus est peccauerit, delinquere faciens populum suum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino: quòd si omnis turba filiorum Israel per imperitiam fecerit, quod contra mandatum Domini est, et postea intellexerit peccatum, offeret pro peccato suo vitulum: si peccauerit Princeps, et fecerit vnum è pluribus per ignorantiam, quod Domini lege prohibetur, et postea intellexerit peccatum suum, offeret hostiã Domino hircũ de capris immaculatum; quod si peccauerit anima per ignorantiam de populo terræ, offeret capram immaculatam; vbi apparet manifestè distinctio Sacerdotis ab alijs. Septimo facit Psal. 104. ibi Nolite tãgere Christos meos; vbi intelligitur de Sacerdotibus. Octauo facit ratio, quia quod minus est, à maiore

iore benedicitur Hebr. 7. Aaron autem extendens manum ad populum benedixit ei, Leuit. 9. maior ergò erat Aaron, quam Populus; Ideò sicut Populus ante Regem, sic sacerdos vnctus ante populum collocatur, et licèt Salomon benedixerit populo 3. Reg. 8. hoc non fecit ex regio sed ex prophetico munere. Nono Psal. 2. ibi Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram; seruite Domino in timore; apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via iusta:

Si ergò Regum est erudiri, est etiam illorũ eatenus subesse; qui.n. eruditur, à magistro aliquo eruditur, et fit illi discipulus, à quo eruditur; discipulus autem non est supra magistrũ suum Mat. 10. Cum igitur Apostolis dictum sit, Ite docete omnes gentes Mat. 28. sequitur quòd etiã Reges docere debeant. Decimo Isaiæ 49. Vbi Isaias prędixit Reges fore nutritios Ecclesię Christi, et vultu in terram demisso adoraturos illam, et mox subiungit, Scias, quià ego Dominus; vbi apparet ministros Christi maiores quolibet Rege. Vndecimo ad Ephs. 4. ibi Nam Deus alios constituit Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores, et doctores in ædificationem mystici sui corporis, quod est Ecclesia; alios verò constituit velut oues, et Agnos, qui per Pastores, et doctores suos ædificarentur, et quibus Pastores attenderent, ne circumferrentur omni vento doctrinę, per astutiam hominum; Reges autem

tem sunt tanquam oues, et Christi greges sunt, non ergò Pastores, et Sacerdotes. Duodecimo nihil in nouo testamento reuelatum est de Principum potestate, quàm vt dentur Cæsari, quę sunt Cæsaris Mat. 22. vt tributa scilicet soluantur, vt pro Regibus oretur 1. Tim. 2. non autem, vt in rebus spiritualibus aliquam authoritatem habeant. Tertiodecimo facit com. opinio doctorum Ambr. libr. 10. Epist. 78. Chrysost. libr. 3 de Sacerd. Aug. in Psal. 98. Greg. in 1. Reg. lib. 4. cap. 4. Procopius Gazeus in Leuit. Theod. in Leuit. q. 1. Philo. in lib. de victimis, Chrysost. ver. Isaiæ Homil. 4. Quartodecimo faciunt quę dixi supra 1. p. ver. Sacerdotium. Quintodecimo facit ratio, quià quemadmodum est homo terrenus, et homo cælestis; ità etiam est regnum terrenum, et regnum cæleste. Homo terrenus est Adam, qui de terra factus est; homo cælestis est Christus Dei filius 1. Cor. 13. regnũ terrestre illud est, quod homines de terra facti per consensum humanũ Principi suo detulerunt; cæleste autem regnum est illud, quod Christus in terra stabiliuit; dum homines terrenos fide, spe, et charitate donatos in nouã creaturam gratiæ suæ potentia conuertit, et membra sua effecit; vndè in his, quæ terrena sunt, constituuntur Reges: in his verò quæ sunt spiritualia, Sacerdotes, quibus Reges parere debent; de quibus dicitur. Qui vos spernit me spernit; qui vos audit me audit Luc. 10. Decimoseptimo quià Christus est prorsus

ſus omnium hominum Rex, quià quod in vno quoq; genere pręcipuum eſt et digniſsimum, id per naturæ vim cæterarum eiuſdem generis rerum caput eſt, et principium, vnde dicitur Rex Regum, et Dominus Dominantium. ideo Chriſtiani non aliũ Regem ſibi eligere debent, quàm eum qui ſit Chriſtianus. Deut. 17. ibi Cũ dixeris conſtituam ſuper me Regem, ſicut habent omnes per circuitum nationes, eum conſtitues, quem Dominus Deus tuus elegęrit de numero fratrum tuorum; non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non ſit frater tuus: per fratrem verò intelligimus eum, qui ſit fidelis, et Chriſtianus: ex quo ſequitur Chriſtianum Regem, qui populis chriſtianis præeſt, miniſtris Chriſti ſaltem in his, quę ad fidem, religionemque pertinent, etiam ſub pœna Regni amittendi ſubeſſe debere Daniel. 7. Regnum, et poteſtas, et magnitudo regni, quæ eſt ſubter omne cœlum detur populo Sanctorum Altiſsimi, cuius regnum regnum ſempiternum eſt, et omnes Reges, ſeu poteſtates ſeruient ei, et obedient. et Iſaiæ 60. Ædificabunt filij peregrinorum muros ſuos, et Reges eorũ miniſtrabunt tibi, et venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, et adorabunt veſtigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi; pręterea ſi Chriſto Chriſtiani Reges obedire tenentur, et Sacerdotibus etiã, de quibus ipſemet dixit Ioan. 20. Sicut miſit me Pater, et ego mitto vos; præterea vt animalis

homo

homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei 1.Cor.2.sic neque secularis potestas moderatur, et gubernat ea, quæ sunt Spiritus Dei. Nam etsi Reges præsunt membris Christi, nempè fidelibus, hoc fit respectu secularium negotiorum, quibus vocant: præterea membra Christi Rege carere possunt, prout aliquando caruerunt; nam vsque ad regnum Saul per tria ferè annorum millia Rege terreno caruerunt; Pastore autem nunquam caruerunt; quià semper fides ex auditu, auditus autem per verbũ Christi Rom. 10. qui autem verbum Christi prædicauerunt, ij fuerunt Apostoli, et Pastores gregis. Decimooctauo Ier.2. Ecce dedi verba mea in ore tuo. Ecce constitui te hodie super gentes, et super Regna, vt euellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes; quæ verba in Christi personam cadũt, et in eius ministros sacerdotes. Non obst. quod obijciunt hęretici Ioan. 18. Regnum meum non est de hoc mundo: ergò inferunt ipsi, ministri Ecclesiæ in Reges Christianos nullam prorsus iurisdictionem habent; Nam Resp. primo quod ibi per mundi nomen intelligitur peccatum; sicuti illud Ioan. 15. De mundo non estis; alioquin mundus quod suum est amaret: sed ego elegi vos de mundo: secundo Resp. quod per hoc non negat creaturas sibi subiectas esse; sed negat eius regnum hinc esse, idest ex hoc mundo. Vndè August. d. cap. 18. super Ioan. dixit Christum dixisse non quidem regnum meum

non

non est hic, sed non est hinc; In mundo quippe est, de mundo non est, sed de cœlo. Item non obst. quod obijciunt, nullam datam esse potestatem Ecclesiæ coercendi, et remouendi Reges. Resp. per Ezech. 34. ibi Pastori dictum est, vt quod infirmum est consolidet, quod ægrotum est sanet, quod cõfractum est alliget, quod abiectum reducat, quod perierat quærat; modò cum austeritate, et potentia non imperet, et 1. Cor. 6. An nescitis quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt? et si in vobis iudicabitur mũdus, indigni estis qui de minimis iudicetis? nescitis quoniam Angelos iudicabimus? quanto magis secularia? Decimonono facit 2. Reg. 19. vbi Elias vnxit Asael Regem super Syriam, et Iehu Regem super Israel, et Elisęum vnxit in Prophetam pro se ea conditione vt qui fugisset manus Asael, occideret eum Iehu, qui autem fugisset manum Iehu, interfeceret eum Elisęus; qua figura denotantur plures potestates in Ecclesia Dei, vt quod per vnã non fit earũ, per alterã fiat. Vigesimo 4. Regum 2. ibi Scimus. n. et duos vrsos de saltu egressos laceraſſe quadragintaduos ex eis pueris, qui Elisęo illudebant: Omnis. n. creatura in vindicandam iniuriam factam Sacerdoti insurgit. Vigesimo primo facit 3. Reg. 11. vbi tota Regis causę cognitio penès vnum Pontificem Ioiadam' extitit: non. n. est minor authoritas pontificalis noui Sacerdotij, quàm tunc fuerit veteris; immo est longè prętantior 2. Cor. 3. et 4. et Act. Apost.

5. vbi

5. vbi Petrus Apostolus vita priuauit eos, qui noluerunt obedire mãdatis eius. Vigesimosecũ do facit illa distinctio. Sanctorum Patrum Sacerdotij, et regni. c. duo sunt 96. Dist. Non obst. quòd in veteri testamento Reges prę scripserint Sacerdotibus, quid in rebus Ecclesiasticis agere deberent: Nam Resp. quod hoc in nouo testamento non conuenit, cum mutata sit ratio regiminis; nam in nouo testamento non litera, sed spiritu exercetur 2. Cor. 3. illic regnauit seruilis timor Dei, et gladius corporeꝰ, hic autem amor intimus, et gladius spiritualis. Inconueniens. n. est vt regnum cœlorum, quod est Ecclesia, seruitutem patiatur. Non obst. etiam quod Moyses præceperit, et fuerit Princeps Leuitarum, et Sacerdotum; nã Resp. quod quę gesit Moyses spectantia ad Sacerdotes, nó vt Rex, sed vt Propheta, et Sacerdos Dei, Psal. 98. ibi Moyses, et Aaron in Sacerdotibus eius, et Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius: et sic vbicumque reperitur quod aliquis Princeps exercuerit aliquem actum spiritualem, dicendum est illum exercuisse tanquam Sacerdotem, non autem tãquam Regem: quicquid etiã Principes Catholici de rebus Ecclesiæ tractauerint, non eo animo id fecerunt, tanquam se putarent Iudices legitimos, verum quod aliter pacem Ecclesiæ tueri, conseruariq; non possent; vt Constantinus, qui prę fuit in Nicena Synodo, ipsamque conuocauit, quiã videbat Donatistas Episcoporum iudicio non acquiescere.

Mors

Mors Christi.

MOlinæus hæreticus docuit, quòd mors Christi sola à Deo acceptata pro expiatione nostrorum peccatorum profuit; nihil autem, neque incarnatio, aut natiuitas, aut tentatio, vel afflictio prodesse potuit.

Contra facit primo Isa. 9. Paruulus natus est nobis; si natus est nobis, vtique profuit nobis natiuitas eius; Secundo 2. Cor. 8. Christus propter nos egenus factus est (per incarnationem) cum esset diues (per diuinitatem) vt illius inopia vos diuites essetis. Tertio 1. Ioan. 4. Filiũ suum vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum; missus autem est in mundum per incarnationem et natiuitatem. Quarto Gal. 4. Factus est sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret: profuit ergò nobis etiam eius humilitas. Quinto determinatio Ecclesiæ in Litanijs ad Christum ibi Per mysterium incarnationis tuæ et c.

Officia.

OFficia sacra non nisi vernaculo, et vulgari sermone celebranda esse docent moderni hæretici.

Contra facit exemplum Christi, qui in altare crucis exclamauit magna voce, Eli Eli lama zabathani, qui à nemine fuit intellectus. Non obst. 1. Cor. 14. Qui loquitur lingua, Deo loquitur, semetipsum ædificat, benè gratias agit, quod verò addit, si benedixeris spiritu, qui suplet locum idiotæ, quomodo dicet Amen, su-

per tuam benedictionem ? quoniam quid dicas nescis: nam Resp. ibi loquitur de lingua penitus ignota, vt si apud latinos celebraretur græcè, sed non prohibetur celebrari lingua cõmuni, quæ vbique intelligitur apud doctos, quorum interest intelligere secreta scripturæ mysteria ad id quod dicit Paulus ibid. eum, qui lingua loquitur, Ecclesiam non ædificare, intelligitur de concionatoribus, qui vulgari lingua vti debent; alioquin prorsus inutiles conciones ipsorum apud populum essent.

Communio.

COmmunionem non esse, quam solus quispiam capit asserunt hæretici moderni.

Contra facit Damas. libr. 4. cap. 14. de fide orthodoxa vbi Communio dicitur, quià communicamus per ipsam Christo, et participamus eius carnẽ, et diuinitatem; et quia communicamus, et vnimur inuicem per illam. Secundo facit vsus Ecclesiæ semper obseruatus. Vltra ad ducta supra de Communione sub vtraque specie ver. Euch. facit Luc. 24. et Act. Apost. 2. et 20. vbi fit mẽtio de fractione panis absq; calice.

Iesus.

MOlinæus, et Bucerus hæretici dixerunt Iesum nascentẽ adaperuisse vuluam Mariæ.

Contra facit primo Isa. 7. Ecce virgo concipiet, et pariet filium; vbi non solum conceptura; sed etiam paritura, et erit virgo, Ambr. in Epist. 81. Virgo autem, quæ parit, non aperit vuluam; alioquin non esset virgo: ipsa tamen dici-

dicitur virgo ante partum, in partu, et post partum. Secundo Ezec. 44. ibi Porta orientalis, per quam Deus Israel ingressus est, clausa erit, et non aperietur; vbi Hieron. interpretatur de Maria Virg. Tertio facit quod dixi supra prima parte ver. Maria.

Ianua.

CAluinus, et alij hæretici moderni passim negant Christum intrasse ad discipulos per ianuas clausas Ioan. c. 20.

Contra facit com. opin. Doct. Ilar. 3. de Trinit. Ambr. in Lucam lib. 10. c. 24. Aug. de agone christiano libr. cap. 24. Chrysost. in Homil. de Ioan. Bapt. Hier. lib. 1. in Iouinianum, Cyrillus lib. 12. cap. 53. in Iouin. ibi Clausis foribus repentè Dominus omnipotentia sua natura rerum superata ingressus est ad Discipulos.

Monumentum.

SAcramentarij hæretici nostri temporis non credunt Christi corpus clauso tumulo, verum tunc demum surrexisse, quando Angelus Domini reuoluit saxum à monumento.

Contra tenuerunt Hier. ad Hedibiam q. 6. et Aug. de tempore serm. 130. ibi Quomodo de sepulcro exire non posset, qui ex incorruptis matris visceribus salua virginitate processit, fefellit custodes, exiliuit de sepulcro, apparuit discipulis ianuis clausis, inde clausus exijt, huc excluſus intrauit?

Aduentus.

ALbanenſes dixerunt ante aduentum Chriſti nullos bonos fuiſſe: ideoq; Adamum non fuiſſe à Deo, nec Moyſem; Immo eos malos extitiſſe.

Contra facit primo quod dixi ſupra verb. Adam. Secundo facit quod dicit Nicol. Sand. lib. 7. de viſibil. Mon. Eccl.

Medicina.

ARnoldus à villa noua docuit, medicinæ opus gratius, atque acceptius eſſe Deo, quàm altaris ſacrificium.

Contra facit, quià anima eſt pretioſior corpore, vndè dicitur Nolite timere eos, qui occidunt corpus; animam autem occidere non poſſunt: damnatur, vt per Prateolum lib. 1. n. 69. verſ. 5.

Dos Eccleſiæ.

IOannes Vuiclef hæreticus docuit, quòd Sylueſter Papa, et Conſtantinus Imperator erraurunt Eccleſiam dotando.

Contra facit ratio, cum Eccleſia ſit capax bonorum temporalium (vt dixi ſupra) ſequitur, quod ei fieri poſsit donatio; præterea dotare Eccleſiam eſt opus pietatis, et eſt magis ditari, quã fieri pauper, cum dictum ſit Centuplum accipietis, et vitam æternam poſsidebitis; præterea damnatur hæc opinio, vt refert Prateolus lib. 9. verſ. 32. et 38. Piorum Clipeus q. 50. Art. 1. et ſeq.

Appel-

Appellare.

APpellare licere à Papa ad vniuersale Concilium asseuerans, esset hæreticus.

Contra hanc hæresim facit Bulla in Cœna Domini emanata hoc anno 1580. n. 2. Secundò facit ratio, quia si talis appellatio admitteretur in Pontifice nõ resideret plenitudo potestatis; pro vt in eo est plenissima, et de Iure appellatio fit ab inferiore ad superiorem Iudicem; ità doctissime probat Turrecrem. in summa Ecclesiæ cap. 47. et seq.

Electio Pontificis.

ELectionem Pontificis non esse faciendam à Cardinalibus, et factam ab alijs valere contra sacros Canones asseuerat Ioannes Vuiclef.

Contra quem hæreticum est determinatio Ecclesiæ c. in nomine 23. Dist. c. 1. et seq. 79. Dist. cap. licet de elect. cap. vbi periculum de elect. 6. Piorum Clipeus q. 48. Art. 2.

Corpus Christi.

PEtrus Martyr Hereticus dicit, Deum facere non posse corpus suum esse pluribus in locis, nempè in Cælo, et in Sacramento altaris.

Contra faciunt primo quę dixi supra ver. Euchar. hær. 4. Secundo facit Artic. 1. fidei: Credo in Deum Patrem omnipotentem. Tertio Luc. 2. ibi Non erit impossibile apud Deum omne verbum. Quarto Luc. 18. Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud

Deum, nec repugnantia est; quià dum conficitur corpus Christi nõ descendit è Cœlo; sed panis, et vinum transmutatur in corpus, et sanguinem Christi, Damas. lib. 4. cap. 14. de Orthodoxa fide, vndè Aug. super Genes. ad literã libr. c. 17. Potestas creatoris de omnibus rebus naturalibus potest facere aliud, quàm eorum quasi seminales rationes habent.

Item Corpus Christi in cœlos assumptum plenè Deum esse factum non antea, ita docet Suencfeldius hęreticus.

Contra facit, quià humana natura, quę in cę lum assumpta est, manet in Christo in ęternũ, vndè Angeli dixerunt Act. Apost. 1. Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cęlum.

Altare.

LVtherus altaria vni Deo viuo, et vero sub Christi nomine, aut Sanctorum titulis cõsecrata, vocat insignia Baal, et omnium Deorũ

Contra facit Apoc. 6. vbi Ioannes dicit, se vidisse animas occisorum sub ara; quem locum intelligit de visibili altare Dei. S. Aug. serm. 11. de sanct. et lib. 6. Contra Parmen. Secũdo facit. 1. Cor. 10. dicens eos qui edunt hostias, communicare cum altari. Tertio faciunt quæ dixi supra. 1. p. ver. Templum.

Canon Missæ.

LVtherus Canonem Missæ lacerat.

Contra facit com. opin. doct. Amb. libr. 4. c. 6. de Sacram. Aug. Epist. 118. Cypr. lib. 1. Epist. 9.

Epist.9.Greg.lib.7.Indict.2. Epist.63.Secundo facit quod dixi supra ver. Missa.1.p.hær.5.

Pueri.

BVcerus non ideo inquit Paruulus saluatur, quià baptizatus est; multi.n.baptizati statim morientes damnantur, et alij non baptizati saluantur.

Contra facit primo Paul.ad Tit.3. ibi Deus secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauac rũ regenerationis et renouationis spiritus sancti, quẽ effudit in nos abundè per Iesum Christũ Saluatorẽ nostrum. Secundo Magis abundat donũ,et gratia Christi, quàm delictum Adæ ad Rom.5.Tertio ad Gal.3. Quicũque.n.baptizati sunt,Christum induerunt; Vndè cum paruuli non habeant actuale peccatum, sed alienum participant, per alienum beneficiũ facillime purgantur. Quarto facit quod dixi supra ver.Baptismus hær.5.

Intentio.

LVtherus negat intentionem requiri in ministris, dum Sacramenta dispensant.

Contra facit.1.Cor.4. ibi dispensator Mysteriorum eius, ac inter dispensatores quæritur, vt fidelis quis inueniatur, vndè data fuit talis Potestas hominibus, vt actus ipsorum esset iuxta ipsorum intentionem, dixi supra.1.p. ver.Sacramentum hær.6.

Gladius, & Iudicium.

STablerij docent primò nec gladium nec peram portandam; secundò in Iudicio quẽ-

quam accusari non posse.

Contra primum facit. 1. Pet. 2. Subiecti esto te omni humanæ creaturæ propter Deum ad vindictam malefactorum; quod fieri non posset absque gladio.

Contra secundum Ioan. 12. Iustum iudiciũ iudicate, quod fieri non posset absque accusatione. c. forus de verb. sign.

Dies Dominica.

SAbbatarij primò dominicam diem minimè esse colendam docent; secundò Patrem esse inuocandum, non Filium, et Spiritum sanctũ.

Contra primũ Act. 20. Vna Sabbati (hoc est primo die post Sabbatum, qui est Dominicus dies) fideles conuenerũt ad frangendũ panem.

Contra secundum Act. 9. Domine Iesu suscipe spiritum meum.

Fides.

CLancularij satis esse docent vt fides clam asseratur, eandem verò palam negari posse.

Contra facit ad Rom. 10. Ore fit confessio ad salutem; omnis. n. qui credit in eum, non confundetur.

Dæmoniaci.

DÆmoniaci Dæmonem post finem mundi saluandum dicunt.

Contra facit Mat. 25. Ignis æternus paratus est diabolo, et Angelis eius.

Communiahabentes.

COmmuniahabentes vxores, et liberos, et omnia volebant esse communia.

Con-

Contra. 1. Cor. 7. Vnusquisque suam vxorē habeat, et vnaquæque suum virum.

Contra secundum 2. Cor. 9. Vnusquisq; elee mosynam conferat; quod non fieret, si omnia essent communia.

Condormientes.

CONdormientes viros, et fœminas in vno loco dormire volebant.

Contra Eccl. 13. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.

Lachrymæ.

EIulautes nihil Deo perindè gratum esse, ac lachrymas aiunt.

Contra facit Micheæ. 6. Iudicabo tibi ò homo quid sit bonum, et quid Dominus requirat à te vtique facere iudicium, et diligere misericordiam, et solicitum ambulare cum Deo tuo. Hæc autem qui obseruabit, etiam si lachrymas interdum prætermittat; nihil refert.

Dæmon & Resurrectio.

GEorgiodauidici negant esse Diabolum, et carnis resurrectionem.

Contra primum 1. Pet. 5. Quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens.

Contra secundum. 1. Cor. 15. oportet corruptibile hoc induere incorruptionem.

Christus.

MEmonniti negant Christum carnem ex Maria sumpsisse.

Contra Mat. 1. Maria peperit filium suum primogenitum, et vocauit nomen eius Iesum.

Biblia-

Bibliastæ.

BIbliastæ dicebant nihil docendum in scholis, vel in Ecclesia populo, prẹter Bibliorum textum.

Contra facit primo Euseb.lib.3.c.12.vbi testatur Clementis Epistolam tam Chorinti, quã in alijs plurimis Ecclesijs publicè lectam esse. Secundo Concil.Cart.3.cap.47. vbi passiones Martyrum in publicis locis lectæ sunt. Tertio Act.Apost.7. vbi Moyses eruditus est omni sapientia Ægyptiorum. Quarto 3.Reg.4. vbi Salomon disputauit super lignis à Cedro vsque ad Hysopum. Quinto Daniel.1.vbi Ananiæ Misaẹli, et Azariæ dedit Deus scientiam, et disciplinam in omni libro, et sapientia. Sexto Paul.etiam vsus est Poetarũ carminibus Act. Apost.17.et ad Tit.1. Septimo dixi supra.1.p. ver. Studium.

Translatio scripturarum.

TRanslationem scripturarum faciendam esse in lingua vulgare docent hæretici moderni.

Contra facit primo. 1. Tim. 6. O timothee depositum custodi, deuitans prophanas vocũ nouitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderũt. Secundo facit Conc. Trid.sess.4.c.2.

Literæ Sacræ.

SVencfeldiani sacras literas penitus abijciũt, et ab inspiratione diuina toti pendent.

Conta facit primo Ioan.5. Scrutamini scripturas,

pturas, illę sunt q̄ testimoniū perhibent de me. Secundo ad Rom. 15. Quæcumq; scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam, et consolationem scripturarum spem habeamus. Tertio 2. Tim. 3. Sacræ literæ te possunt ad salutem instruere per fidem, quæ est in Christo Iesu: Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiēdum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.

Item Luterani solùm literis sacris esse credēdum dicunt, nec alia esse in fidem et mores transferenda præter illa, quæ in expresso Dei verbo continentur.

Contra facit, quia ipsorum scripturarum canonem ex non scripta traditione accepimus. Secundo quià Spiritus sanctus non per solas nudas scripturas loquitur, sed per Christū Heb. 1. per Prophetas Luc. . per Apostolos Mat. 10. per Euangelistas Luc. 10. per Pastores, et Doctores ad Ephes. 4. per Concilia vniuersa Mat. 18. et Act. Apost. 15. per traditiones apostolicas 2. Thes. 2. per generales Ecclesiæ consuetudines 1. Cor. 11. et denique per Spiritum sanctum Ecclesiam suam docet, docebitque àmodo vsque in sempiternum Ioan. 15. non se obligans ad solam cartam, et atramentum, deditq; Sacerdotes ad ambiguitates definiendas Deut. 17. Et iussit legem ex ore sacerdotum requiri Malac. 2. de quibus dixit Dominus. Qui vos audit

audit me audit Luc.10. ipsisque iussit docere omnes gentes, vt seruarent omnia quę cumque mandasset illis Mat.28.

Natura humana & diuina.

DVæ sunt hæreses inuicem pugnantes, vna Osiandri dicentis Christum esse iustificatorem humani generis secundum solam diuinã naturam exclusa humana. Alia Stancari dicentis Christum esse iustificatorem nostrum secundũ solam naturam humanam, exclusa diuina.

Contra primam facit primo 1. Tim.2. Vnus mediator Dei, et hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Secundo Ephes 5. Christus nutrit, et fouet Ecclesiam, quia membra sumus corporis eius de carne eius, et de ossibus eius, Humana ergò Christi natura fuit quædam causa, videlicet meritoria iustificationis nostræ.

Contra secundã facit primo ad Rom.8. Deus est qui iustificat. Secundo ad Rom.2. Quoniam quidem vnus est Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide, et præputium per fidem. Tertio Concil. Trid. sess. 7. c.6. efficiens causa iustificationis nostræ est misericors Deus. et c.

Iustitia.

OSiander dicebat hominem iustum fieri ea iustitia, qua Deus essentialiter iustus est.

Contra facit primo Psal.50. Cor mundũ crea in me Deus. Secundo Ephes.2. Ipsius.n. sumus factura creati in Christo Iesu in operibus bonis. Tertio 1. Ioan. De plenitudine Christi

omnes

omnes accepimus; et gratiam pro gratia. Quarto ad Ephes. 4. Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Iustitia igitur nostra non est Dei essentia; sed creatum quoddam Dei donum est.

Motus Primi.

PRimos motus voluit Luterus esse peccata, etiam quibus Christiani resistunt.

Contra facit primo Mat. 15. Adulteria, fornicationes, furta de corde exeunt, hoc est de voluntate libera, non de inuoluntario carnis motu. Secundo Rom. 6. Non regnet peccatū in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius; qui obedit peccat, et qui facit peccatum, seruus est peccati Ioan, 8.

Tributum.

IOannes Behaim negat decimas esse persoluē das Ecclesiæ, et tributum seu vectigal Principi seculari.

Contra primum faciunt quæ dixi supra, 1. p. ver. Decimæ, et contra vtrumque facit Mat. c. 22. Reddite quę sunt Cæsaris Cæsari, vt pote tributum, et subiectionem; et quæ sunt Dei Deo, videlicet oblationes et cætera, quæ in lege iubentur. Secundo ad Rom. 13. Omnis homo existens sub alio subditus sit per obediē tiam promptam, ac humilem constitutis à Deo Principibus secularibus, spiritualibusque Prę-latis: ideo. n. et tributa præstatis, quod est signum subiectionis.

Clerici

Clerici.

HVsitæ docuerunt non licere Clerico tempore legis gratiæ super bonis temporalibus secularitèr dominari.

Contra facit primo Gerson 4. p. in sermone de Inuidia ibi Necesse est ciuilem, temporalem statũ subsistinere. Secundo Ioan. de Turre crem. lib. 2. c. 116. de Ecclesia, vbi cum non sint ista contraria possunt cadere in eandem personam temporalis, et spiritualis iurisdictio.

Paulus.

HVsitæ dixerunt nunquam Paulum fuisse membrum diaboli, etiam ante conuersionem.

Contra facit Ioan. 1. Qui facit peccatum, ex diabolo est; dum igitur Paulus infidelis persequebatur Ecclesiam, non erat iustus.

Imperator.

MArsilius Patauinus docuit Papam iudicari posse ab Imperatore.

Contra facit, quià potestas spiritualis, quæ supremum finem hominis intendit 1. Cor. 2. à nemine iudicatur, sed benè iudicabit temporalem, quæ intendit finem ordinabilem ad finem spiritualis potestatis. Prima. n. sedes à nemine iudicatur, et licèt Pilatus iudicauerit Christũ, cuius Vicarius est Pontifex in terris, hoc fecit tanquam in personam priuatam à Iudæis accusatam; Papa vero succedit Christo, non secundum quod malignè accusatus est, sed in potentia.

Parochus

Parochus.

IOannes Poliacus docuit neminẽ confiteri posse peccata sua, nisi proprio parocho etiã de licẽtia Papę adducens c.omnis de pęn.et Rem.

Contra facit, quià proprius parochus dicitur, qui non sit alienus Ioan.18.Oues propriũ Pastorem sequuntur; alienum verò fugiunt; quo casu Episcopus Diœcesi. et Pontifex omnium sunt proprij Pastores, et Sacerdotes, et per consequens quilibet presbiter dispensatus ab eis, qui dicetur habere delegatam iurisdictionem, quæ iurisdictio delegari potest Concil.Trid.sess.14.cap.7.

Subterranei.

LOllardi negabant, Deum aut scire, aut punire mala, quæ sub terris fierent; Et ideo in subterraneis turpitudinem exercebant.

Contra facit S.Thom.1.p.q.14.art.11. Cũ Deus sit causa omnium per suam scientiam, necesse est, quod essentia sua sit principium sufficiens sciendi omnia. Secundo facit. 2. Cor.5. Omnes nos manifestari oportet antè tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque propria corporis, pro vt gesit siue bonum, siuè malum.

Dispensatio.

BEguinæ docuerunt, Papam non posse dispẽsare in voto simplici, etiam si ob pacis bonum id fieret, vel ob gentis alicuius conuersionem ad fidem.

Contra facit ratio, quià dispẽsatio licita est, cum vrget necessitas, aut expostulat communis

nis vtilitas, vndè quamuis status virginitatis sit altior, et perfectior statu matrimonij; secundum se tamen ratione maioris boni adiuncti, propter quod dispensatur, præfertur tunc matrimonium, vt coniugiũ Abrahę propter Christum, qui ex eius semine erat nasciturus, in quo futura benedictio, et redẽptio generis humani præferebatur cęlibatui Ioannis secundum Aug. de bono coniugali, quem refert Nicol. Sand. lib. 7. de vis. Mon. Eccl. n. 161.

Status.

BEguinæ dicebant statum Fratrum Minorũ esse perfectiorem statu Episcoporum.

Contra facit ratio, quià Episcopus ad plura tenetur nempè ad salutem sui, et aliorum; et per consequens est perfectior status 1. Tim. 3. Secundo quia maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. At Pastor ad hoc tenetur Ioan. 10. ergò est in perfectiori statu.

Turificatio.

ALmaricus turificationem, qua in Ecclesijs Sacerdotes vtuntur, idolatriam vocabat.

Contra facit Durand. Ration. Diuin. offic. lib. 4. cap. 10. Innoc. de Altaris Mysterio lib. 2. c. 16. ibi Per turribulum verbum incarnatum accipitur, quià per fidem mediatoris incensum offerimus Deo.

Inuestitura.

QVidam hæretici dixerunt, inuestituram Ecclesiarum à laycis habendam esse.

Contra

Contra facit ratio, quia laycorum est Ecclesias tueri, non tradere; ita statuit Paschalis Papa in Epist. 2. ad Anselmũ, Nicol. Sand. lib. 7. n. 139. de visibili Mon. Eccl.

Natalis Domini.

PRiscillianistæ natalem Christi non honorabant ieiunantes eo, sicut et dominico die.

Contra primum facit Concil. Bracharense c. 4. et c. 1. et seq. de ferijs.

Contra secundum facit c. fin. de obseru. ieiunij, vbi si dies natalis venerit feria sexta, quis non compellitur ieiunare; quatenus autem die dominico ieiunabant, hoc idem fecerunt Manichęi, qui reprehendũtur ab Amb. in Epist. 83. Vnde si dies natalis venerit die lunę ieiunatur in sabbatho, non autem die dominico Concil. Gangrense Can. 20.

Vxor.

AD ea, quæ dixi supra 1. p. ver. vxor, addo quod in cãpo Hypponensi erant Abelliani hæretici, quibus nec sinè vxoribus viuere ipsius sectæ dogmate licebat, nec tamen eis permiscebantur.

Contra facit quod dixi supra ver. virginitas, vbi reprobatur primum dictum. Contra secundum facit Aug. lib. 15. c. 7. contra Faustum, vbi matrimonium ex hoc appellatum est, quod ex eo mulier nubit vt mater fiat.

Item Poligamisti docent, licere vni viro plures vxores eodem tempore habere.

Contra facit Marc. 10. Quicunque dimiserit

vxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam.

Canones Apostolorum.

MAgdeburgenses docēt Canones illos, q à Clemente Romano versi dicunt, et noīe Apostolorū circumferuntur ab Apostolis non esse conscriptos, nec hoc seculo tales extitisse.

Contra id multis firmis argumentis probari potest. Contra facit primo authoritas sum morum Pontificum, vt Anacletus in Epist. 1. aduersus accusatores Episcop. et in Epist. 2. Alex. Papa et Martyr in Epist. 1. Iulius Pōtifex in Epist. 2. Eleuterus Papa de Accusat. Zepherinus in Epist. 2. Secundo facit authoritas Concilij Nicæni dicentis dictos Canones esse Apostolorum. Tertio facit com. sent. Patrum, Hier. in Epist. ad Damasc. Quæ est c. fin. 16. q. 1. Cyprian. lib. 1. Epist ad Cornelium, Athanasius in Epist. ad Orthodoxos; Basilius lib. de Spiritu sancto, Cyrillus in Homil. 10. Paschali, Epiph. Tomo. 1. lib. 3. Damasc. libr. 4. de fide Orthodoxa, August. in Epist. ad Cassulanum. Dionysius in Epist. ad Demophilum; quos refert Frā ciscus Turrianus lib. 1. c. 21. et seq.

Decretales.

MAgdeburgenses negant decretales Pontificum.

Contra facit primo Isiod. in prologo sui voluminis. Secundo Igmarus cap. 15. libri sui, alios citat Franciscus Turrianus lib. 5. cap. 23. Tertio facit cap. Si Romanorum. 19. dist.

Tom-

Tonsura.

MAgdeburgenses irrident tonsuram Clericorum.

Contra facit primo Concil. Nicæn. 2. cap. 14. cap. Clericis de vita, et honest. Cler. Secundo quæ scripsit doctissimus Franciscus Turrianus societatis Iesu lib. 5. c. 19. aduersus Magdeburgẽses centuriatores pro Canonibus Apostolorum et c.

SVMMA OMNIVM HÆRESVM.

PARS TERTIA.

DE IDOLATRIA.

VIA post hæresim sequitur Idolatria; dicitur. n. Egressus est Cain à facie Domini, vt etiam omnes hæretici egrediuntur ab Ecclesia Dei: quę posteritas Cain absorta est in diluuio; vt manifestè appareret, solam Dei ciuitatem esse catholicam. Post diluuium successit Nembrot, qui cepit esse potens in terra, et paulatim rem ad tyrannidē trahebat, Gen. 10. cui successit Belus Iuppiter, quem Belum (teste Eusebio) Assyrij Deū nominauerunt; eodem ferè tempore Dinastæ Ægyptiorum inchoatæ sunt: ex his autem nominibus Beli ac Iouis, omnia penè Idola tùm apud Caldæos, et Assyrios, tùm etiam apud Græcos, et latinos nominata sunt Nicol. Sanderus in lib. 7. in principio de visibili Monarchia

Ecclesiæ

Ecclesiæ pag.225. ideo dicemus de Idolis, et seruiētibus illis; et primo de causis Idolatriæ: secundo de quibusdam opinionibus quorumdā Philosophorum, qui de deo loquuti sunt: tertio ponam nonnullos Idolos pro deis habitos tàm apud antiquos, quàm apud modernos, præsertim apud Indos orientales, atque occidentales noui orbis nuncupati: quarto de sacrificijs eorum. Quod autem pertinet ad primum, dicas, quod idolatriæ est duplex causa; vna quidem dispositiua, et hęc fuit ex parte hominum; alia consumatiua ex parte dæmonum. Prima fuit tripliciter; primo quidem ex inordinatione affectus, prout scilicet homines aliquem hominē vel nimis amantes, vel nimis venerātes, honorem diuinum ei impenderunt: quæ causa ponitur Sap.14. Acerbo luctu dolens Pater citò sibi rapti filij facit imaginem, et illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tāquam Deū colere cępit; et ibidem etiam subditur, quod homines aut affectui, aut Regibus deseruientes incommutabile nomen scilicet diuinitatis lignis, et lapidibus imposuerunt: secundo propter hoc quod homo naturaliter repræsentatione delectatur; et ideo homines rudes à principio videntes per diligentiam artificum imagines hominum expressiuè factas, diuinitatis cultum eis impenderunt: vnde dicitur Sap.13. Siquis artifex faber de sylua lignum rectum secuerit, et per scientiam suæ artis figuret illud et assimilet imagini hominis: de substantia sua,

et filijs, et nuptijs votum faciens inquirit: tertio propter ignorantiam veri Dei, cuius excellentiam homines non considerantes, quibusdã creaturis propter pulcritudinem, seu virtutem diuinitatis cultum exhibuerunt: vnde dicitur Sap. 13. Neque operibus attendentes agnouerunt, quis artifex esset; sed aut ignem, aut spiritum, aut aerem, aut girum Stellarum, aut nimiam aquam, aut solem, aut lunam rectores orbis terrarum Deos putauerunt; secunda ex parte dæmonum fuit idolatriæ causa; quia se colendos hominibus errantibus exhibuerunt in Idolis dando responsa; et aliqua, quę videbantur hominibus mirabilia faciendo: vnde Psal. 95. Omnes Dij gentium dæmonia S. Thom. 2. 2. q. 94. Art. 4. In prima autem ætate non fuit idolatria propter recentem memoriam creationis mundi, ex qua adhuc vigebat cognitio vnius Dei in mente hominum; non obst. Sap. 14. ibi Infandorum Idolorum cultura omnis mali est initium, et finis; Ergò idolatria fuit ante hęresim: nam Resp. quod Idolatria dicitur esse causa, initium, et finis omnis peccati; quia non est aliquod genus peccati, quod interdum idolatriam non producat, vel expresse inducẽdo per modum causæ, uel occasionem præbendo per modum initij, uel per modum finis, inquantum peccata aliqua assumebantur in cultũ Idolorum; sicuti occisiones hominum, et mutilationes membrorum, et alia huiusmodi: et tamen peccata aliqua possunt idolatriam præcedere,

dere, quæ ad ipsam hominem disponunt Sanct. Thom. d. loco in Resp. ad. 1.

Quod autem attinet ad secundum Thales Milesius dixit Deum mentem, qui ex aqua cuncta formauerit, nec principium, neque finem habiturum; de quo Minutius Felix in dialogo.

Anaximander Stellas, et Astra Deos esse cœlestes putauit; de quo August. de ciuit. De Epiph. in compendio contra Hęret. et Cic. lib. 1. de nat. Deorum.

Anaximenes dixit Deos ex aere ortos, Aug. et Cic. dictis in locis, Nicol. Sand. libr. 7. pag. 233. de visis. Mon. Ecclesiæ.

Democritus Deum existimauit mentem esse igneam, et mundi animam.

Pythagoras Deum ità definit: animus, qui per vniuersas mundi partes, omnemque naturam commeans atque diffusus, ex quo omnia quę nascuntur animalia vitam capiant, Plutarc. in Numa.

Archelaus ex terra omnia facta dixit, eamq; voluit vniuersorum esse principium; Epiph. d. loco, et Nicol. Sand. vt supra citatus.

Pherecydes quoq; terram dixit ante omnia factam esse.

Heraclitus Deos ex igne credidit.

Anaxagoras similares rerum rationes, rerum principia esse putabat.

Prodicus quatuor elementa Deos statuit.

Diogenes aerem dixit rerum esse materiam, de qua omnia fierent.

Cleanthes æthera esse statuit summũ bonũ.

Antisthenes multos quidem ait populares Deos, vnum tamen naturalem summæ totius artificem.

Chrysippus nunc naturalem vim diuina ratione præditam, nunc diuinam necessitatem Deum prædicabat.

Xenophanes omne quod esset infinitum, adiuncta mente, Deum esse voluit;

Parmenides simulares rerum rationes Deũ esse dixit.

Empedocles inimicitiam, seù discordiam principium rerum esse dixit Nicol. Sand. lib. 7. de vis. Mon. Eccl. pag. 233.

Protagoras negabat, se se omnino habere de Deo quid liqueat, sit, non sit, qualesue sit.

Xenocrates Deos octo esse prodidit, quinque in stellis vagis, vnum qui ex omnibus sidebus, septimum Solem, octauum Lunam constituit.

Plato monarchiam defendit, nec æthera, nec rationem, aut naturam, sed vt est Deum appellat, ab eoq; mundum hunc perfectum mirabilemque esse fabricatum.

Xenophon formam Dei veri negabat.

Aristoteles Stagirites dixit, vnam mentem mundo præesse, et omnium causam statuit.

Speusippus vim naturalem, animalem, qua omnia regnantur, Deum esse statuit.

Alemęon Soli, et Lunę reliquisq; sideribus animoque præterea diuinitatem dedit.

Ecphan-

Ecphantus Syracusius Deum mentem, et animum esse existimauit.

Epicurus Athenienſis ex atomis Deos ſuos conſtituit.

Brachmanę Indiæ ſapientes Deum lumen dicebant non vt Solem, vel ignem, ſed rationem.

Stoici, vt plurimum Deum dicebant diuinam ſubſtantiam intelligibilem, et igneam forma carentem; ſed tranſmutari in quæcumque velit, et aſsimilem fieri.

Ariſtoteles Ponticus quandoque mundo, quandoq; menti principatum tribuit.

Heraclides Ponticus tùm mundum, tùm mẽtem diuinam eſſe putauit, et mutabilẽ Dei formam eſſe voluit: quin et Cælum, et terram in Deos retulit.

M. Varro Terentius Deum ait ſe arbitrari Animã eſſe mundi, ipſumq; mundum Deũ eſſe.

His omnibus ſectis Auguſt. opponit lib. 19. c. 4. de ciuit. Dei vnam Eccleſiæ Dei fidem, et ſententiam, et lib. 18. cap. 41. Euſebius de prę-par. Euang. lib. 14. cap. 1. et ſeq. Epiphan. libr. 1. vol. 1.

Deorum autem diuiſio variè habita fuit. Martianus libr. 2. Nuptiarum enumerat Deos ex ſexdecim regionibus cœlorum.

Alij dixerunt Deos ità eſſe diuidẽdos, quod alij Cœleſtes, Terreſtres, alij, Inferni, Marini, Fontani, Fluuiales eſſent.

S. Aug. in 4. de ciuit. Dei refert Sceuolam virum doctiſsimũ Romanum tria genera Deo-

rum

rum tradidisse, vnum à Poetis, alterum à Philosophis, tertium à Principibus ciuitatis. Primũ genus nugatorium fuisse, quod multa de his fingerentur indigna; vnde Varro in libris Antiquitatum, quem refert Aug. de isto triplici genere dixit: primum scilicet Mythicon, hoc est fabulosum: secundum Physicon id est naturale: alterum Polyticon id est ciuile: primum ait mẽdacissimum, et turpissimum: secundum à populis remotum, parietibus inclusum: tertium ciuile, et populare ab antiquis institutum: primum pertinet ad theatra; secundum ad mundũ; tertium ad vrbes, et Sacerdotes.

Alij dixerunt gentes effinxisse suos Deos; pro vt eorum erant instituta, et mores; vnde Lacedemonij plerosque Deos, Deasque armatos affirmabant, quia ipsi armis delectabantur.

Alij excellentes viros Deos effinxerunt; Hinc Hercules, Castor, et Pollux, et Æsculapius Dij habiti sunt, vt refert Cic. de natura Deorum.

Alij dixerunt, vt Ethnici, singulas in homine partes, et membra singulos Deos obtinere, videlicet Iouem caput, Mineruam oculos, Iunonem brachia, pectus Neptunum, cinctum Martem, renes, et inguinæ Venerem, pedes Mercurium; similiter dextera Fidei consecrata est, digiti Mineruæ, genua Misericordiæ.

Alij dicunt Deos aliquos certos, et aliquos incertos esse; certi sunt de quibus nullo modo dubitari potest, vt Sol, Luna, Cælum, Terra.

Incerti

Incerti sunt, quorum certa ratio reddi non potest qui sint.

Alij dixerunt Cœlites Deos esse, qui à superiori æthere ad Solem vsque demeant, et causarum latentium arcana componunt; Dei autem secundi à Sole ad Lunam vsque; hi vaticinijs, somnijs, ac prodigijs, ceterisque similibus præesse credebantur.

Fuerunt et Dij reputati maiorum gentium, qui et maiores Dei dicti fuerunt; Et Dij minorum gentium, qui et minores nũcupati sunt; quia parua munera hominibus præstabant, qui erant homines in Deorum numerum translati.

Consentes Dei quoque fuere, quos ita dicebant veteres (vt August. 4. de Ciuit. Dei) qui in consilium Iouis adhiberi putabantur; qui et Penates, et Vrbani dicti sunt; qui fuerunt duodecim, sex mares, sex fœminæ: qui Dei his versibus complectuntur.

Iuno, Vesta, Minerua, Ceres, Diana, Venus, Mars, Mercurius, Iouis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Dicti sunt Consentes, quasi Consentientes; qui Dij duodecim mensibus præsunt; siquidem Ianuarij tutelam habere Iuno credebatur; Februarij Neptunus; Martij Minerua; Aprilis Venus; Maij Apollo; Iunij Mercurius; Iulij Iuppiter; Augusti Ceres; Septembris Vulcanus; Octobris Mars, Nouembris Diana, Decembris Vesta; Seneca lib. 2. nat. quæst.

Alij agricolarum duces dicti sunt; primo Iupiter, et Tellus, Pater, et Mater, qui et parentes

rentes magni dicuntur: secundo Sol, et Luna, quorum tempora obseruantur: tertio Ceres et Liber, quòd ab his cibus, et potus venit è fundo: quarto Robigo, et Flora, quibus propitijs, neque robigo frumenta, neque arbores corrumpit, neq; tempestiuè florent, vnde robigalia, et floralia; tum Minerua, et Venus, quarum vnius procuratio oleti, alterius hortorũ; demum Lympha, et Bonus euentus, quoniam sine aqua, et successu misera est agricultura, et frustratio quædam. Giraldus lib. de Dijs Gentium Syntagma. 1.

IDOLATRARVM CATALOGVS.

ACaron Deus muscarũ, vt Gregorius Nazianz. in prima in Iulianum Cæsarem oratione scribit. Plinius Achorem vocat, et à Cyrenaicis cultum lib. 8. cap. 28.

Adad nomen Dei apud Assyrios summi, qui vnus interpretatur, quem Solem esse Macrobius ostendere nixus est. Huic Deo subiungebant Deam nomine Adargatim: quibus duobus deis omnem cunctarum rerum potestatem attribuebant, Solem videlicet et Terram intelligentes. Adad simulacrum tale formantes radijs inclinatis; quibus monstrabatur, vim cœli in radijs esse Solis, qui in terram dimittuntur. Adargatis verò simulacrum sursum versum

sum reclinatis radijs, monstrans radiorum vi supernè missorum enasci quęcunq; terra progenerat: hęc ex Macrobio. Non ei contraria Phurnutus de Deis scribit.

Adeona, et Abeona Deæ cultæ ab antiquis fuerunt, quæ adeundi, et abeundi facultatem præstarent, vt testatur D. Augustinus in 4. et 7. libro.

Adonis, qui et Adon Deus à diuersis nationibus cultus est. de sacris Adonidis mentio est in sacris Hebræorum literis; quo in loco plura D. Hieronymus, et Macrob. in primo Satur. et alij scriptores.

Adramus Deus in tota colebatur Siciliæ insula. Plutarch. in parallelis.

Ægeria Dea à Mulieribus colebatur, quòd eam opitulari credebant partu egerendo, vt ait Festus.

Æolus Deus ventorum ab antiquis cultus est, vt Diodorus, Ouid. et alij scripsere.

Æsculapius Deus sub varijs nominibus à gentibus colebatur, prout Xenophon in libro de venatione, Cicero, Macrob. Hyginius, et alij testantur.

Æuiterni Dei appellantur, quod Æuo sempiterno permaneant: qualis Iuppiter, quem sic vocauit Ennius. Apuleius dixit Æuiternos Deos in sublimi ætheris vertice locatos, ab humana contagione procul discretos, et c.

Agenoriam Deam vocauerunt antiqui, quæ ad agendum excitaret, ab agendo dicta, teste

Diuo

Diuo Augustino.

Aguar dicunt esse Deum Cœlorum, quem adorat populi Culiazá vol. 3. Nauig. pag. 329.

Aius Locutius Deus à Romanis cõsecratus, vt Cicero, T. Liuius, et alij dixerunt.

Alabandus Deus, quem Alabandij coluerunt, Stephanus, et Cic.

Albuneam Deam in altissimis montibus Tiburtinis cultam scribit Seruius, sic appellatam à qualitate aquæ, quæ in fonte Albuneæ est.

Alecto, Tisiphone, et Megæra, quas furias Latini appellauere, Græci Erinnyes, et Eumenides dixere: hisdem etiam veteres commotæ mentis affectus adumbrabant, propterea q; furoris Deas existimabãt: semper verò virgines, quod cum malefactorum vltrices sint, facilè corrumpi non possunt; quin etiam pœnas de delinquentibus summant. Suidas, Cic. Suet. et alij.

Amanus, et Anandatus Dei à Persis culti, Strabo in 11.

Amicitia Dea iure inter sua numina à gentibus collocata: apud Romanos Amicitiã pictura antiquitus pulchrè demonstrabat. Pingebatur enim iuuenis forma, detecto capite, quæ erat tunica rudi induta, in cuius fimbria scriptũ erat Mors, et Vita: in fronte Æstas, et Hyems: habebatque latus apertum vsq; ad cor, et brachium inclinatum digito cor ostendens, ibi scriptum erat Longe, et Propè. Suberat et et picturæ explicatio, quæ ita legitur. Forma

iuue-

iuuenilis indicat amicitiam semper recentem, nullaque temporis diuturnitate tepescentem. Nudū caput, ut omnibus pateat, vt amicus nullo vnquā tempore amicum publicem suum fateri erubescat. Rude autem indumentum ostendit, ut amicus nulla ardua, extremamque inopiam pro amico subire non recuset. Vita, et Mors in uestimento scripta, quòd qui uerè diligit, usque ad mortem amat. Æstas, et Hyems, quia et in prosperis, et in aduersis æquè amicitiam seruat. Latus apertum habet usq; ad cor, quia nihil amico celat. Brachium inclinat, et digito cor ostendit, ut opus cordi, et cor uerbis respondeat. Longè, et Propè quod scriptum est, quia uera amicitia nullo tempore aboletur, nec locorum intercapedine diuiungitur. hęc ex Lilio Giraldo.

Amphiarus Argiuus vates pro Deo cultus post mortē, qui et oracula reddebat p somniū: nam post purgationem, et perfectis sacrificiis ijs Deis, quorum in ara nomina sculpta fuerāt, et mactato ariete, cuius pellis substernebatur, ubi incubantes captabāt somnia; ex quibus interpretatis futura prēnoscebant. Apud Oropios habuit templum constructū ex marmore cādido. Paus. in Attica, et Statius in Thebaide.

Amphilocus in Oropo Atticæ uates p Deo cultus, ut T. Liuius lib. 5. Decad. 5. testatur.

Anaitis Venus, vel Diana apud Persas colebatur, teste Strabone.

Anculi, et Anculæ, Dei Deæque ancillarum puta-

putabantur Festo authore.

Angenoria, et Tacita silentij Deæ, Macrob. in Satur. et Plinius in 3.

Animales geniti Dei teste Proclo in Hesiodi Commentarijs vitę productores dicuntur; quibus perennes aquę, et fluuij sacrati credebãtur.

Anna Perenna Dea fuit à Romanis culta primo mense, vt annare, et perennare commode liceret. Macrobius.

Animalia plura adorabãt Egyptij, vt refert Olaus Magnus lib. 3. Hist. gent. c. 2.

Antinous ex Bithynia iuuenis formosissimus ab Adriano Cæsare admodum amatus, cum in Egypto perijsset, Deus est ab Imperatore factus, et oraculum ei constitutum, et vrbs eius nomine pro sepulchro condita, et stella in Cœlo, vel visa, vel per adulationem cõficta, de hoc plura Dion. histor. et Ælius in historia Adriani: ex nostris Eusebius, Athanasius, Hieronymus, Origenes, et alij.

Antithei quidam mali Dei, quos à magis cõfingi ait Arnobius: hiq; spiritus esse dicuntur, qui in actionibus humanis sæpè obrepant, se seq; Deos fingant, et inscios mendacijs, et simulationibus deludunt.

Apollo Deus ab antiquis cultus quatuor in primis artibus prefuit; nam citarędum primũ, ac citarædorum Deum putauit antiquitas: deinde medicinę inuentorem, ac ipsum etiam medicum constituit: tum iaculatorem, et sagittarium: postremo vatem, et vaticinij Deum existimauit.

stimauit. ex quibus quidē quatuor rebus multiplicia ei sunt attributa cognomina, et varie describitur, sed breuitatis causa omittuntur. Sol etiā dictus est, vt ait Cicer. de natura Deorū 2.

Appiades Deę habebant templa apud Aquā Appiam propè forum Cœsaris, et Venerem intelligunt, Palladē, Pacē, Concordiā et Vestem.

Arculus Deus, arcis, et capsis præesse existimabatur.

Aquæ elementum adoratur ab Indis occidē talibus vt habetur vol. 3. Nauigat. Columbi pag. 362.

Ars, et Paupertas à Gadareis (vt Arrianus scribit) colebantur, quòd videlicet Paupertas ad artes commiscendas industriam, et hominū ingenium acuit.

Astarte dea Sidoniorum, vel Syriorū Venus à multis existimata.

Aten deam nostræ religionis auctores luciferum interpretantur, et pręcipuè Iustinus Philosophus, ac martir, Suidas, et alij.

Atergatis Dea à Syris culta est, vt meminit Strabo.

Atezcatlipuca Deus prouidentiæ apud Indos in Mexico habet in 3. p. Hist. Indiæ c. 223.

Aurora ab aura vocatur Dea, quę Solem prę cedere putabatur, ab antiquis culta fuit, testibus Cicerone, Ouidio, et alijs.

Auerruncus Deus, qui auertere credebatur mala, Varro de lingua lat.

Aues adorantur ab Indis vol. 3. Nauig. pag. 354.

Auxesia, et Damia deæ fuerũt, quas peculiari religione Epidauri coluerunt. Herodotus in 5. et Pausan.

Baccus, seu Dionysius Deus ab omnibus fere populis sub varijs cognominibus cultus, vt Beatus Epiphanius, Eusebius, Cicero, et cæteri scriptores testantur. Philostratus in vita Appoll. Tyanei Dionysios tres fuisse ait, Thebanum, Indicum, et Assyrium: sed Cic. multos esse dicit. Baccum vitis, et vini vsum, et plantandi rationem docuisse ferunt. Effingebatur varijs modis secundum Phurnutum, simulacra nuda fiebant, vt vini naturam ostenderent, quæ secreta reuelat; vnde dicitur In vino veritas: effingebatur et puer imberbis; interdum puer, et lætus, quod vinum modicè sumptũ hilares, et lætos homines faciat. Senex etiam aliquando, et caluus propter immodicam bibendi intemperiẽ, et quod ex ebrietate arcana plerũq; retegantur, et alijs modis breuitatis causa omissis.

Bellona Dea, quæ ab antiquis Duellona, vt duellum bellum, dicebatur; soror fuit et vxor Martis, vt ait D. Augustinus de ciuit. Dei: huius Deæ Sacerdotes bellonarij dicuntur, qui se ipsos cultris feriebant, et proprio sanguine numen placabant, furentesque vaticinabantur. Tertullianus, Septimius, et Lactan. in 1. Diuin. inst. fingebatur furens Dea flagello pugnas concire; nunc cũ face, nũc tuba bellicũ canere.

Beneficium, et Pœna duo numina Deorum instituta à Democrito.

Bessas

Bessas, siuè Besas Deus, qui oracula quondam dabat. Ammianus libro 19.

Bonus Deus apud Græcos, cuius templum Pausan. in Arcad. commemorat.

Bonus euentus ab antiquis cultus. Plin. 35. Euphranoris simulacrum Boni euentus, dextra pateram, sinistra spicam ac papauer tenens.

Brizo dea apud Græcos existimata, quæ vaticinijs per somnia præesse credebatur. in primis verò Deli culta, cui scaphas offerre consueuerant, omnium rerum refertas, priscibus duntaxat exceptis. Lilius Giraldus.

Bubona Dea nuncupata à bobus, vt scilicet boues fortunaret D. August.

Cabrus Deus Phaselitarum in Pamphilia, cui sacra faciebant de pisciculis sale conditis, vt Suidas, et Zenobius scribunt.

Cabiri Dei habiti, vel ministri potius Deorum, alij Dęmonas existimarunt, de quibus frequẽs fit mentio apud Apollonium, Orpheum, et Strabonem.

Caca Dea culta Romæ, quæ Caci soror fuit, vt scribit Lactantius, quę de furto boum Hercu li fecit indicium; vnde etiam sacellum meruit teste Seruio lib. 8. Æneidos.

Calumniæ, et Impudentiæ aras Athenienses consecrasse testis est Theophrastus apud Diogenianum. Apelles Calumniam sic effinxit in pictura. In dextera quidem sedet vir permagnas habens aures, quales fermè Midę ferũtur, manum longè ille protendit accedenti Calum-

niæ: circum ipsum verò sunt mulieres duę, hoc est, Ignorantia, et Suspicio. Ex aduerso Calúnia videlicet mulier ornata, et pulcra; sed aspectu ardens, et in iram, et rabiem concita: læua facem accensam præferens, dextera adolescentę quendam per capillos trahere videbatur, qui manus ambas ad Cœlum tendebat, superosquè obtestabatur. Præcedebat vir pallidus, impurus, acutè intuens, his propemodum similis, qui longiori morbo sunt confecti. hunc esse Inuidiam, vel Liuorem facile cognoscas coniectura. Ponè duæ aliæ erant mulieres Calumniá dirigentes, et adornantes; altera quidem Insidia, altera Deceptio, vel Fallacia, seu Fraus. à tergo sequebatur Pœnitentia pullas lacerasque vestes induta, quæ retrò caput inflectens, flens ac lugens, pudore venientem Veritatem excipere videbatur.

Canopus deus cultus ab Egyptijs, cuius originem Suidas, et Ruffinus 11. Ecclesiast. hist. commemorant.

Camasel deus habitus apud Indos occidentales in Mexico Regno. Habetur in 3. p. Hist. Indiæ pag. 98.

Carmelus Deus, et Mons à Cornel. Tacit. descriptus.

Carna Dea ab antiquis Romanis culta fuit, quam vitalibus humanis præesse putabant, vt ex Macrobio in libro de annis et c. D. Augusti. Cardeam hanc appellare videtur.

Castor, et Pollux, Castores dicti, et Græcè

dioscu-

dioscuri, Iouis filij ab antiquis multis modis nominati colebantur, vt Cicero, Virg. Plutarcus, et alij meminere.

Catius Deus antiquorum, qui catos. i. acutos homines faceret Aug. in 4.

Ceres dea à gerendis frugibus dicta, et à nationibus sub diuersis cognominibus culta, vt Varro, Cic. Pausan. et alij scriptores testantur. Nunc mœsta cum lampade, seu face describitur; sed et papauer illi attribuitur vnà cum spicis. Interdum etiam matronali habitu cum spicarum, et papauerum manipulo.

Charon Deus infernus. Phurnutus, Virg. et alij.

Cibele dea vide infra Rhea.

Cimi sunt dij culti ab Indis occidentalibus, qui fiunt lignamine in formam statuæ humanæ, Fernandus Columbus in Hist. cap. 61.

Clementiæ etiam numen venerati sunt antiqui. Vnde Plutar. scripsit in Cæsare, eius Clementiæ templum non ab eius moribus abhorrens decretum fuisse. Claudianus de hac dea cecinit.

Cleomedes Athleta ab Astypaleis cultus; prout Plutar. Eusebius, et Pausan. tradidere.

Cloacinam deam T. Tatius Rex consecrauit, cuius simulacrum, vt ait Lactantius, in cloaca repertum. D. August. et T. Liuius 3. ab vrbe cond.

Clotho, Lachesis, et Atropos Parcæ dictæ, quòd nemini parcant etiam ab antiquis cultæ

fuerunt, prout Martianus, Hesiod. Cic. et alij scripsere.

Collina dea fuit, cui colles attribuebant; et Vallonia, cui valles, et conualles; vt est apud D. Augustinum.

Communes dei dicuntur, vt Mars, Bellona, et Victoria, quòd in bello vtriq; parti possunt facere; seu qui cœli certas non habent sedes; sed generaliter à cunctis coluntur. Alij dicunt cõmunes, Solem et Lunam, qui apud omnes sunt.

Concordia dea ab antiquis colebatur; sed in primis à Romanis, qui et eius diuersa templa habuere; prout testantur T. Liuius propè finẽ noni lib. D. Aug. de ciuit. Dei, Cic. Val. Max. Dion. Ouid. et Iuuenalis. Deam Concordiam hoc modo effingebant, dextra craterem tenentem, et læua nunc cornu copiæ, nũc sceptrum, ex quo fructus exire videntur: sed et imaginibus duabus dextram dextræ iungentibus, vt in Aur. Vero. Aristides in oratione pro Concordia Rhodiensibus ita hanc effinxit: Decoram, compactam, benè coloratam, gratiosam, et vndique per omnia sibi quadrantem, et congruentem, deorumque diligentia, ac benignitate in terram delapsam.

Conisalus deus Athenienſium peculiaris; Strabo.

Comus deus fuit conuiuiorum, et commessationum; Philostratus.

Coronis dea in Sycionia culta, Pausan.

Crephagenetus deus Thebæorũ in Ægypto,

qui

qui immortalis colebatur. Soli enim teste Plutar. nullum Deum mortalem venerabantur.

Culices adorantur apud Indos, ne nocte illis vexentur; habetur 3.p. Hist. Ind. cap. 223.

Cunina dea, quæ infantes in cunis tueri credebatur, et fascinum summouere: Lactant. et D. Aug. ex Varr.

Cupido deus ferè ab omnibus nationibus cultus, prout Cicero, Hesiodus, Propert. et alij scriptores, et Poetæ testantur. Effingitur puer mutabilis, nunc tristis, et quiescens; nunc volans, et ridens. Nudus etiam pingitur, pennatus, et facem habens: tenet dextera gladium, vel sagiptam, sinistra verò pharetram, et quamplurimas sagittas: et multis alijs modis breuitatis causa omissis.

Damia, et Auxesia deæ summa religione ab Epidauris cultæ Herodotus in 5. et Pausan.

Dæmones pro dijs supremis cœlestibus, et aëreis habiti sunt.

Derceto Dea Syrorũ fuit. Ouid. in 4. Metamorph. et Athenagoras Philosophus in oratione pro Christianis ad. M. Antonium, et Commodum, et Plinius 5. nat. histor.

Deuerra dea à scopis deuerrendo, quia fruges non coaceruantur sine scopis. D. August. et Varro.

Diabolus adoratur in Regno Calicut in India occidentali Habetur in 1. vol. Nauig. pag. 160. cap. 11.

Diana dea ab antiquis varijs nominibus nũ-

cupata colebatur. Cic. Varro, et alij. Dianę imagines vario modo effingebantur. nam aliter, vt venationum dea; aliter vt quieta, et pacifica; aliter ut Luna prima nympharū habitu succinta; arcu, et pharetra, et iaculis armata: aliter, vt virgo stans. et c.

Discordia dea existimata à gētibus, ab Aristide his verbis descripta fuit: Discordia, et Seditio, inquit, supino est capite, labijs liuentibus, oculis strabis, putridis, tumefactis, lachrymis subinde fluentibus, manibus incontinentibus mobilibusque, gladium intus ad pectus ferens, tenuibus, et obliquis innixa cruribus: et pedibus eam, ceu rete, caligo et tenebrę circumuoluunt: et reliqua, quę idē scripsit.

Diuipotes dei, vt Varro scribit, sūt hęc duo, cœlum et terra, anima et corpus, humidum et frigidum.

Domiducus Deus colebatur, cum domum sponsa erat ducenda D. Aug.

Domitius deus apud antiquos celebrabatur, vt esset in domo noua nupta. D. Aug.

Drimacus Dux fugitiuorū à Chijs vt deus cultus: hic senex puero se iugulandum dedit: sepultus à Chijs sacello erecto, in somnijs sępè de fugitiuis Chios monuit. vt scribit Athenę⁹.

Edusa dea, præses existimata edulijs infantū Varro D. Aug. hanc Cedulicam deam appellat in 4. de ciuit. Dei.

Elcoth reputatur vt deus: est. n. homo secundum quandam sectam quo ad scientiā equalis

deo

deo apud Indos vol. 1. Nauig. pag. 40.

Enenthius Deus, vel dęmon fuit Phænicum Lamprid. in vita Heliogabali.

Epies, maximus deorũ apud Aegyptios interpres; huic Deo attribuebant accipitris caput, aliaque permulta superstitiosa, vt meminit Zoroastes, et Euseb.

Erechtheus Rex cultus ab Athenienſibus; vnde et Erechthidæ ipſi vocati. Erechthei etiã filię in numero dearum habitę. teſte Cicerone.

Eternitatem, vt deam coluerunt antiqui, cuius imaginem tempus eſſe dixerunt Pythagorici, Plato, et Hermes Trismegiſtus.

Fabulinus Deus dicebatur, cum fari pueri auſpicabantur.

Falacer Diuus pater, vt ait Varro. Falacrem pomorum deum ſcribit Alex. lib. 6.

Fama dea ab Athenienſibus teſte Pauſan. culta. Plutar. in Camillo; templum etiam famæ conſtructum fuiſſe ſcribit Virgilius in 4. Æneidos ſic eam deſcribit.

Extemplò Lybię magnas it Fama per vrbes:
Fama malum, quo non aliud velocius vllum,
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo,
Parua metu primo; mox ſe ſe attollit in auras,
Ingrediturque ſolo, et caput inter nubila condit.
Illam terra parens, ira irritata Deorum,
Extremam (vt perhibent) Cœo, Enceladoq́; ſororem
Progenuit, pedibus celerem, et pernicibus alis:
Monſtrum horrendũ; ingens: cui quot ſunt corpore (plumæ,
Tot vigiles oculi ſubter (mirabile dictu)

Tot

Tot linguæ, totidem ora sonant, tot subrigit aures.
Nocte volat cœli medio, terræque per vmbram,
Stridens; nec dulci declinat lumina somno.
Luce sedet custos, aut summi culmine tecti,
Turribus aut altis, & magnas territat vrbes,
Tam ficti, pravique tenax, quàm nuntia veri.

Fauor deus ab Apelle pulchrè effictus, prout his carminibus patet.

Pictor Apellea quid pingis ab arte Fauorem?
Vnde illi generis semina nota parum?
Hic genitum Forma, Fortunæ hic iactat alumnum:
Casu ille, ille animi dotibus esse satum?
Qui comes assiduus lateri? Assentatio, & ecquę
Ponè subit lentis passibus? Inuidia.
Ecqui circumstant? Opulentia, Fastus, Honores,
Leges, & scelerum sæpè Libido parens.
Cur facis aligerum? Fortunæ elatus ab aura
Aduolat alta, imò nescius esse gradu.
Quare oculis captum pingis? non nouit amicos,
Improbus ex humili cum petit alta loco.
Quid rotulæ insistit? Fortunam imitatur, & infert
Se socium, instabiles quà tulit illa pedes.
Cur timet, atque extra se se ambitiosius effert?
Occæcare animos fata secunda solent.

Februus deus Pluto appellatus ab antiquis à purgationibus, et lustrationibus funerum. Ouid. in Fastis.

Febri etiam, vt deæ, multas aras Romani erexerunt ad minus nocendum, vt ex Cicer. Val. Max. Liuio, Plinio, D. Aug. alijsq; obseruatur. Ferentina dea fuit, vnde et Ferentini ab oppi

do

do Latij Ferẽto dicti sunt T. Liuius in 1. decad.

Feronia dea culta plerisq; in locis Italię; sed in primis propè Terracinam.

Fesonia dea colebatur, vt fesso iuuaret. D. Augusł. in 4.

Fides dea à Romanis culta. Cic. de officijs lib. 3. Plinius 35. nat. hist. Dion. Alicarn. in 2. hist. lib. Liuius in 1. et Plutar. auctores. Fides fingebatur duabus iunctis manibus, interdum imagunculis duabus dextram dextræ iungentibus. Seruius in 1. et in 8. comentario Æneidos scribit, quòd Fidei albo panno inuoluta, vel velata manu sacrificabatur; per quod ostendebatur fidem esse tectam et secretam.

Flora dea florentibus frumentis præposita. Aug. et Varro.

Felicitas ab antiquis dea existimata. Plin. lib. 35. et D. Augusł. ac Dion. lib. hist. 44. à Cebete Thebano sic fuit descripta. In eminenti quopiam arcis vestibulo Fœlicitatem in solio sedere, liberali (ait) ornatu comptam; sed non accuratè et florentissimo serto coronatam. In Iuliæ mammeæ Aug. nomismate sic erat sculta. Fęmina erat in solio sedens, dextera caduceum, sinistra grande cornu copiæ tenens cum hac inscriptione. Fœlicitas publica.

Forculus, vel vt alij Forulus, et Cardea, et Limentinus, tres fuerunt existimati dei ianuis, ac hostijs præfecti. D. Augusł.

Fornax dea etiam existimata, quoniam ante triticum, et eius vsum, farra fornacibus tor-

re-

rebatur: vnde est dea Fornax constituta, vt Festus, Lactant. et Ouid. in Fastis.

Fortunam deam gentes credidere. de ea D. Aug. ita in 7. de ciuit. Dei scribit. Fortunã certe Deam antiqui dixere non rationabili dispositione, sed vt temerè acciderit sua cuique dona conferre. sub varijs, et diuersis cognominibus colebatur: nam Romani coluisse Fortunam equestrem, Prænestinam, Publicam, Priuatam, Breuem, Dubiam, Auream, Virginem, Virilem, Viscatam, Obsequentem, Mammosam, Cœcam, et alijs nominibus apud T. Liuiũ, Val. Max. Lactant. Plutarchum, Cic. Alicarnaseum, Plinium, et alios scriptores, atque poetas legitur. Spontanea verò Fortuna à Siculis venerabatur. Plutarch. et Emilio Prob. testibus. Fortuna mulier iuuenis effingebatur à quibusdam inter maris undas vellificãs, ab alijs in saxi vertice, montisuè cacumine ventis omnibus exposita, et à quibusdam alijs rotæ insistens. Fuerunt et qui eamdem duplici facie formauere, nigra altera, altera alba, bonam malamque signi ficantes. Alij eamdem cum Occasione effinxere, hoc est capillatam fronte, occipitio caluam, alatam pedibus, pilęq; insistentem, manu nouaculam tenentem, vt in Occasione describitur; et multis alijs modis breuitatis gratia omissis.

Frigha deus Gothorũ reputatus author pacis, et voluptatis amator Holaus hist. lib. 3. c. 3.

Fulgora dea apud Senecam de superst. ne fulgura fierent. D. Aug. in 6.

Frocs

Froes deus apud Gothos habitus est Holaus libr. 3. hist. cap. 4.

Furina dea venerata ab antiquis, cui Deæ flamen furinalis attributus fuit. Vide Festum, Varronem, et Martianum in 2. et Cic. in 3. de nat. deorum.

Genius deus erat, qui præpositum esse, ac vim habere omnium rerum gignendarum credebatur, teste D. Aug. lib. 7. ex Varronis sententia. Seruius ita tradit Genium numen esse, quod nobis nascentibus datur. Serpentis imagine Genius interdum effingebatur, interdū puerili, vel iuuenili forma, interdum etiam senis, et platani folijs coronabatur.

Glaucus deus marinus, de quo scribunt Pausan. lib. 9. Athenęus in 7. et Strabo.

Guamaonocon deus adoratur ab Indis vol. 3. Nauig. pag. 42.

Gratiæ, quas Greci Charites vocant, pro deabus habitæ ab hominibus cultæ fuere. Hesiod. Ouid. et alij describunt hoc epigramma videlicet.

Sunt nudæ Charites, niueo de marmore: at illas
Diua Columna suis ædibus intus habet.
Par tribus est facies, qualem decet esse sororum:
Par tribus est ætas, par quoq; forma tribus.
Grata Thalia tamen geminæ conuersa sorori,
Implicat alternè brachia blanda soror.
Euphrosinen dextra stupeo, Aglaianq; sinistra
Miror, & implicitis brachia nexa modis.
Iuppiter est genitor, peperit de semine Cœli

Euno-

Eunomia, & Veneris turba ministra fuit.
Inde alitur nudus placida sub matre Cupido,
Inde voluptates, inde alimenta Dei.

Hadingus deus apud Gothos factor Belli habitus est; Holaus. lib. 3. hist. c. 4.

Harpocrates deus silentij apud Ægyptios, qui digito os obsignare videbatur, teste Plutarch. eius imago ita erat efficta. Puer erat imberbis, nudus, qui dextræ indice digito os obsignabat, sinistra verò deorsum extēta substinebat cornu copiæ, sursum ad aurem pertingens, frugibus refertum, inter quas eminebat nux pinea. Dei verò caput mitra Ægyptiaca redimi videbatur, quæ aliquantulum in altum erecta desinebat in duas quasi volucres.

Hebe pubertatis, et adolescentiæ dea Diuus Augusl. Cic. et alij.

Heliogabalus deus peregrinus in primis Phœnicum, cuius Basianus Antoninus cognominatus Heliogabalus Imp. in monte Palatino Romæ templum constructit, Lampridus, et Herodianus lib. histor. 5.

Hercules inter deos ab antiquis connumeratus sub varijs, et diuersis cognominibus colebatur, vt referunt Pausanias, Varro, et alij.

Herbæ adorantur ab Indis vol. 3. Nauigat. pag. 354.

Herem Marteam antiqui accepta hereditate colebant, quæ à nomine appellabatur heredum, Festus.

Hipponā deam equorum, et stabuli antiqui vene-

venerati sunt. Plutarch. in parallelis, Tertullianus in Apologetico, Fulgentius ad Calcidium, et Plinius castigat. cap. 4.

Honor etiam deus putatus, vt est apud Lactantium, et D. Aug. ac Ciceronem 2. de nat. deorum, et Liuium lib. 7. decad. 3. Alciatus Honorem purpurea veste depingit, laurea corona tum. Ita enim cecinit.

Stet depictus Honor, Tyrio velatus amictu.

Horchilaus deus principalis Ciuitatis Mexici Indiæ orientalis vt in 3. p. Nauig. pag. 307.

Horta dea ab hortando, et incitando dicta. D. August.

Hostilina dea colebatur, cum segetes nouis aristis æquantur, vt D. Aug. ait.

Hymenæus nuptiarum deus à Græcis habitus est, vt à Romanis Thalassus; quibus tamen nominibus, et nostri usi sunt. Dictus est Hymenæus, uel Hymen à membrana, quæ et eugion dicitur; quæ cum sit claustrum uirginitatis, in nuptijs rumpitur, ut est apud Suidam, Lactant. Senecam, et alios. Pingebatur Hymenæus, ut ex Catullo colligitur, coronatus floribus, et amaraco, dextra facem tenens, sinistra flammeum (lutei uelamenis id genus) in pedibus croceos soccos habens.

Ianus antiquissimus Italiæ Deus habitus, et Latij Rex ab antiquis biceps, et quadriceps uariè effingebatur, ut est apud Macrobium, Suidam, et alios.

Ignis adoratur ab Indis orientalibus; habetur

tur in hist. orient. lib. 1. c. 14. in fine.

Indigetes dei ab antiquis uocati: Seruius 13. Æneid. duplici ratione Indigetes dici asseuerat: uel secundum Lucretium, quod nullius rei egeant; quasi nihil indaca iure: vel certè ait, Indigetes Dei sunt ex hominibus facti; et dicti Indigetes.

Intercido Deus, apud D. August. ab intercidendo securi.

Inuidia dea, quã Græci masculam effingunt effigie hominis male habiti, et ex morbo non dum planè conualescentis, ut apud Lucianum in dialogo Calumniæ. Latini uero fœminę forma formarunt, ut pulcherrimè Ouid. in 2. Metamofor. ostendit, ubi et Inuidiæ domum describit, et Inuidia ipsam his uersibus.

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto,
Nusquam recta acies liuerit rubigine dentes,
Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno:
Risus abest, nisi quem visi fecere dolores.
Nec fruitur somno, vigilantibus excita curis:
Sed videt ingratos, intabescitq; videndo,
Successus hominum, carpitq;, & carpitur vnà,
Suppliciumq; suum est.

Iocahuna deus adoratur ab Indis, uol. 3. Nauig. pag. 41.

Iris dea, et nũcia deorum ab antiquis habita, sicut Mercurius; sed ille ad pacem ut plurimũ, et Iris ad lites et dissensiones. testibus Hesiodo, et Seruio. Eam fingebant antiqui habitu mulie bri, uersicolore uestę in obsequium expedita.

Isis

Isis dea ab antiquis cuncta religione celebrata. Macrob. in Satur.

Ismael Rex Persarum adoratur, tanquam deus à militibus suis, habetur in 2. vol. Nauig. cap. 22. pag. 91.

Iugatinus deus, vt in 6. de ciuit. Dei ex Varrone scribit Aug. cum mas, et fœmina coniungebantur, colebatur.

Iuno Iouis coniux, vt ait Varro, et is Cœlũ, hæc Terra, sic dicta, quòd vnà cum Ioue iuuat. Arnobius, Martianus, Cic. et alij finxerunt ipsius Iunonis Idolon, vt ęream forficem præferret, sumpta trasslatione, ac metaphora ab incidẽte capillos forfice: et purum corpus ostendens. Iunonem Apuleius in 10. ita effinxit; mulierem honesta forma, habentem in capite candidum diadema, et sceptrum manu gestantem. Prestaret huius deæ diuersa cognomina, eidem à gentibus attributa interpretari, uariasq; ipsius effectiones referre, sed breuitatis gratia omittunt.

Iuppiter deus, quem diuersis nominibus nũcupatum Nationes fermè omnes sibi deum cõstituere, et apud se natum dixere, prout scribit Eusebius Cæsarien. lib. Euang præpar. 3. Non solum tres Ioues fuisse, duos in Archadia, et tertium in Creta natos. teste Cic. de nat. Deorum, sed trecentos memorant scriptores, quorum nomina, et cognomina longum esset referre. Iouem varijs modis antiqui effingebant, pro diuersa illi potestate attributa. Sed eius illud in primis simulacrum sedere fingebatur, vt stabi-

lis virtus, incommutabilis ostenderetur. Nuda verò superiora, et aperta habere videbatur, quoniam ipsum conspicuum esse existimabant in intelligentijs, quæ dicuntur, et cœlestibus mundi partibus: inferiores autem Iouis partes velatas, et obtectas; quia minus apparere, nec planè videri putabant, ab ijs scilicet, qui creati sunt in partibus inferioribus. Continebat verò læua sceptrum, quia in sinistra corporis parte, vt volũt Physici, extum maximè princeps, et spiritale subsistit cor. Rex enim mundi, et opifex νὸς, hoc est intellectus vel mens. Dextra vero nunc Aquilã protendere videbatur, nunc Victoriam. Et quidem Aquilã, quòd Iuppiter ita superioribus, et cœlestibus imperet, vt aquila cæteris auibus: Victoriam verò, quoniam omnia ei subiecta, atque deuicta sint. Hęc quidem partim ex Porphyrio, et Phurnuto Philosophis, partim ex Eusebio, Theophilo, et Suida. Pausanias verò in Eliacorum priore Olympiũ Iouẽ sic describit: Sedet in solio ex auro, et ebore facto: corona capiti imposita est, ad oleagineæ frondis imaginem: dextera Victoriam, et ipsam ex ebore, et auro profert, cum tænia, et corona: læua sceptrum tenet affabrè expolitum, et omnium metallorum varietate distinctum: quæ auis sceptro incumbit, aquila est: aurei sunt Deocalcei: pallium item aureũ: in eo cum diuersa animalia, tùm ex omnibus florum generibus lilia in primis cælata sunt: soliũ ipsum auro, et preciosis præfulget lapidibus,

neq;

neque in eo vel ebur, vel ebenum desideratur: animalium verò formis intercurrente pictura exornatur. Martian. libro 1. de Nupt. ita in Senatu Deorum Iouem effinxit: in capite flammã tem coronam habuisse ait, et super ea velamen rutilum Mineruæ manibus confectum, et vestẽ candidam habuisse, indutum hyalinos amictus crebris quibusdam stellis interstinctos: manu dextera duos orbes porrigentem, aureum alterum, ex electro alterum: qua figura, rotũda scilicet, virtutem prouidentem, atque viuificam significari, testis est Porphir. lęua verò chely enneaphthongo inniti videbatur, calces habere virides, et calceis fuscinam premere. hac figuræ imagine Martian. totius naturæ præsidem Iouẽ significasse videtur. sed enim, et pro varia illius, q̃ habere veteres potestatẽ existimabãt, variè formabant. aliter enim Fulgens, et Fulgurator Iuppiter: aliter Tonãs, et Fulminator, et Stator effingebatur, et plerumq; pro arbitrio Principũ, vatũ, et pictorũ. Quos ego non referam.

Iustitia dea, quam Astræam Græci à patre nuncupant. Hanc finxerunt Astrologi signum in Cœlo, Virginem. Dea hæc ita à Chrysippo describitur in 1. de honesto, et voluptate, vt à Gellio lib. 14. refertur. Imaginem inquit Iustitiæ fieri solitam, forma (ait) atque filo virginali, aspectu vehementi, et formidabili, luminibus oculorum acribus: neque humilem, neque atrocem, sed reuerendæ cuiusdam tristitiæ dignitate. Pausanias verò ita depictam ait in arca

Cypseli: At formosa (inquit) illa mulier, quę fœda facie alteram sinistra obstricto collo trahit, dextera fuste cedit, Iustitiam significat, quę iniuriam male multat. Iustitiã apud Ægyptios sine capite fuisse Alexander scribit. Eam autem effingebant per manum sinistram porrecta palma discapedinatam; propterea quod sinistra, genimina pigritia, nulla calliditate prædita videtur. Et ideo æquitati aptior, quàm dextera, vt Philippus ait in Symbolis. Nostri nũc pictores examinę laneis, vel staterę, nunc et securium, ac virgarum fasce, nunc his vel illis insigniunt.

Iuturna Nympha culta, et à iuuando appellata, vt Varro, et Seruius attestantur.

Lactucinam etiam deam colebant veteres, quæ lactescentibus frumẽtis, ac segetibus præesset. Sunt qui Lacturnum apud D. Aug. legãt.

Lares Dei domestici ab antiquis venerati. Macrob. Plutarch. Ouid. et alij: scribit Arnobius, Lares vicorum, atque itinerum deos esse; Higidius verò tectorum domuumq; custodes.

Lateranus Deus focorũ creditus, sic dictus (vt prodit Arnobius) quòd ex laterculis crudis antiquis. aut ex quacunque materia focos fabricarent.

Lauerna dea furum, qui (vt Festus ait) ob id lauerniones dicuntur. Lucidius, et Varro.

Leones adorantur ab Indis vol. 3. Nauigat. pag. 307. litera. F.

Leuana dea, quæ natos de terra leuat infantes, testę D. August. Moris verò fuit, vt natus

infans

infans ab obstetrice in terra statueretur, vt Macrob. ex Varrone docet.

Libentina dea fuit, cui nomen factum à libidine ait D. Augustin. Varro tamen de lingua lat. à libendo deducit: et Venerem esse significat, quæ et Lubentinia dicta est.

Libertas in primis à Romanis dea habita, et culta est, vt qui maximè ei studerent ab eo videlicet tempore, quo in libertate se se vendicauere. Liuius, Cic. et Dionys. hist. lib. 43.

Luna adoratur ab Indis orientalibus, vt habetur in hist. Ind. orient. lib. 1. c. 14. in fine vide supra ver. Diana.

Manes Dei inferi, quasi boni dicuntur à suppliciter eos venerantibus, propter metum mortis: vt Immanes quoque pro valdè non bonis dicuntur. Ælius Stilo, Festus, Cato, et Martianus.

Manturna dea adhibebatur, vt cum viro noua nupta maneret. Cic. et Liuius.

Marica dea Minturnensium. August. libr. 2. de ciuit. Dei cap. 22. Cic. Lactant. et Plutar.

Marinorum deorum ingens turba fuit, quorum Princeps Neptunus.

Mars Deus à nationibus, et præcipuè à Romanis summo cultu veneratus, multisque nominibus appellatus; ardens effingebatur, nunc in equo armatus cum hasta, et flagello. Illi etiam interdum gallus ob militum vigilantiam appingebatur. Isidorus Martem scribit nudo pectore effingi solere, quòd quisque in bello sine cordis formidine obijcere se debet.

Materas deas cultas ab antiquis legitur, quibus hastæ dicabantur, et affigebantur. Lilius Gyraldus.

Matlacuie Aquarum dea culta apud Indos in Mexico p.3.hist.Ind.cap.223.

Matura dea fuit, quę matureſcentibus frumẽtis præeſſe dicebatur. Cic. et Liuius.

Meditrina dea à medendo denominata ab antiquis colebatur. Varrone, et Feſto teſtibus.

Mellona dea mellificationis fuit D. Auguſt. in 4.

Mena dea fuit, quę fluoribus menſtruis mulierum præeſſe putabatur. D. Aug. lib. 7.

Mens à Romanis, vt Liuius, et Cic. tradunt, conſecrata, vt mentem ea bonam concederet: quod et D. Aug. non ſemel aſſeruit, et ante eũ Lactantius, Ouid. in Feſtis et Propertius.

Mephitim deam antiqui putauerunt odoris tetri. Cor. Tacit. lib. 19. et Priſcianus lib. 7.

Mercurius deus ſermonis ab antiquis credebatur, ac nuncius deorum, varijsque cognominibus appellatus à populis cultus fuit, vt D. Auguſt. Cic. Arnobius, Phurnutus, Tertullianus, et alij tradunt. Lucro etiã, et mercimonijs Mercurium præfecerunt antiqui, eidemque Romani menſe Maio rem diuinam faciebant, eiusque ſtatuę plerique marſupium ſuſpenſum adhibebant, vt Macrobius, et Suidas notant. In libro antiquitatum Mercurij imago ſic effingitur. Filo corporis iuuenili, facie imberbi, cum alis ſupra aures: nudus totus, præterquamquod in

dorſo

dorso palliolum habere videbatur: dextera manu supium continebat, quod supra caput hirci iacebat: sinistra verò caduceum præferebat, et ad pedes illius gallus, et hircus suberant. Pingitur quandoq; cum galero alato, et cũ talaribus, et petaso in pedibus, et alijs modis, qui omittunt.

Methotin Magus deus habitus apud Gothos Holaus. libr. 3. hist. c. 4. Qui agnitus à populo fuit occisus.

Minerua dea sapientiæ, et prudentiæ, ac artium dicta, sub varijs cognominibus à gentibus colebatur. Cic. Liuio, Dionys. et Pausan. ac alijs auctoribus. Effingebatur varijs modis, vultu in primis virili, et truculento. teste Phurto. Alij armis insignem oculis toruam, et glaucis, cum hasta prælõga, et Chrystallino clypeo effecere: omniaque hæc misticè prudentis, ac sapientis dicunt significare naturam.

Minutius deus apud Romanos legitur. Festus, et Lampridus in vita Commodi Imper.

Misericordiam cultam legimus: vnde Misericordiæ aram Athenienses habuere, vt Pausan. alijque tradunt.

Mozim deus adoratur in Regno Benomata pa apud Indos occidentales habetur 1. vol. Nauig. pag. 393. litera. c.

Momus deus conuicij, et maledicentiæ, ac reprehensionis. Hesiod. in Theogon. et Lucianus.

Murcea, uel Murcia dea desidiæ existimata.

Myiagrus deus muscarum dictus, quem inuocantibus nihil molestiæ muscas inferre dice-

batur. teste Pausania.

Nascio, seu, vt alij tradunt, Natio dea est, quæ nascentibus præesse credebatur. Cic. in 3. de nat. deorum.

Natagai numen quoddam pro Deo Tartari colunt: putantq; illud Deum esse terræ, qui curam de ipsis, et filijs eorum, de fructibus, atque gregibus pecorum gerat, ex libris, qui de nouo orbe inscribuntur.

Necessitatis, et Violentiæ sacellum in Acrocorintho, quod ingredi nefas fuit, apud Pausan. legitur.

Nemesim Ammianus Marcellinus deam esse ultricem facinorum impiorum, honorumque præmatricem, rerum arbitram, et caussarum reginam dixit: quam Theologi ueteres fingentes Iustitiæ filiam ex abdita quadam æternitate tradebant omnia despectare terrena. Pennas huic deæ fabulosa uetustas aptauit, ut adesse uelocitate uolucri cunctis existimaretur: eidem gubernaculam dedit, et rotam subdidit, ut uniuersitatem regere per elementa discurrens omnia non ignoraretur. Macrobius uerò Nemesim cõtra Superbiam coli, essecq; Solis potestatem arbitratus est: cuius hæc natura sit, ut fulgentia obscuret, et quæ sunt in obscuro illuminet: sic etiam Nemesis, nunc erectas mentium humanarum ceruices opprimere, et eneruare uidetur: nunc bonos ab imo suscitans, ab bene uiuendũ extollit. Nemesis Rhammusia, et Adrastia, eadem diuersis de causis sic appellatur. Plerique

etiam

etiam Nemesim esse uim fortunæ existimauere.

Næniam deam funerum commemorant Festus, Augustinus, et Varro.

Neptunus deus ab antiquis sub diuersis cognominibus colebatur, varijsque modis pingebatur; nunc pacatus, et tranquillus; nunc commotus; nudus etiam cum tridente, et conca; et nũc in veste cerulea, ideſt cyanea, vt Phurnutus ait. In quibusdam numismatibus Vespesiani, et Adriani, q̃ habebant à tergo has literas NEPT. RED. hoc est Neptuno reduci; pulchra verò erat imago nudi stantis, in lęui humeri tergo propendebat amictus, dextera trilorem scuticam, læua elatum tridentem tenebat. De Neptuno plura dicta fuerunt apud scriptores.

Nereus deus marinus ex mari, et terra natus; Nereidum Nympharum pater. mirificè laudatus ab Hesiodo in Theogonia.

Nixi dei dicti fuere ab enitendo ideſt pariendo, Festus.

Nodotus deus sic vocatus à D. Aug. ab alijs Nodinus, qui nodis geniculisque culmorum præfectus putabatur.

Næmiam deam funerum commemorat Festus, et D. Aug. ex Varrone.

Nouensiles dei à Sabinis Romam deducti existimantur, atq; ijs à Tatio Rege ex voto ędes dicatæ fuerunt, sic dicti quià nouissimè in deorum numerum sunt collocati.

Nox etiam ab antiquis culta fuit, vt Hesiod. et Statius Papinius lib. 2. Theb. testantur. No-

ctem veteres mulieris forma effinxere, nigris expansis alis, quæ volare videretur. Manilius libr. 5. nostro verò tempore stellatum Cælum obscuratum cum Luna effingunt, quæ noctis symbolum putatur. Pulchra est apud Pausan. in Eliacis descriptio Noctis, Mortis, et Somni, his verbis: In altero vero arcę latere, quod est à lęua, ordinem operis in orbem oculis persequẽ ti, fœmina expressa est, puerum consopitum læ ua album substinens, nigrum dextera; et hunc dormientis effigie, distortis vtrinque pedibus, indicant inscriptiones. quod facilè tamen, vt ni hil scriptum sit, conijcere possis, eorum puero rum vnum Mortem esse, alterum Somnum: mu lierem illam Noctem vtriusque nutricem.

Numeria dea, quæ numerare docere credebatur, vel ad numeros pertinere. D. August. auctore.

Nundina dea antiquorũ, vt scribit Macrob. à nono nascentium die nuncupata, qui dies lustricus vocabatur, quo scilicet infantes lustrabantur, et nomen imponebatur: quod et Festus scribit, et Plutarch. in quæstionibus.

Nymphis quandoque vt Deis Templa condi ta sunt; quarum plura sunt genera.

Occasionem latini deam fecere. Ausonius Gallus hoc epigramma ipsam describit.

Cuius opus? Phidię, qui signum Pallados, eius
Quique Iouem fecit, tertia palma ego sum.
Sum Dea, quæ rara, & paucis Occasio nota.
Quid rotulæ insistis? Stare loco nequeo.

Quid

Quid talaria habes? Volucris sum: Mercurius quæ
Fortunare solet, trado ego, cum volui.
Crine tegis faciem? Cognosci nolo. Sed heus tu,
Occipiti calua es? Ne tenear fugiens.
Quæ tibi iuncta comes? Dicat tibi: Dic rogo quę sis?
Sum dea, cui nomen nec Cicero ipse dedit.
Sum dea, quæ facti non factique exigo pœnas,
Nempè vt pœniteat: sic Metanœa vocor.
Tu modò dic, quid agat tecum? Si quando volaui,
Hæc manet: hanc retinent, quos ego prætерii:
Tu quoq; dum rogitas, dum percunctando moraris,
Elapsam dices me tibi de manibus.

Ochilubo est deus magnę venerationis apud Indos orientales in 3. p. Nauig. pag. 278.

Oceanus deus, et ipse maris, cœli, et terræ filius ab Hesiodo dictus.

Oden deus cultus apud Gothos, eo quòd sit auxiliator in bello Holaus lib. 3. hist. c. 3.

Ogoas nomen dei apud Caras, qui Milasan incolebant, in cuius dei tẽplo fluctus, et procella apparebat, et perinde terrorem incutiebat. ex Pausan.

Ometochtli deus vini in Regno Mexic. apud Indos in 3. p. hist. Indiæ occidental. c. 223.

Orbona dea erat, ne nos orbos faceret. Plinius, et Arnob.

Ossilago dea solidatrix ossium, vt ait Arnobius lib. 4.

Pales, teste Festo, et Seruio, dea Pastorum vel pabuli habebatur. Ouid. in Fastis, Virg. et Varro.

Pali-

Palicus deus, qui deus esset Macrobius ostēdit in lib. 5.

Palmytius Ægyptiorum Deus, vt est apud Hesychium.

Pammyles deus apud Ægyptios. teste Hesychio Priapo similis.

Pan deus pastoralis teste Liuio. Hunc deum Arcades colebant, non tamquam syluarum Dominum; sed vniuersæ substantiæ materialis dominatorem, vt ait Macrobius.

Panda dea dicta, vt scribit Arnob. quod Romulus in iaculi missione cunctorum præstiterit viribus.

Panniculum rubeum adorāt populi Aquilonares Olaus Magnus in hist. gentium lib. 3. c. 2.

Partunda dea parientum, Lucinam alio loco leges.

Patalenam eam deam existimabant, quę præesset segetibus, cum spicæ, et folliculi patescūt, vt scilicet spicæ exire possint. D. August. ex Varrone.

Pattaicos, siuè Patęcos deos Phænices vocabant, quos in triremium proris circumferre solebant Pygmæorum quadam, (vt ait Herodotus,) imagine.

Pauentinā deā antiqui constituerūt, vt auerteret ab infantibus pauorem, auctore D. Aug.

Pauor, et Pallor dei à Tullo hostilio figurati, et culti, vt Lactantius scribit, et D. Aug. Pauorem quoque à Corinthijs cultum fuisse scribit Pausan. in Corinthiacis.

Pau-

Paupertas, et Ars à Gadareis cultę, teste Arriano. Quod videlicet Paupertas ad artes commiscẽdas industriam, et hominũ ingeniũ acuit.

Pax fuit ab antiquis culta, et Plutarch. in Cimone scribit, Athenis Pacis aram dicatam fuisse. Romæ templum Pacis fuit magnificentissimũ, vt referũt Iosephus, Plin. Sueton. et Dion. Effingebatur Pax cum spicis. Tibullus.

Interea Pax alma veni, spicamq; teneto,
Profluat, & pomis candidus ante sinus.

Interdum etiã cum oliua, et nonnumquam cũ lauro coronabatur, quin et cum rosa, vt in aliquibus veteribus nummis videtur.

Pecunia dea D. Aug. dex Pecuniæ commendabantur, vt Pecuniosi essent.

Pellonia dea, vt scribit Arnobius, pellendorum hostium potens credebatur. D. Aug. in 4.

Penates dei à gentibus summa religione culti, Varro, Arnobius, et Dionys. Alicarn. quidã deos patrios esse existimarunt; alij dei, qui Domi coluntur.

Perficam, et Pertundam deas statuerunt Romani, vt Arnob. docet, et hanc quidem, quod in cubilibus præstò esset, dum virginalem scrobẽ effoderent mariti: illam quod voluptates perficeret inoffensa dulcedine.

Picus Saturni filius à Romulo inter deos cõnumeratus, vt D. Aug. docet in 4.

Pietas dea quidem et ipsa culta, qua et cæteros deos colebant antiqui: cuius sacellum ab Attilio dicatam, in quo mulier habitasse dicitur,

tur, ea, quæ vberibus patrem in carcere aluit. Festus, Val. Max. et Cic. 1. de nat. deorum.

Pilumnus deus à pilo, quod far sine pilo non conficiatur. D. Aug. et D. Cipryanus.

Pitho psuadendi dea ab antiquis Græciæ scriptoribus celebrata; latini quidã Suadã, et Suadelã: quidã et leporẽ dixere, vt auctor est Paus.

Pluto deus inferorum pluribus cognominibus nuncupatus; de eo plura scribuntur apud Cic. Varronem, Phurnutum, et alios.

Plutus deus Diuitiarum à gentibus cultus. Dionysio, Hesiodo, Pausan. et alijs testibus.

Pœna, et Beneficium duo numina deorum instituta à Democrito.

Pollux, et Castor Iouis filij Castores dicti; et græcè Dioscuri, sub diuersis nominibus ab antiquis culti fuere, vt Cic. Virg. Plutarch. et alij testantur.

Pomona dea, quæ pomis, et fructibus præerat, summa religione à gentibus culta, vt fructuum fœcunditatem afferret. D. August. et Ouid. Mætamorphor.

Potniades deæ dictæ fuerunt furorem faciẽtes. His deabus statо tempore, vt scribit Paus. et alia patrio ritu faciũt sacra, et intra eas ædes, quæ Megara vocant, lactantes sues mittunt: eas exacto anno, ijsdem ferè anniuersarijs diebus, apud Dodonã pascere aiunt. Seruius in Com. 3. Georg.

Populonia dea apud Senecam de superstitione, ne populationes fierent. D. Aug. lib. 7.

Por-

Portunas deus marinus, vt ait Seruius, qui portubus præest.

Potina dea, præses existimata potionibus infantium, vt notat ex Varrone D. Aug. in 4. de Ciuitate Dei.

Praxidicen Dęmonam appellabant gentes, vt Hesychius tradit, quæ non modo ijs, quæ dicuntur; sed et quæ agantur, finem imponat: et propterea capita habebat, et miracula. Suidas verò huius deę solũ caput cõstitui solitũ tradit.

Prema dea mater, culta, vt subacta virgo, ne se commoueret, cum premitur. Lilius.

Preces deæ Iouis filiæ ab Homero lib. 9. Iliados his versibus expressæ.

Namq; Litæ, soboles magni Iouis, & pede claudo
Rugosæ, obliquoq; oculo medeantur, vt illi;
Terga sequuntur Ates, celeri præuertitur omnes
Illa gradu, & passim damnum mortalibus affert.
Hæ verò actutum sarturæ damna sequuntur,
Conciliantque suis cultoribus optima semper
Commoda, at exercent iram genitoris in hostes.

Easdem, et Quintus Calaber in Paralipomenis commemorat. Sunt, qui ita interpretentur: deas quidem eas claudas, quod qui precẽtur genua flectant: item rugis obsitas, ad imbecillitatem designandam: ad hęc et strabis esse luminibus, quod conniuere videantur ad aliqua; sed postremò necessitate ad supplicationes deflecti: demum idem Poeta Preces, vt ait Phurnutus, deas quasdam, claudasq; vocauit, quod tarde, et vix accędãt ad eos supplicãdos, quos

quos ante iniuria effecerint. At vero rugosas, et strabis luminibus, quod grauiter, et ore parùm hilari intueri queant, quos offenderunt, et à quibus veniam deprecentur.

Prosa, vel Prorsa, et Postuerta deæ fuerunt apud Romanos celebratę, quibus et aræ, et sacra fuerunt constituta, ob scilicet pariendi discrimina. Prosa enim præesse illis existimabatur, quæ rectum, ac legittimum partũ ederent. Postuerta verò ab ægris, et infirmis, et cum prę posterè partus edebatur; Cœlius, et Macrob.

Proserpina dea, quam Varro Lunam esse voluit: D. tamen Aug. ait Proserpinam deam existimatam frumentis germinantibus.

Proteus deus marinus, hic sese in varias figuras mutare solitus erat, vt legitur apud Herodotum, Diod. et alios.

Prouidentiam, quam Stoici anum fatidicam faciebant, dea putabatur, vt Cic. de nat. Deorũ meminit, et Martianus. Hæc mundum, et mundi partes administrare tradebatur, vt optima et frugi materfamilias.

Pulex adoratur apud Indos in Regno Mexic. habetur 3. p. hist. Ind. c. 223.

Pudicitia dea culta est ab antiquis, cuius Romæ ædes fuit in foro Boario, et hæc quidem Patricia vocata: altera fuit Plebeia, cuius ædicula in vico longo à Virginea posita, vt testatur Liuius, Val. Max. Festus, et Propertius.

Pudor ab Athenienſibus cultus Xenophon in Sympoſio, et Pauſan. effingitur à Græcis

mulie-

muliebri forma, et à latinis puerili.

Puri dei colebantur ab Arcadibus, quorum templum erat in colle Pallantio, ad quorum numen iusiurandum Arcades habere solebant.

Quies dea colebatur à Romanis. teste D. Aug. in 4. de Ciuit. Dei, et T. Liuio in 4.

Quecadquaal deus Ciuit. Chuenilæ in Regno Mexico vol. 3. Nauig. pag. 307.

Quirinus Romulus Deus Peculiaris Romanorum, vndè Romani ipsi Quirites appellati. Ouid. et Festus.

Reges adorant vt dij in extrema parte Aphrî cæ versus occidentem, habetur. 1. vol. Nauig. pag. 115. litera D.

Rediculus deus à Romanis cultus, cui extra portam Capenam fanum construxere, Festus,

Rhea, quæ ops latinè vocatur, et Cibele, et Deum mater, et vt Strabo colligit, dea Phrigia, magna mater, Vesta, Idea, Dindymene, Pylena, Pessinutia, alijsque nominibus, quæ longum esset referre. Rheæ tympana, et Cymbala adhibita fuerunt, item faces et lampades propter tonitrua, et fulgura, quæ pluuijs præuia esse solent; ipsa. n. Rhea pluuiarum causam tradit. Huic etiam deæ cor sacrificabant, significantes hanc causam esse viuificæ generationis. De ipsa D. Aug. et alij scriptores plura loquuntur.

Res, quam primò obuiant deinane, adorant Indi occidentales vt in 1. vol. Nauigat. pag. 366. litera. B.

Risus simulacrum, vt dei, Lycurgum apud

Lacedemonios erexisse testis est Plutarch. putabat. n. ille, Risum laboris, et modesti victus esse condimentum.

Rostarus deus apud Gothos immanissimus habitus Holand. hist. lib. 3. c. 4.

Rubigus deus, huic deo res diuina fiebat, ne rubigo occuparet segetes. Varro, D. Aug. Plinius, et Festus.

Ranæ adorantur apud Indos vt dij Piscium 3. p. hist. Ind. c. 223.

Rumina, vel Rumia dea, quæ mamma paruulo, vt ait D. Aug. immulgere dicebatur, quia rumam dixere veteres mammam. Plinius, Festus, et Varro de re rust. 2.

Runcina dea tum placabatur, cum frumenta runcanda essent. i. a terra auferenda. D. Aug. et Varro de lingua lat.

Rusina dea fuit, cui rura committebant antiqui, vt ait D. Aug. quidam hanc Rurinam potius vocarunt.

Salacia Neptuni vxor dea aquæ. D. Aug. Festus, et alij.

Salus à Romanis dea, vt à Græcis Hygeia culta fuit. Macrobius, et Liuius in 9. ab vrbe condita. Salus verò effingebatur ab antiquis, mulieris forma, in solio sedentis, pateram tenentis, penès quam ara erat: aræ anguis inuolutus caput attollens. Porro et Salutis augurium apud Romanos celebrabatur, quod intermissum Augustum renouasse legitur. De hoc Salutis augurio Cicero, Sueton. Cornel. Tacit. Festus, et Dion.

Dion.lib.hist.38.et Liuius scribunt.

Sangus Sabinorum deus. Dion. Alicarn.lib. 2. Xanthum nominat D. Aug.

Saron fuit deus Marinus, qui nauticæ arti præesse existimabatur, à quo datum est mari nomen, vt Strabo refert.

Saturnum Cœli filium à gentibus cultum. D. Aug. D. Cyprianus, Cic. et alij scriptores referunt. Fulgentius autem; Saturnus inquit Pollucis filius dicitur, Opis maritus, senior, ve lato capite, falcem gerens, cuius virilia abscissa, et in mare proiecta Venerem genuere. Huic Deo insitiones surculorum, pomorumq; educationes, et omnium eiusmodi fertilium rerum tribuebant disciplinas. Et Cyrenenses cum rem diuinam ei faciebant, ficis recentibus se coronabant, placentasq; mutuò missitabant. Saxones sic Saturnum effingebant. Senem in pisce stantem, qui rotam, vrnamq; tenebat. Martianus verò sic eum describit. Sator scilicet Saturnus, gressibus tardus, ac remorator incedit, glaucoq; amictu tectus caput, prętendebat dextera flammiuomum quemdam draconem caudę suæ vltima deuorantem, quem credebant annum numerum nomine perdocere: ipsius autem canicies pruinosis niuibus candicabat; licèt etiã ille puer posse fieri credebatur.

Securi dei dicti sunt, qui securitatem afferre dicerentur.

Seia dea fuit, vt ex Varrone tradit D. Aug. præposita quamdiù segetes sub terra essent: cũ

vero iam essent supra terram, et segetem facerent deam Segetiam vocabant.

Selectos deos vocabant Romani præcipuos, et summates, qui habebant ampliorem potestatem, et celebriores, ac in maiori habebãtur cultu, et veneratione. A D. Aug. ex Varrone viginti numerantur, duodecim videlicet mares, et octo fœminæ Ianus, Iuppiter, Saturnus, Genius, Mercurius, Apollo, Mars, Vulcanus, Neptunus, Sol, Orcus, Liber pater. Tellus, Ceres, Iuno, Luna, Diana, Minerua, Venus, Vesta.

Semidei animas cœlestes credebantur gerere, sacrasque mentes, atque sub humana effigie in totius mundi commoda procreatos antiquitas existimauit. teste Labeone apud D. Aug.

Semones Deos dici voluerunt antiqui, vt scribit Fulgentius ad Calcidium, quos nec cœlo dignos putabant, ob meriti paupertatem; sicut Hippona, Vertumnus, et Priapus, nec terrenos eos reputare volebant propter gratiæ veneration em.

Sentia dea existimata, quæ sententias inspirare dicebatur. D. Aug.

Serpentes reputantur ab Indis, quòd habeãt spiritus Dei in 1. vol. Nauig. pag. 162. litera. E. et vol. 3. pag. 307. vbi adorantur.

Sentinus deus, qui sensus à puerperio largiri credebatur. D. Aug. lib. 7.

Sol adoratur vt deus ab Indis oriẽtalibus vt in hist. oriẽt. lib. 1. c. 14. in fine uide supra ver. Apollo.

Som-

Somnus deus existimatus ab antiquis noctis filius, et mortis frater dicebatur; à Spartianis, vt tradit Pausan. cultus fuit. Describitur sic Sōnus à Philostrato; Facie, inquit, resoluta esse videbatur, candidam vestem habebat supra nigram, quasi diem, et noctem indicaret; Cornu in manu tenere videbatur, cum vera somnia immittit.

Sogomombar Can primus deus Idolorum apud Regnum, quod vulgo dicitur del Gran Can, habetur 2. vol. Nauig. pag. 20. cap. 2.

Spes etiam vt dea à Romanis est culta. Liuius in 1. et 4. tertia dec. Origenes libr. 4. aduersus Cels. et Cic. Spei effigies in Adriani Imp. aureo numismate sic apparebat. Fœmina fuit stans institæ laciniam sinistra manu nonnihil attollens, dextera in cubitum elata pateram proferebat, in qua repositum inerat uelut ciborium. i. uas in floris similitudine, cum hac inscriptione SPES P. R. Quidam etiam spem deam viridi indutam palla effinxerunt, et sedentem supra dolium cum cornice; quidam etiam cū Nemesi.

Stata mater, cuius simulacrum in foro colebatur. Festus.

Statilinus, seu Stabilinus, et Statanus Dei præsides, et assistentes pueris, vt Lactantius ait. Alij educationi adscribunt eo uidelicet tempore cum stari, et consistendi potestatem habere incipiunt. Varro lib. 1. de pueris educandis.

Strenua dea, quæ et Strenia dici uidetur. D. Aug. à strenuè faciendo denominatam dixit.

Syluę adoratę à Lituanis refert Olaus Magn. lib. 3. cap. 1. hist. gentium:

Subigus deus pater uocatus, qui adhibebatur, ut uirgo à uiro subigeretur.

Sydera adorantur pro dijs paruulis; dij autem maiores habentur Sol, et Luna ita in 1. uol. Nauig. pag. 351. habetur apud Indos.

Tacita, et Angenoria deæ silētij, ut Macrob. in Satur. et Plinius in 3. testantur.

Tages deus habitus apud Etruscos, Aruspicinæ inuentor, ut Lucanus, et Val. Max. ac Cic. in lib. de Diuin. ostendunt.

Tambarane deus Indorum occidentalium in Regno Calicut factus ad imaginem Bouis, aut uituli habetur in 1. uol. Nauigat. pag. 140. litera. F.

Tanais dea colebatur ab Armenijs. Strabo libr. 11.

Tambarme deus est lapis ouo similis, quę geritur ad Collum, adoratur in Regno Narsinga apud Indos uol. 1. Nauig. pag. 302.

Taraxippus deus cultus ab Eleis, cuius ara erat in stadiodromo, et quem aurigæ colebant; eius numen esse putabatur, ne turbaret equos currentes. Pausanias in Eliacis.

Terminus deus, cui à Numa Pompilio Rom. Rege secundo sacellum in colle tarpeio erectū fuit, eidemq; nullum animatum sacrificabatur, sed liba tantùm, pultes, et frugum primitiæ, D. Aug. et Dionys. Alicarn. lib. 2.

Tenes deus Tenediorum Cic. teste.

Ter-

Terram, Tellurem, et Tellumonem, terræ deos consecrauere Romani, et Græci: D. Aug. lib. 7. et Varro.

Thalassus deus nuptiarum à Romanis habitus, sicut à Græcis Hymenæus. D. August. et Plutarch.

Theagenes athleta à Thasijs pro deo cultus fuit. Plutarch. Eusebio, et Pausan. testibus.

Thelesphorus quoq; ut deus à Pergamenis colebatur, auctore Pausan.

Tezcatleuca deus prouidentiæ apud Indos 3. p. hist. Ind. c. 79.

Themis dea, quam antiqui putabant eam esse, quæ hominibus præciperet id petere, quod fas esset. teste Festo.

Thor deus cultus à Gothis; ponunt eum dominum Cœli, et aëris facientem pluere, et reddentem fructus terræ Holaus lib. 3. hist. c. 3.

Tinea adoratur apud Indos in Regno Mexico, ut habetur 3. p. hist. Ind. c. 223. ut custodiã tur eorum panni.

Timorem Lacedæmonij coluere, ut ait Plutarch. in Cleom. Pingebatur cum capite Leonino, ut in scuto Agamennonis, Pausan. scribit. Legitur apud Lacedæmonios, Ephoros Timoris saccellum cõstruxisse propè trilinium, quo ipsi tribunal habebant, ut essent cæteris maiori formidini.

Tonitrui, lampades, sagittæ adorantur pro dijs apud Indos hist. Ind. 3. p. cap. 223.

Triton deus Marinus Neptuni filius, ut canit Hesiod.

Tutallina dea celebrata à D. Aug. et Varrone ad tutandas, et custodiēdas segetes collectas.

Vaccæ deæ habitæ apud Indos orientales in Regno Calicut lib. 1. hist. orient. c. 14. in fine.

Vagitanus deus, qui infantum uagitibus prę esse credebatur, ut ex Varrone D. Aug.

Vagnostus deus apud Gothos habitus fuit factor Belli Holaus hist. lib. 3. c. 4.

Venus dea generationis, et uoluptatis, ac formæ credita ab antiquis, et sub uarijs cognominibus culta, prout Varro, Cic. Macrob. Hesiod. et alij testantur. Veneris simulacra uarijs, diuersisq; modis effingebantur: nunc puellam in concha è mari exeuntem: nunc ut mulierem manu concham tenentem rosis, floribusque coronatam: curru etiam uectam aliquādo columbis, interdum cygnis tracto: quandoque cum argenteo speculo, et cum sandalijs inauratis cū aureis fibulis, et multis alijs modis breuitatis causa omissis.

Veritas dea existimata à gentibus, temporis filia, et uirtutis mater dicta, prout dicit Plutarch. in quæst. fingebatur, ut Philostratus in Amphiarao scribit, Virgo niueis induta uestibus. Hipocrates uerò in quadam ad Philopœmenem epistola hoc modo describit: Mulierē pulchram, magnam, simpliciter ornatam, illustrem, ac splendidam, cuius oculorum orbes puro lumine nitebant, ut astrorum, ac stellarū fulgorem imitari uiderentur.

Vertanus deus, etiam Ianus dictus est, Varrone

rone Ouid. et Donato testibus.

Vespertilliones adorantur vt dij apud Indos in Regno Mexico hist. Ind. p. 3. cap. 223.

Vesta dea ab antiquis fuit multa veneratione culta, nunc eam ignem, nunc terram existimantibus, vt docet D. Aug. lib. 4. de Ciuit. Dei.

Pingebatur Vesta mulieris forma sedentis, et gestantis tympanum, quòd terra ventos intra se contineat.

Vestibulares seu Præstructores dei colebantur ab antiquis in præstructionibus ędificiorũ vt apud Pausaniam in Attic.

Victoria pro dea à latinis, et Græcis culta fuit. Liuius, Cic. Dionys. Alicarn. et alij. Ab antiquis effingebatur, vt in nummis antiquis, et marmoribus cernebatur, alata, volans, coronã, vel palmam proferens.

Victolopuchtli deus belli apud Indos 3. p. hist. Ind. c. 79. deus belli habetur.

Virginensis dea adhibebatur in nuptijs à Romanis, quæ virgini Zonam solueret, vt Græcis Lysizona Diana. D. Aug. in 6. de Ciuit. Dei.

Vetula Aurea adorabat à Lituanis, et à Moscouitis, vt refert Olaus lib. 3. c. 1. hist. gent.

Viriplaca dea culta à Romanis, quę nomen à placãdis viris assecuta fertur. Nam vt Val. Max. lib. 2. scribit. Quoties inter virum, et vxorem iurgia intercesserant in sacellum deæ Viriplacæ veniebant: qui ibi inuicem locuti, quæ voluerant, contentione animorum deposita concordes reuertebantur.

Virtus

Virtus dea à Romanis culta. D. Augusti. Liuius, Val. Max. Plutarch. et Lactantius auctores. Virtus varijs imaginibus ab antiqs describebatur; nunc enim matronali habitu honesto, inaffectatoque; nunc quadrato saxo insistentẽ. In M. Val. Acilij Triumuiri peruetusto numismate hac forma apparebat: Mulier erat columnæ læuo inixa cubito, dextera serpentem tenebat. In altero quidem Gordiani Imper. masculo fingebatur hoc pacto, Imago erat senis barbati stantis, nudi, clauæ initentis, cũ Leonis pelle brachia aduoluta cum hac inscriptione.

VIRTVTI AVGVSTI.

Virtunnus Deus, qui vitam à puerperio largiri credebatur D. Aug. lib. 7.

Volumnus deus, et Volumna dea, dei nuptiales, vt bene coniungerentur. D. Aug. teste.

Volupia dea existimata, quæ à voluptate, vt D. Aug. ait appellata est. De eadem Varro, et Macrobius scripsere.

Voltumna dea Etruscorum, ad cuius fanum frequens Etruscorum concilium aliquando factum legitur apud Liuium.

Volutina Dea, folliculorum inuolucris, et inuolumentis segetum præposita D. Aug.

Vulcanum deum existimatum à gentibus, et cultum testantur Varro, Cic. Seruius, et alij.

Zamolxis deus cultus à Getis, quibus et leges tulit, vt in 4. Herodotus prodit. Possent plures alij dij hic referri, quos breuitatis gratia omitto: nam Mexicæ perhibent fuisse bis

mille

mille deos, qui vt plurimum ex ligno, saxis, aut luto formabantur; quorum alij erant solidi, alij concaui. In concauis latebant sacerdotes: oracula reddentes, plebem, et populum decipientes; de quibus mentionem facit F. Didacus Valades ordinis minorum de obseruantia in sua. Rhetorica Christiana p. 4. cap. 7. Ex quibus satis patet Deum verum esse trinum, et vnum, alios verò falsos, vt dixi supra tit. de Deo.

DE SACRIFICIIS IDOLATRARVM.

DIctum est supra de Idolis et falsis dijs gentium; sequitur modo videre, vt integra huius rei cognitio habeatur, de sacrificijs, quę ipsis offerebantur: et antequam specialiter de his agamus; notandum est primò, quod offerre sacrificium est de iure naturæ; quia in qualibet ętate, et apud quaslibet hominum nationes semper fuit aliqua sacrificiorum oblatio: quod autem est apud omnes, videtur naturale esse: Adā autem et alij iusti Deo sacrificiū obtulerunt secundum sui temporis congruentiam Greg. lib. 4. Mor. 1. 2. licèt de omnibus scriptura non faciat mentionem: naturalis. n. ratio dictat homini, quòd alicui superiori subdatur propter defectus, quos in se ipso sentit: in quibus ab aliquo superiori eget adiuuari, et dirigi: et quicquid illud sit, hoc est quod apud omnes dicitur

Deus

Deus: sicut autem in rebus naturalibus naturaliter inferiora superioribus subduntur; ità etiam naturalis ratio dictat homini secundum naturalem inclinationem, vt ei quod est supra hominem, subiectionem, et honorem exhibeat secundum suum modum: Est autem modus conueniens homini, vt sensibilibus signis vtatur ad aliqua exprimenda; quia ex sensibilibus cognitionem accepit. Et ideo ex naturali ratione procedit, quod homo quibusdam sensibilibus rebus vtatur, offerens eas Deo in signum debitę subiectionis, et honoris, secundum similitudinem eorum, qui dominis suis aliqua offerunt in recognitionem dominij. Hoc autem pertinet ad rationem sacrificij, cuius determinatio est ex institutione humana vel diuina, et in hoc differũt; quia ex institutione humana alteri quàm Deo soli offertur sacrificium: ex institutione autem diuina, cum solus Deus sit animarum nostrarũ creator, ac beatificator, ei soli sacrificiorum honor exhibendus est Exod. 22. Qui immolat dijs occidetur, prętерquã Domino soli. Nam oblatio sacrificij fit ad aliquid significandum; significat autem sacrificium, quod offertur exterius, interius spirituale sacrificium, quo anima se ipsam offert Deo Psal. 50. Sacrificium Deo spiritus contribulatus: exteriores. n. actus religionis ad interiores ordinantur. Anima autem se offert Deo in sacrificium, sicut principio suę creationis, et sicut fini suæ beatitudinis: at solus Deus est creator animarum nostrarum, in quo

solo

solo animæ nostræ beatitudo consistit: vndè sicuti ei soli debemus sacrificium spirituale offerre; ita etiam soli ei debemus sacrificia offerre exteriora, sicuti etiam orantes, atque laudantes ad eum dirigimus significantes voces, cui res ipsas in corde, quas significamus, offerimus, Aug. lib. 10. c. 19. de Ciuit. Dei. Hoc etiam videmus in omni Rep. obseruari, quod summum rectorem aliquo signo singulari honorat, quod cuicumque alteri deferretur, esset crimen læsæ maiestatis: et ideo in lege diuina statuitur pœna mortis ijs, qui diuinum honorem alijs exhibent. Exod. 22. et licèt aliquibus nomen diuinitatis sit exhibitum; non tamen fuit per æqualitatem, sed per participationem: ideo eis æqualis honor non debetur; et quamuis templa, et altaria sanctis instituantur, in quibus sacrificia fiùt: non tamè ipsi; sed Deus eorum nobis est Deus. Vnde sacerdos non dicit offero tibi sacrificium Petre, vel Paule; sed Deo de illorum victorijs gratias agimus, et nos ad imitationem ipsorum exhortamur: nec obst. quod Principibus mundi offerantur munera longè pretiosiora, quàm sit oblatio alicuius animalis; ergò multo magis Angelis, et Sanctis potest sacrificiũ offerri; nã Resp. quod in oblatione sacrificij non pensatur pretium occisi pecoris; sed significatio, qua hoc fit in honore Summi Rectoris totius vniuersi; Vndè Aug. lib. 10. c. 19. de Ciuit. Dei Dæmones nõ cadauerinis nidoribus; sed diuinis honoribus gaudẽt: soli Deo igitur sacrificiũ est offe-

ren-

rendum; ad quod omnes tenemur, cum sit de lege naturæ; quod cum sit duplex, vnum principale scilicet interius, et ad hoc omnes tenentur: omnes.n. tenentur Deo deuotam mentem offerre; aliud est exterius, quod propriè sumptum offertur à Sacerdotibus tantùm, qui non solum pro se, sed etiam pro alijs offerunt: quæ oblatio omnium dicitur specialis actus virtutis, cum in lege de his sacrificijs specialia præcepta tradantur; quando.n. actus vnius virtutis ordinatur ad finem alterius virtutis, participat quodammodo speciem eius: sacrificium autem ex hoc quod in diuinam reuerentiam fit, pertinet ad religionem, et per consequens est specialis actus virtutis S. Thom. 2.2.q.85. Art. 1.2.3. et 4. cũ Resp. ad Argum. His ita suppositis, quia templa Deorũ (vt ita dicam) diuersoria dicta sunt; quidam dixerunt Ianum Patrem primum in Italia templa struxisse; alij Faunum; alij Iouẽ apud Cretenses primum templa dicasse ferunt, atq; ob id inter Deos primum ipsum locum fuisse sortitum; Phœnices Vsonem quempiam primum simulacra igni, et vento statuisse, et tẽpla posuisse prædicant; Phoroneum alij, aut Metropem, vel Æacum Iouis filium tradunt: alij Cecropem primum in Attica: alij Phryges, qui deæ Phrygiæ templa dicarint. Templi autẽ partes quatuor dicebantur, sinistra ab oriente, dextera ab occidente, Artica ad meridem, postica ad Settentrionem; dicuntur autem templa esse diuersi generis: nam quædam dicũtur Tesca,

eo

eo quòd mysteria ibi fiant, aut tueantur; aliqua templa fana dicta sunt, eo quòd Pontifices in sacrando fati sunt Fanum. hinc prophanum est, quòd ante fanum ideſt, coniunctum fano. hinc prophanatum, quòd in sacrario pollutum est. Asylum etiam templi quoddam genus fuit, ex quo nullus posset extrahi. Hoc autem non fuit in omnibus templis; nisi quibus consecrationis lege concessum esset. Est et delubrum, in quo præter ædem sit area assumpta Deùm causa. Bidental quoque dicebant antiqui quoddam templum, quòd in eo bidentibus hostijs sacrificaretur: propè quæ templa erant Fauissæ, locus scilicet, in quo erat aqua seu cellis, cisternisque similis: vbi reponi erant solita ea, quæ in templo vetustate erant facta inutilia: erat præterea sacrarium propriè locus in templo, in quo sacra reponebantur; sicuti Donarium vbi oblata recipiebantur: erant præterea Deis superis, et inferis arę consecratæ, dictæ vel ab ardore, eo quia incensæ victimæ ibi ardebant. Has.n. ad normam quadratas fuisse accepimus, aliquando rotundas; super quas sacra facturi cespitem ex gramine, siuè verbenas apponere solitifuerant. verbenæ.n. in omnibus ferè sacris faustæ habitæ: has ex sacro loco decerpere oportebat. Ipsas enim aras; quoniam et hæ peculiares Deis fuere, vt etiam victimæ, suorum numinum frondibus ornare par fuit, vt Ioui æsculo, Apollini lauro, Mineruæ olea, Veneri myrto, Herculi populo, Bacco hedera pāpinis, et ramis ficulneis,

Pani

Pani pino cupresso Syluano et Diti, vel siquæ aliæ alijs Deis conueniebant; Thraces in sacris hedera coronabantur; Capadoces ambrosia; Druidæ Gallorum nullum sacrum sine roboris, vel quercus fronde, et visco conficiebant; Ægyptij Papyri flore Deos coronarunt; apud Persas non solum qui sacrificabat; sed et hostia, et qui sacris intererant festa ornabãtur fronde. Statuas autem, vel simulacra qui primò statuerit varie disputitur; quidam.n. Telchines apud Rhodum Deorum statuas primum fecisse volunt; quidam Hetruscos; alij Cadmum Agenoris filium apud Græcos: sunt qui Armodij, et Aristogitonis primas statuas positas prodant; alij Ægyptios tradunt, quas statuas, simulacra, et signa faciebant ex diuersa materia, videlicet cæra, sale, vitro, marmore, creta, argilla, auro, argento, ære, ferro, chalybe, plumbo, stanno, gẽmis, lapillis, ligno nempe cupressi, ebeni, cedri, quercus, radicis oliuæ, et aliorum; et de tẽplis, aris, et statuis satis sit dictũ; Hoc vnum superest dicere templorum formas varias fuisse apud antiquos; nam Solis templum erat rotundum; Iouis tecto coopertum; Vestæ rotundũ ad similitudinẽ pilæ; Cælitibus, et Superis alijs à terra extare volebant; Inferis Deis sub terra terrestribus media ponebant sępius; Vitruuius lib. 1. 3. et 4. dicit. Mineruæ, Marti, et Herculi ædes Doricæ fient. his.n. Deis propter virtutẽ sine delicijs ędificia constitui decet: Veneri, Floræ, Proserpinæ, Fontium Nymphis corinthio

genere

genere constitutę aptas videbantur habere proprietates, quòd his Deis propter teneritatem graciliora, et florida, folijsque, et volutis ornata opera facta, augere videbuntur iustum decorem. Iunoni, Dianæ, Libero, cæterisque Deis, qui eadem sunt similitudine; si ædes Ionicę constituẽtur, habita erit ratio mediocritatis, quòd à seuero more Doricorũ, et à teneritate Corinthiorũ tẽperabitur earũ proprietatis institutio; præterea in construendis templis habebatur ratio loci: nam Mercurij in foro; Appollinis, Patrisq; Liberi secundũ theatrũ; Herculis in ciuitatibus, vbi non sunt gymnasia, neq; amphyteatra ad circũ; Martis extra vrbẽ; Veneris ad Portã, Vulcani è mœnibus regionibus collocabaẽ Martis extra mœnia: eodẽ pacto Bellonę et Cæreris tẽpla extra vrbem collocata fuere; porrò vt plurimũ templa ad Orientẽ Solem construere, quæ tẽpla dicta sunt à contẽplatu, seù à tuendo: Templũ autẽ tribus modis dicitur, à natura in cœlo, ab auspicijs in terra, à similitudine sub terra; in cęlo vt cõtremuit templũ magni Iouis altisonantis; item magna tẽpla cęlitũ in terra, vt Scrupea saxa; Bacchi templa sub terra, vt Acherusia tẽpla alta Orci saluete. De tẽplis satis iam dictum sit: Videamus modo de Sacerdotibus, vt sacrificijs Christianorum, et Hebręorum nomina missa facientes, nec hoc in loco miscеamus sacra profanis, Plato in Dialogo de Regno, Sacerdotum inquit genus esse, vt inteligat, doceatq; quò pacto donaria Deis, et sacra sunt offerenda;

item qua ratione uouendum sit, quidue boni sit à Deo petendum: quorum primum locum obtinebant apud Romanos Pontifices, qui creduntur primum è patricijs à Numa Pompilio secundo Rege constituti; et quatuor ab initio creati, quibus subiectus erat Rex sacrorum, cuius vxor Regina sacrorum appellabatur; erant etiam Flamines à Romulo primum instituti, qui etiam subditi erant Pontifici Max. erant tamen omnium rerum sacrarum administri: erant etiam Romæ Pinarij, et Potitij Herculis Sacerdotes; Potitij.n. primò matutino sacrificio intererant; Pinarij postea extis iam redditis aduenerant; erant præterea Aruales fratres; erant et Augures summo in honore; Salij quoque; Fæciales, duumuiri sacrorum; Epulones; Titij sodales; Curiones dicti à Curiis, qui faciunt, vt in his sacra fiant; Cupentus quoque porrò lingua Sabinorũ sacerdos vocabatur; erant etiam Igniferi Sacerdotes, qui ante alios ignem in sacrificijs inferebant: Sacerdotes vestales, et Pastofori quoque Sacerdotes fuere apud Ægyptios, et Græcos, quorum omnium officia describuntur à Giraldo in lib. de Dijs gẽtium Syntagma 17. per totum. Nunc de sacrificijs agam. Sacrificiũ erat quodcumque erga deos officium, quod ritè rei diuinæ faciendæ causa impẽdebatur; vnde sacrificare est munera Deis offerre; quod erat duplex, aliud publicum; alterum priuatum; publicum pro populo fiebat, quod et popularia sacra dicta sunt; Priuatum quod pro singulis homi-

hominibus et familijs agebatur. fuerunt etiam sacra, quæ peregrina dicebantur; alia erant solemnia, quæ singulis annis præstari erant solita, quæ et anniuersaria dicebantur, quæ annua sacra dicta sunt; Athysia sunt sacrificia, quæ sine fumo fiunt, et exigua, qualia sunt inopum, quibus non esset victimarum copia; item erant Hostię apud veteres, quæ dicebantur sacrificia, quæ siebant antequam ad hostem pergerent. Victimæ verò sacrificia, quæ post victoriam de victis hostibus immolabantur; erant et Pręcidaneæ hostiæ, quæ ante solemnia sacrificia pridiè mactabantur; Succidaneæ verò sic dictæ, si primis hostijs litatum non erat, aliæ post easdem deductæ hostiæ cædebantur; Eximiæ hostiæ erant, quæ ad sacrificium destinatæ eximebantur è grege, vel quòd eximia specie, quasi offerendæ numinibus eligerentur; Aruga hostia erat ab ara sic dicta, in qua includebatur; Cauia res hostiæ dicebantur. i. pars hostiæ, quòd cauda tenus duceretur, et ponebatur in sacrificio pro collegio pontificum quinto quoque anno; Prodigiæ hostiæ dicebantur, quæ consumebantur, vndè et prodigi dicti sunt; Bidentes hostiæ, quasi biennes, quia neque minores, neque maiores licebat hostias dare. Istarum hostiarum duo sunt genera (vt refert Trebatius libr. 1. de Religionibus) alterum, in quo voluntas Dei per exta disquirebatur: alterum, quo sola anima Deo sacrabatur: vndè et animales hostias vocabant. Erant quoque plura sacrificia,

quorum primum Amburbium dicitur: quod fiebat quoties ciuitas luſtrabatur; fuerunt et non alia ſacra, q̃ nonis celebrabantur. Solitauri lia ſacra fuere, quę ſingulo perfecto luſtro per cenſores celebrari mos fuit ad luſtrandam Vrbem, ſue, oue, et tauro; aut verre, ariete, et tauro, qui circa Vrbem ducebantur. Ambaruale ſacrum ad Arua, et ſegetes luſtrandas, multa prece, et cæremonia celebrabatur; vndè Ambarualis hoſtia rei diuinæ cauſa circum arua ducebatur ab his, qui pro frugibus faciunt. Luſtralia ſacra appellabantur, quæ quinto quoque anno. i. luſtro peragebantur, aliquando tamen luſtralia, pinguia ſignificat. Erant quoque apud antiquos nonnullos feſtos dies; vndè Pabilia ſiuè Parilia, Palis deis ſolemnitas, dies Vrbis Romæ natalis fuit 12. Cal. Maij: Matralia Iunio menſe peragebantur: Megaleſia nonis Aprilis: Opalia menſe Decembris: Fornacalia 12. Cal. Martij: Terminalia menſe Februarij: Conſualia 17. Cal. Settembris: Vulcanalia menſe Sextili: Vortumnalia menſe Octobris: Laurẽtinalia 10. Cal. Ian. Faunalia Non. Decembris, cum pluribus alijs; quorum ritus quàm fuerit ſuperſtitioſus et vanus, nihil eſt quod in præſentia dicam; quia ſatis ſuperque per ſe ipſum oſtẽditur; et hæc quo ad ſacrificia antiqua: ſequitur modo videre quibus ſacrificijs vſi ſint atq; in præſentia vtantur homines, qui adhuc verã Chriſti fidem non ſunt profeſsi: Legitur in primo Vol. Nauigationum pag. 150. cap. 14. 16.

quòd

quòd Mauri in porta Lamech sacrificant Abraham, et Isaac, occidẽtes ad orientem plures verueces, quos assabant, et eos manducabant, similiter in eodem 1. vol. Nauigat pag. 314. l. F. Rex prouinciæ. Qui lacaræ se ipsum sacrificat Idolo sibi mortem inferens sacrificando, et hoc semper transacto tempore duodecim Annorum Regni sui.

Item pag. 343. l. F. in prouincia Bisinagar certo die in anno portant in medio duorum curruum Idolum per ciuitatem cantantes plures laudes, pluresque pro sacrificio se ipsos interficiunt.

Item pag. 163. cap. 21. legitur quòd in Regno Calicut adoratur Diabolus, eique sacrificium offertur.

In secundo Volumine Nauigationum pag. 14. cap. 36. legitur quòd in prouincia, quæ dicitur Tanguth, in natiuitate alicuius filij masculi ipsorum offerunt filium illorum Idolo, ad cuius honorem domi singulis annis nutriunt aretem, quem sacrificant Idolo; postea magno gaudio conuocatis cognatis, et amicis eum sic assatum comedunt.

Item pag. 17. cap. 55. legitur quòd quidam populi dicti Bachsi in Regno Regis vulgo nũcupati il Gran Can: sacrificant plures verueces habẽtes capita nigra cum thure, et ligno aloe.

In tertio volumine Nauigationum cap. 12. pag. 186. Indi in populo dicto di Lazero, antequam accedant ad bellandum, impositio lumine

super petram prolatis quibusdam verbis sacrificant suis Idolis.

Item pag. 188. cap. 15. in Insula sacrificiorũ, Indi sacrificant Idolis corda hominum, eodem modo sacrificant in Regno Temistitam, vt in eodem vol. 3. Nauigationum pag. 273.

In eodem volumine 3. Nauigat. pag. 384. habetur, quòd in Regno nuncupato Perù sacrificant Idolis quandoque proprios filios lauantes vultum Idoli sanguine filiorum suorum. et pag. 340. habetur, quòd sacrificant inimicos captos in bello occidentes eos offerunt Idolis. Item pag. 52. Indi Diabolo sacrificant.

In lib. 3. Historiæ gentium et naturæ cap. 7. sacrificabant Gothi Deis nouem species animalium, quibus addebant quandoque corpora hominum.

Possent præterea plura alia sacrificia pluresque ritus gentiũ hic apponi; sed breuitatis causa omitto: de his videre poteris per te in literis scriptis ex partibus Indiæ Orbis noui nuncupati à Reueren dis patribus societatis Ie su, moribus, et doctrina clarissimis.

EPILOGVS

EPILOGVS TOTIVS OPERIS.

Icendvm igitur videtur, vt breuis eliciatur conclusio ex supra dictis in tota presenti Summa, quòd omnis religio proficiscitur vel à naturali lumine, vel supernaturali, vel abutroq;. Religio, quæ solo lumine naturali continetur, aut à veris principijs humanæ rationis prouenit, aut à falsis originem habet. prima dicitur traditio Philosophorum; altera distinguitur, quia aut pendet à falsis tantummodo rerum naturalium principijs, vel à falsis habetur Dæmonũ principijs arte inuẽtis. prima dicitur Astrologorum superstitio, et ostentantium diuinandi peritia: altera dicitur Idolatria. Si aũt à lumine super naturali religio sit accepta, nulla alia, quæ lumen naturale trascendat, præter veteris, et noui testamenti legem inuenitur; et tunc aut solum vetus testamentum probatur: aut nouũ peruertitur et deprauatur, aut vtrumque confunditur. prima dicitur religio Iudæorum; altera Hæreticorum; tertia Mahumetanorum; aut nulla istorum suscipitur, et talis dicitur secta Ateistarum: de singulis modo breuiter dicemus, easq; pro viribus omnes cõfutabimus; deinde demonstrabimus religionẽ Catholicã, q̃ profitemur verisimã, eamq; amplectendã esse.

Primo dicemus de sectis Philosophorum
Secundo de Astrologis, et Diuinatoribus
Tertio de Idolatris
Quarto de Iudæis
Quinto de Hæreticis
Sexto de Mahumetanis
Septimo de Atheis

Philosophorum Religio vana.

QVod igitur pertinet ad primum, dicendum est Philosophorum traditionem ad salutem non sufficere; quia solo naturalis rationis lumine ducti, quicquid de religione dixere, vel imperfectum, vel incertum, vel erratum est: nam cum finis hominis in visione Dei consistat; quòd quidem ipsum naturalis ratio non potest inuenire, quandoquidem ipsius cognitio per sensibilia haberi nequeat: præterea cum male intellexerint de vltimo fine hominis, de creatione mũdi, de immortalitate animę, debitũ quoq; Deo honorem exterioremq; cultũ nescierunt.

Nos verò dicemus vltimum finẽ hominis nõ esse in hac præsenti vita; quia finis hominis est beatitudo, quæ cum sit summum bonum, non admittit secum aliquid mali; cumque sit per se sufficiens bonum, oportet illa acquisita nihil amplius homini deesse. Sed quis in hac vita inueniri potest? q. ita sibi sufficiat, vt re nulla indigeat, et ab omni infortunio maloq; sit illęsus, ac tutus: cum humana natura sit multipliciter serua, multisq; casibus ac detrimẽtis obnoxia. Præterea beatitudo cum sit vltimus finis, est

quies

quies cordis humani. Omnes autem homines naturaliter scire desiderant; et ideò hoc desiderium cum sit natura insitum quiescere non potest, donec ad optatam perueniat cognitionem. Plurima vero sunt ac penè infinita etiam in rebus naturalibus desiderata, quorum cognitionem nunquam humanus assequitur intellectus; Si ergò intellectus noster caligat ad naturalia, quanto minus ad supernaturalia penetranda poterit eleuari. Præterea si nulla alia beatitudo, nisi quæ in humanis haberi potest mortalibus concederetur, profectò pueri, et iuuenes, et ferè totum genus humanum quasi necessariò illa priuaretur. Homo.n. infinitis animi corporisq; circunuallatus perturbationibus, ac molestijs, beatitudinem in hac vita inuenire non potest; quòd si aliqua ex parte inuenerit post diuturni temporis vigilias et sudores maximos, instante morte, quam vitare non potest, non poterit retinere. S. Thom. 1.2.q.1. Art. 7. et q.2. per totã.

Fatemur quoq; Deum ex tempore omnia. i. creasse tam visibilia quàm inuisibilia ex nihilo in principio fecisse. Est.n. Deus prima omnium causa, à qua cœlum naturaque dependet; causa autem efficiens nihil aliud agit, quàm quòd ad esse suos conducere effectus. Præterea licèt actus purus sit potentia posterior in re, quæ de potentia ad actum reducitur; tamen actus semper est absolutè prior potentia; non.n. potest potentia redigi ad actũ, nisi per aliquid in actu existens. Cum ergò solus Deus sit esse suum, et

actus

actus purus, omnia ipse antecedat oportet, ab ipsoque omnia fiant. Præterea Deus est causa vniuersalissima dans esse simpliciter; quia ei respondet vniuersalissimus effectus, qui est simpliciter; et ideò nihil esse potest, quòd à Deo non emanarit: Nihil ergò in actione Dei præsupponere oportet, sicuti præsupponitur in particularibus agentibus tam naturalibus, quã artificialibus, quæ materiam pręsupponunt, et ex illa aliquid producunt: quia tota Dei substãtia ab eis minimè dependet: non.n. esse simpliciter, sed esse hoc tribuunt; nam siquid concederetur, quod esset in actione Dei, aut id haberet esse à Deo, aut non; si sumatur negatio, sequitur Deum non esse causam omnium efficiẹtem, quod est falsum: Si autem præbeatur affirmatio, aut ex nihilo, aut ex aliquo illud productum fuit à Deo; si ex nihilo, habetur propositum; si ex aliquo quæritur de illo alio, vndè hoc prodijt, et vtrum habeat esse à Deo, an non, et sic ad eandem regrederemur quæstionem; ita vel processus erit in infinitum, quòd est absurdum, aut merito concedendum erit, quod ex nihilo Deus res in esse produxerit; Præterea Deus non ex necessitate, sed ex volũtate agit; haud necesse est ab æterno mũdum à Deo fuisse creatum; sed eo tempore, quod sapientissimæ ipsius dispositioni visum est aptissimum; Præterea Deus omnia fecit propter electorum suorum vtilitatem, ac bonum, quod maximè in ipsius Dei cognitione consistit; ex quo igitur mundũ

non

nō creauit ab ęterno, pfectior eius resultat cognitio : dum ex hoc percipitur eundem esse ita perfectum, vt sibi plenissimè sufficiens nulla indigeat creatura : si.n. esset alicuius externæ rei indignus, non distulisset ab infinito tempore eū creare. S. Thom. 1. p. q. 46. Art. 1. et seq.

Credimus etiam animam esse inmortalem; quia cum finis hominis non sit in vita præsenti; oportet aliā concedere vitā, in qua homo beatitudinē assequatur. Præterea hominis operatio, q̄ est intelligere cū ad immaterialia, et vniuersalia se extendat, indicat aliquid in homine immateriale, et incorruptibile esse ; Pręterea omnis substātia intellectualis incorruptibilis est. Perfectiones.n. oportet cū suis pfectibilibus habere proportionē: propriū verò hominis perfecti uū, vt homo, aliq̄d est vniuersale et incorruptibile; quia propria eius perfectio est intelligere. Cū ergò intellectio, propriè loquendo, vniuersaliū incorruptibiliūq; sit asserere; oportet animam intellectiuam incorruptibilem esse? Præterea animæ diuinę perfectio in abstractione quadam à corpore consistit, ità quòd quanto magis ad incorporea, et immateralia attollitur, tanto amplius perficitur : fatuum est ergò dicere eā in separatione à corpore corrumpi. Nihil.n. ex eo corrumpitur, in quo magis perficitur. S. Thom. 1. p. q. 75. Art. 6.

Resurrectio quoque mortuorum nihil ratio ni dissonat: quamuis.n. natura fieri non possit, vt idem numero corruptum resurgat, aut rege-

nere-

neretur: eo quòd natura est ad vnum operandi modum determinata, et aliter se habere non potest: tamen quia diuina virtus est infinita, et huic rerum ordini, quem cernimus, non sit alligata; sed innumera alia facere possit; mortuorum suscitatio perfacilis, non impossibilis ipsi Deo tribuenda est; nam si ex nihilo cuncta produxit, multo magis defunctis vitam reddere potest: præterea cum anima sit corporis forma ipsaque immortalis, erit contra animæ naturam à corpore separari, atque sine eo permanere. Nihil autem contra naturam potest esse perpetuũ; quia diuinæ sapientiæ non conuenit; præterea anima suum non habet esse perfectum sine corpore; omne autem imperfectum suam desiderat perfectionem. Si ergò anima nostra à corpore separata regressu ad illud careat, nunquã veræ integreque beatitudinis compos erit hoc desiderio semper accensa, quòd ab ea separari non potest, cum sit ei naturale; hoc autem inconueniens est, quia suprema beatitudo omne explet vndique desiderium: præterea beatitudo debetur illi, qui recte viuit: in hac autem vita non anima rectè viuit, sed homo, qui constat ex anima, et corpore: ergò necessaria est hominis resurrectio: Præterea ad diuinam prouidentiam pertinet, quæ bonis præmia, reisque supplicia æqua lance dispensat, vt hominibus ex corpore, animaque compositis, coniunctimq; merẽtibus, aut demerẽtibus iusta simul reddantur: præsertim cũ boni in hac vita, quo ad corpus

pus attinet, plurimum macerentur, et affligantur; mali autem contrà delitijs et voluptatibus affluant; conueniens est, vt vnusquisque cum corpore recipiat, qualia cum eo simul admisit, cum nullum malum impunitum, nullumque bonum sit irremuneratũ. S. Thom. in 4. sent. dist. 43. q. vnica Art. 1. et seq.

Pœnas quoque damnatorum maxima cum ratione cõuenire affirmamus: quemadmodũ. n. beatis locus in cęlis cõpetit gloriosus; ità et dãnatis longè à Deo semotis locus mundi exigitur infimus, vt subterraneo, opacoque carcere perpetuas luant suorum scelerum pœnas: Nec iniustum videri debet perpetuis illis cruciari tormentis. Nam sicut humana iustitia ad humanam Rempubl. sese habet; ita se habet diuina iustitia ad cœlestem: sed humana iustitia aliquos delinquentes, vel exilio, vel necis aliquo genere à perpetuo Reipubl. commertio abscindit: ita et diuina iustitia à communione cœlesti aliquos reijcit in perpetuum: non tamen propter transitorium peccatũ, quàm ob infinitam voluntatis impœnitudinem, et in ipso crimine perficiam. Rationabile. n. est, vt qui dilectionis temporaneæ optionem æternæ gloriæ fruictioni pertulerit, quiq; si modò eis concessum fuisset, in voluptatẽ sordibus vsquequaque perstitissent, perpetuò puniantur, vt pœna ipsi culpæ respondeat, præsertim cum homo extra præsentis vitæ statum quodammodo sit in sui motus termino, nec amplius, quæ in vita conceditur,

adsit

adsit ei facultas finem vltimum consequendi. Quia igitur homines in resurrectione ad statũ termini, non autem viæ transferentur; iniusti ibunt in supplicium æternum, et iusti in vitam æternam: ex quibus constat quàm malè sentiãt Philosophi de religione; quæcunque tamen illi benè dixerunt minimè spernenda, sed tanquã ab iniustis possessoribus in ius nostrum transferenda sunt; quamuis.n. per se non sufficiant, nõ nihil tamen adiumenti conferunt in refellendis præsertim fidei aduersarijs. S. Thom. 4. sent. Dist. 50. q. 2. art. 3. q. 1. et seq.

Astrologorum superstitio tollitur.

SEcunda quoque superstitio Astrologorum reprehenditur: corpora.n. cœlestia nõ possunt dici causæ eorum, quæ circa humanum versantur intellectum; quia ordine naturæ inferiora per superiora reguntur; intellectus autem eodem ordine omnia corpora excedit, cum sit à corpore separatus; non igitur astra per se eorum causa esse possunt, quæ circa intellectũ existunt. Secundo si corpus nõ agit nisi per motum, necesse est id quod alicuius corporis recipit impressionem, moueri: omne autem quod mouetur corpus esse oportet: cum itaque intellectus non sit corpus, neq; virtus corporeo organo alligata, impossibile est corpora cœlestia in ipsum intellectum aliquid imprimere. Tertio quæ à motibus cœlestibus fiunt, tempori subijciuntur, quod primi motus est numerus; quæ igitur à tempore omnino abstrahuntur,

tur, cœlo non subiacent: Intellectus autem in sua operatione à tempore abstrahit, quemadmodũ et à loco: considerat.n. vniuersale, quod ab hinc, et nunc abstractũ est; et licèt pro varietate influxuũ diuersas in hominibus cõplexiones, et corporũ dispositiones esse videamus; nihilominus ob hoc electionũ nostrarũ causa, et humanarũ rerũ gubernatio minimè cęlo tribuẽda est, quia omnis actus voluntatis ex apprehensione intellectus in nobis immediate resultat; volũtatis.n. obiectũ est bonũ ratione conceptũ. Idcirco non potest in eligendo sequi peruersitas, nisi in particulari eligibili iudicium intellectus deficiat. Cũ ergò cęlũ non sit intelligentiæ nostræ causa, nec electionis nostræ per se potest esse auctor. Secundo quia quęcumq; ex corporum cœlestium impressione in his inferioribus eueniunt, naturaliter contingunt, cum hæc inferiora sint illis subordinata; si ergo electiones nostræ ex impressione virtutum cœlestium prouenirent, naturales profectò non voluntarię haberentur: atque ita naturali quodam ductu more brutorum ageretur homo, non ageret, quod est absurdum dicere; præterea quæ naturaliter fiunt, ad ipsum finem determinatis medijs perducuntur; vnde semper eodem modo fiunt; quia natura ad vnum determinata est: electiones autem humanę diuersis vijs ad finem tàm in moralibus, quã in artificialibus tendunt; præterea quæ naturaliter eueniunt, semper vel plerumq; rectè fiunt. Natura siquidem in pauciori-

cioribus delinquit; in humanis autem electionibus contrariū quotidie videmus; præterea quę sunt eiusdem speciei nō variantur in operibus, quæ ipsius speciei naturam consequuntur. Omnes.n. hirundines similitudine pari nidificant: Quilibet item homo prima principia naturaliter nota intelligit, humanæ verò electiones inter se sunt valde dissimiles: non enim naturam, sed voluntatis libertatem sequuntur: prętera virtutes, et vitia non homini; sed naturæ imputarentur: vnde consilium humanaque prouidētia frustra esset. Tertia facit ratio: quæ ad finem sunt, proportionē cū ipso fine habere oportet: sed humanæ actiones ad fęlicitatem tanquam ad finem ultimum ordinantur: quæ non in aliquo corporeo bono; sed in hoc demum consistit, ut ipsi Deo anima coniungatur, quòd omnium uirtutem corporum trascendit. Corpora itaque cęlestia electionum nostrarum causa per se esse nō possunt. Quarta facit ratio, quia si anima cęlestis in animas nostras per corporum motum aliquid imprimeret, actio illa ad nostram vsque animam nisi per corporis nostri mutationem non peruenirent: non.n. nisi per medium corporis agit: ideò non esset per se, sed per accidens actionum nostrarum causa: quia scilicet ex cęlestium corporum uirtute immutatis corporibus nostris, uel corporibus alijs naturalibus aliquid aut boni, aut mali intellectui per sensum fit præsens, quod obiectiuè uoluntatem mouet ad bonum prosequendum, et ad

malum

malum fugiendum: id tamen voluntas liberè facit; nam et quantum ad exercitium actus, sui iuris est velle, et nolle, et cogitare, vel non cogitare: quantum autem ad specificationem actus potest oblatum sibi bonum occasione virtutis cęlestium corporum sequi, aut omittere; cum tale bonum non nisi corporeum, ac particulare esse possit. Quod si etiam esset vniuersale, voluntas nihilominus ad illud cogitandum, vel nō cogitandum libera supereſſet, vt quotidiana docet experientia. Quinta facit ratio, quia fateri isti solent, quòd qui in signo Aquarij nascuntur, sint piscatores; Getulia autem piscatores non habet, nemo ergò in ea prouincia in stella Aquarij nasceretur, quod est absurdum; Greg. super. 2. Mat. Non obst. quòd nonnulli ponant corpora cœlestia animata dicentes, cœlum secū dum se in nostro intellectu non agere; sed in quantum ab ipsius anima mouetur, à qua in nostras animas habet influēdi virtutē; Nam Resp. quòd illud per aliquod instrumentum fieri non potest, ad quod nullo modo instrumenti actio se extendit: corporis autem actio nullo modo ad intellectus, et voluntatis immutationem, nisi fortè per accidens, se extendit; fieri ergò non potest, vt cęlestis corporis anima etiā si ipsum sit animatum per sui corporis motum in ipsum intellectum ac uoluntatem impressionem efficiat; cum igitur per liberum arbitrium possit vbicumque velit homo resistere, non ergò humanarum regimē actionū ab ipso cœlo per se,

sed à libero arbitrio pendet, prouidentiaque diuina: non.n. cælum, nec anima cœli est Deus; quia Deus est causa per se, ideoque exhibitus Soli, Lunæ, ac cæteris astris, vel creaturis cultus, vanus est, ac pernitiosus: oĩa.n. corpora ꝑꝑ hominẽ facta sunt. Is aũt se ipso inferiora honorare nõ debet. Dixi in summa pec. c. q. 36. Lippom. li. 2. c. pen. cõfirm. Dogmatũ et c. p. 1. n. 2.

Diuinatio repellitur.

DIuinandi quoq; peritia reprehendit primò quia excellentissimi Philosophorum eam potius irrisione, ac silentio, quàm cõfutatione dignam censuerunt. Secundo quia omnis futurorum ratio vel in re ipsa, vel in causa eius cognoscitur. Futura autem contingentia neq; in se ipsis, cum non dum sint, neque in sua causa cognosci à nobis possunt: ideò.n. contingentia dicuntur, quia eorum causa, vel ad producendum, vel non producendum indifferens est in his præsertim, quæ à libero arbitrio pendent; sequitur ergò, vt nullo modo à nobis sciri possint. Tertio quia cœlum est vniuersalis inferiorum affectuũ causa; per solam autem vniuersalis causæ considerationem nullam nisi valde cõfusam particularis effectus cognitionem assequi valemus. Quarto quia omnis nostra cognitio incipit à sensu; at inuestigare virtutes astrorum est hominibus impossibile, cum sint procul à sensu; quas excellentissimi Philosophi penitus ignorauerunt. Quinto quia si innumerabilium rerum sub cœlo existentium, quas manibus

nibus quotidie pertractamus, proprietates ac veras differentias inuenire minimè possumus; quanto minus stellarum proprietates, quæ à nostris sensibus infinitè distant. Sexto si in naturalibus effectibus multa impedimēta oriri possunt, ex quibus fraudetur successus cęlestis virtutis, vt puta si stella determinatæ virtutis ad vuas ex vite producendas inspiciatur, huiusmodi effectū multa impedire poterunt, veluti materia male affecta, vel superueniens hominū, aut brutorū vastatio; multo amplius circa liberi arbitrij expectationem multis ac propè infinitis variabilem casibus, incertum erit fallaxq; iudicium. Dixi in summa pec. cap. p. 1. q. 36. tit. 2.

Idolatria damnatur.

TErtio Idolatria quoq; dānatur primò, quia si religio Philosophorū est insufficiēs et erronea, et cultus cęlestibus corporibus exhibitus superstitiosus, et vanus: quāto magis cultus ille q idolis, et lapideis, vel fusilibus statuis sculptilibusq; tā hominū q bestiarū prestatur, dānandus, et irridendus est? Secundò quia creati ordinatiq; intellectus est nō solū se ipsum ad suā causam disponere, eamq; venerari; sed etiam alios ad hoc ipsum dirigere, vt in omnibus glorificetur Deus, qui omnia in omnibus facit: sed huiusmodi Idola; quamuis multa responsa darent, nunquam tamen rectum viuendi ordinem, sincerumque Dei cultum, quinimmo oppositum docuisse homines legitur, vel saltem peruerso ordini consentientes, et iniqua seductione gaudentes

dentes debitum Deo honorem sibi arrogasse compertum est: vnde vniuerso mundo erroribus obruto nulla ferè de Deo cognitio habeatur: immo tales Dij rixas, discordias, bella, sacrilegia, incestus, et alia huiusmodi inter se exercere ferebantur: Deus autem qui est omni ex parte perfectus bonorum nostrorum non indigens (nihil.n.illi adijci potest) nullo cultu propter se ipsum; sed propter vtilitatem nostrã delectatur, vt perfecti, ac beati efficiamur: vnaquęque.n. causa propter bonitatem perfectionemq; suam quoad potest, suum perficit effectum, et vnumquodque perfectum tale aliud, quale ipsum est, facere quærit. Tertio si boni spiritus fuissent, qui in Idolis responsa dabant, certiores de beatitudine homines fecissent, qui ob eius ambiguitatẽ valde solliciti erant, qui tamen confusionem mortalium mentibus inferuerunt; ita vt ante Christi prędicationem propriũ finem, eiusque media prorsus homines ignorarent. Quarto bonus spiritus mendax non est, neque homines decipit; quia mendacium et deceptio semper mala sunt; sed spiritus illi in suis responsis multa mendacia ambiguosque sermones proferebant, sicque homines sępissime fefellerunt; ergo non sunt boni. Quinto si illi spiritus boni fuissent, nequaquã sibi quod Dei proprium est vsurpassent; quia sibi ipsis tanquam Dijs futurorũ præscientiã arrogabant: non.n. more Prophetarum dicebant, Hęc dicit Dominus: qui dum se hoc modo eorũ præscios ostẽdere

dere conarentur, non diuinæ solum maiestati derogabant, illius in se gloriam conuertentes; sed in multiplices superstitionum anfractus homines immergebant; dum per varias diuinationes in extis animalium, quæ sibi sacrificabantur permitterent, aut compellerent. Sexto nullus bonus spiritus crudelitate delectatur: sed in sacrificijs Idolorum, non solum brutorum; sed hominum, ac præcipuè innocentum puerorũ videlicet puellarumque virginum sanguinem infanda nece sibi offerri poscebant; ex quo innumeri innocentes ipsis etiam patribus proprios filios immani scelere sacrificãtibus, occisi sunt: quod quidem non deorum; sed pessimorum dęmonum in humanam stragem grassantium argumentum est. Non obst. si dicatur, quod non inanimata, sed Deos in illis habitantes responsaque dantes, vel repręsentantes se venerari affirment; quemadmodũ et nos Christiani Christi et Sanctorũ imagines adoramus; nam Resp. quòd imagines Sanctorum, etsi in eis, quòd de similitudine diuinitatis, primæ causæ participant, honorandæ sint; cultus tamen latriæ illis minimè debetur; Non.n. eis sacrificia thuraq; sed vni Deo eiusque imagini exhibemus, cui tantùm latriæ cultum religio Christiana persoluit. Quod quidem valde dissimili modo Idolorum cultores obseruabant: quia diuersis Idolis diuersa sacrificia thuraque offerebant, et ab eis futura, quorum cognitio ad solum Deum pertinet, scisitabãtur, et in casu quo ex illis in

solum Deum intentio verteretur ipsumque laudarent, et colerent: non tamen excusantur, quia in eorum ritibus vana permulta ridiculaque, nec (vt dictum est) bonis moribus aduersa fiebant, non solum apud quosdam: sed per totum orbem vbi Idola venerabantur. Septimo et vltimo, quia voluntas à solo Deo per modum agentis, et finis à Deo mouetur: per modum quidē agentis immediatè, per modum verò finis, et mediatè, et immediatè eam mouere potest: quo modocumque tamen id agat, non violēter agit; quia secundum suæ formæ exigentiam à Deo vnumquodque mouetur. Ideò constat solum Deum, qui solus principium omnium voluntatum, et motor, ac vniuersi moderator est, cultu latriæ colendum esse: voluntas.n.hominis neq; à cœlo, neque ab anima cœli ipso cœlo mediante, sed neque ab alia substantia separata, seu spirituali creatura quantumlibet nobili: verum à solo Deo per modum agentis potest moueri; per modum autem agentis aliquid ab alio moueri intelligitur, cum ab illo tamquam à principio extrinseco mouetur, vnde sicut in re inanimata inclinatio, vel appetitus naturalis ad proprium se habet finem: ita in substantia intellectuali voluntas, seu intellectualis appetitus se habet ad suum: inclinationes autem naturales solus dare potest qui naturā instituit: idcirco à Philosophis probatum est, grauia et leuia à generante moueri: ergò ad aliquid uoluntatem per modum agentis inclinare ad eum solū, qui intel-

intellectualis naturæ causa est, pertinet, quod ipsius Dei tm̃ munus est, quia non de potentia materię, sed ex sola creatione anima intellectiua prouenit, cũ ergo creare sit ex nihilo aliquid facere, non nisi potentię cõuenit infinitę, q̃ quidē Deus est, qui nõ modo uirtutes, sed etiã operationes rebus impartit̃. Sicut.n. in rebus incorporeis, ita multo pfectior in spiritualibus ordo reperitur: in rebus autē corporeis à primo motu oīs procedit motus; ergò et in spiritualibus quilibet uoluntatis motus à prima uoluntate. i. à Deo deducit̃. Per modũ aũt finis siuè obiecti plurima uoluntatem mouere possunt. Multa.n. agentia tam corporalia quàm spiritualia suadēdo uel dissuadendo, et bona uel mala offerēdo; in quo tamen semper uoluntas est libera suarũque operationum Domina, possunt uoluntatē mouere, q̃ quidē motio per modũ finis se habet, undè non est proprie causa, sed electionũ eius occasio. Dixi in summa pec. c. p. 1. tit. 2. q. 35.

Iudæorum perfidia confutatur.

QVarto dicendum est de Iudæis, quorum perfidia an sit reprobanda probatur multis modis. Primo quia omnis eorum spes à Messia pendet, quem adhuc expectant, qui cum uenerit et ipse fuerit Iesus Christus Nazarenus Dei filius, quē nos iurè colimus et adoramus, negare non poterunt, quin nostra à Deo sit religio, et quin magno ipsi errore teneãtur, quod autem uenerit probatur sic. Aut hic Iesus Nazarenus crucifixus, quem nos adoramus, est

uerus Deus, et prima eorum causa, aut non est; si primum detur, soluitur disputatio; quia si est Deus, oportet fidem Christianam et uniuersam eius doctrinam, atque religionem esse ueram; sin autem secundum, qua ope fretus contra patrias leges, contra Principes, contra sapientes et aduersus uniuersum terrarum orbem reluctantem, contraque infernas, et superas potestates, denique contra supremum omnium conditorem adeò dimicando prævaluit, ut coæqualis Deo habitus sit, et pari ueneratione receptus? ac prædicta omnia inter tot repugnantia tam longo æuo inseparabilis obtinuerit? Cur ò Iudæi Deus uester mundi rector et custos tantùm impietatis scelus permisit inultum? fatendum est igitur ipsum Deum esse, cum non armis, et muneribus, et lasciuienti uoluptatum licentia barbaram imperitamque multitudinẽ sibi adiunxit, ut Maumethes effecit; sed humilitate ac mortis supplicio mundũ sibi cõciliauit.

Secundo probatur ex miraculis, quæ fecit ipse: quòd siquis miracula negauerit, hoc certè est omnium miraculorum maximum, ingentia scilicet, quæ supra diximus, absque miraculis per Christum pauperẽ, et per rudes incultosq; piscatores eius discipulos fuisse cõfecta, in omnibus quidem apparet in eo infinita potentia, omnemque superans potentiam aliorum.

Tertio probatur per eius sapientiã, si quidẽ sapientiæ est ordinare resq; ipsas benè dispone re; in omnibus uerò, quę ad finẽ sunt dirigenda,

sumere

sumere gubernationis regulam ex fine oportet. Tunc.n. vnumquodque rectè disponitur quando ad finem debitum ordinatur: finis.n. cuiusque rei est ipsius bonum; qui ergo supremum et consumatum humanæ vitæ finem penitus obseruat, omniaq; opportuna media suasq; ad illum operationes disponit, iurè sapiens simpliciter dicendus est; sed Iesus Nazarenus suis cum Discipulis, atque cultoribus solus verum humanæ vitæ finem, veraque media ostendēs efficaciter docuit, perfectèque adimpleuit, ita vt nullus finis melior, nec perfectior christiana vita inueniri, aut excogitari possit. Patet ergo quòd nec inter deos (si tamen dij sunt alij) nec inter homines quisquam sapiētior vnquam inuentus sit, aut inueniri possit: præterea signum scientis est posse docere; cum.n. quis ad perfectionem scientiæ peruenerit, facile potest alios erudire; quemadmodum cum quis ad perfectā ætatem peruenerit, potest filios generare; sed nullus alius Deus, vel homo à seculo inuentus est, qui tàm proficuam sapientiam, quàm Christiana est, mortalibus attulerit, quique simul eā tàm facilè docuerit de immortalitate animę, de fine ac beatitudine hominis, de medijs ad eam perueniendi; adeò vt etiam impuerili, et imbecilla vtriusq; sexus ętate Christiani clarius hęc intelligant, quàm præclari Philosophi indefesso studio cognouerint: Præterea agentis virtus tanto maior apparet, quāto ad remotiora se extendit, et citius operatur; quo itaque potentior

fueris

fuerit sapientia, eo magis ac velocius ad insipiẽtes immutandos sanandosq; valebit; at talis fuit sapientia Christi, qui repentè soloque ferè nutu mira quadam cordis cõpunctione mutauit, et mutat, reddens eos ex ignaris, et peccatoribus ad sapientiam, et ad vitæ rectitudinẽ, quòd non alius Deorum vnquam hominumque effecit: præterea signum summæ et infinitæ virtutis est, absq; vllo alio naturali instrumento posse omnia naturalia operari, et iterum quolibet instrumento posse quęcumque libuerit vel etiã illi contraria pariter educere: docere itàque per debita, et naturalia media sapientiam, haud eximium admirandi est; sed per stultitiam mundi. i. per ea quæ apud homines stultissima existimantur, tradere summam, et ineffabilem sapientiam, et stultissima mundi conuertere in diuinæ sapientiæ instrumenta, maximamque in eis sapientiam collocare, difficillimũ sanè opus, et diuinum tãtummodo iudicandum: præterea cum sapientia sit diuinarum rerum, illa profectò sapientia omnibus præstat, quæ supra cæteras de diuinis rebus homines instruit; sed nulla id magis peregit, quàm sapientia Christi: ergo ipsa cæteris est præstantior: præterea ad sapientẽ pertinet non modo facilia, sed difficilia quoque cognoscere, eaque docere posse, ab aduersarijsque defendere: de rebus verò diuinis difficiliora nemo proposuit faciliusque vnquam, quàm Christus ipse perdocuit: nec tantũ paucos discipulos, sed vniuersum terræ orbem instruxit;

ſtruxit;ab infinitis quoque oppugnatoribus ità facile eãdem Chriſtiani defendunt, ut quisque eorum rationes, librosque legerit, hanc vnam perhennem, et incõparabilem ſapientiam eſſe dubitare nullo modo poſsit: præterea aut fides eſt vera,aut commentaticia; ſi vera benè conue nimus; ſi commentaticiam dixeris, non minus probatur Chriſtum fuiſſe ſapientiſsimum, qui tam difficilia et ardua exquiſiuit, eaque mortali bus ità perſuaſit,vt nulla vel diuina, vel humana ratione,aut poteſtate infringi deſtruique potuerint. Sed cum pugnantia inuicem ſimul nequeant vt ſcilicet falſa cum vera philoſophia concordent, ac per ea homines ad rectam vitæ normam dirigantur, oportet vtique eius fidem atque doctrinam veram aſſerere,ipſumq; Chriſtum cunctorum eſſe Deorum hominumque ſapientiſsimum cõfiteri. Quarto probatur per eius bonitatem oſtendendum eum eſſe ſummũ bonum, et vltimum humanæ vitæ finem, quod probatur ſic: Omnes actiones humanas eſſe oportet propter aliquem finem: Operationes .n. hominis pro vt humanæ ab ipſa hominis voluntate liberoque arbitrio,quo à brutis differt ſine dubio proficiſcuntur; obiectum autem voluntatis eſt bonum et finis: cum igitur in finibus non ſit proceſſus in infinitum (alioquin cuilibet appetitus motio ceſſaret) oportet aliquem eſſe hominis vltimum finem: Impoſsibile verò eſt duos per ſe alicuius rei eſſe vltimos fines, cum extra finem vltimum nil appetatur: vlti-

vltimus igitur finis dicitur esse aliquod adeò implẽs appetitum, vt nil extra se vel quod ad ip sum non ordinetur, appetendum relinquat: om nium itaque hominum est vnus finis vltimus, et hic est Iesus Christus. Quod patet quia spiri tuales oblectationes, quanto vltimo fini mentis nostræ acies magis propinquat, tanto sunt ma iores, et tunc sunt maximè perfectæ, cũ ipsum finem illa magis attingit. Si homo ità quòd finẽ imperfectè actingens modo aliquo delectatur, tanto amplius delectabitur cum finem perfe ctius obtinebit: sed delectatio, quã de Christo fideles percipiunt, omnia tàm sensus, quàm in tellectus oblectamenta superat, quod ex tribus potissimum apparet; primo ex incomparabili martyrum constantia: secundo ex infinitis mo nachorum exemplis: tertio ex sapientissimis vi ris omnium scientiarum erudictione refertis, qui omnes degustata Christi dulcedine ei tan quam inseparabiles firmiter adhæserunt; oportet ergo ea ab vniuersali summo bono prouenire præsertim quia quanto fide, et amore ad Christum proprium accedimus, tanto huiusmodi delectationes augentur.

Quinto probatur per promissionem factam de eo in scripturis sanctis, et primo Deut. 18. ibi Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus, ipsumque audies vt petisti à Deo tuo, et infra, Prophetam suscitabo eis de medio fratrum tuo rum similem tui, et ponã verba mea in ore eius,

loque-

loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi; qui autem verba eius quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam. Secundo quia tempus Messiæ præterijt, cum dicatur Genes. 49. Non auferetur sceptrum de Iuda, et Dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium; et manifestum est iam sceptrum de tribu Iuda, et Ducem de femore eius ablatũ esse. Tertio Daniel. 9. Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, et super vrbem sanctam tuam: vt consumetur prævaricatio, et finem accipiat peccatũ, et deleatur iniquitas, et adducatur iustitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et vngatur Sanctus sanctorum. Scito ergo et animaduerte ab exitus sermonis, vt iterum reædificetur Ierusalem, vsque ad Christum Ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexagintaduæ erunt, et rursum ædificabitur platea, et muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexagintaduas occidetur Christus, et non erit eius populus, qui eum negaturus est. Et ciuitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis eius vastitas, et post finem belli statuta desolatio: Confirmabit autem pactum multis hebdomada vna; et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium; et erit in templo abhominatio desolationis, et vsque ad consumationem et finẽ perseuerabit desolatio: quibus ex verbis colligitur loqui de Iesu vero Messia, quia longo interuallo

hebdo-

hebdomades istæ iam præterierunt. Quarto Isaiæ c.52.ibi Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa; quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum. Quinto Isaiæ c.62. Ecce saluator tuus venit; ecce merces eius cum eo, et opus eius coram illo. Sexto Isaiæ cap.5.ibi Ecce festinus velociter veniet. Septimo Zachar. Ecce Rex tuus veniet tibi iustus, et saluator ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ. Octauo Isaię c. 28. Expecta reexpecta; expecta reexpecta; modicū ibi, modicum ibi; vbi denotat affuturum mox absque temporis dilatione; Nono Isa. 9. Super solium Dauid, et super Regnum meum sedebit, vt confirmet illud et corroboret illud in iudicio, et iustitia àmodo et usq; in sempiternū; ubi cum dixerit àmodo, liquet aduentum fuisse acceleratum. Decimo ibidem c.8. Et dixit Dominus ad me, uoca nomen eius, accelera, spolia, detrahe, festina prædari. Vndecimo ibidē c. 14. Propè est ut ueniat tempus eius, et dies eius nō elongabuntur. Duodecimo Ierem. 23. Ecce dies ueniūt dicit Dominus, et suscitabo Dauid germen iustum, et regnabit Rex, et sapiens erit, et faciet iudicium, et iustitiam in terra. Tertiodecimo Abachuch. 2. Si moram fecerit expecta illum; quia ueniens ueniet et non tardabit. Quartodecimo Malach. 2. Ecce ego mittam Angelum meum, et præparabit uiam ante faciem meam, et statim ueniet ad templum sanctum suum Dominator, quem uos quęritis,

et

et Angelus testamenti, quem uos uultis. Quintodecimo Isa. 63. Vtinam disrumperes Cœlos et descenderes à facie tua, montes defluerent, sicut exustio ignis, tabescerẽt aquæ arderent igni, ut notum fieret nomen tuum inimicis tuis. Sextodecimo Isa. 51. ibi Propè est iustus meus, egressus est saluator meus, et brachia mea populos iudicabunt. Decimoseptimo Baruc. 3. Post hæc in terris uisus est, et cum hominibus conuersatus est.

Sexto probatur non solum per promissionẽ factam, sed per prophetas fuisse prænunciatum uerum Deum, et hominem Isa. c. 9. ibi Paruulus natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius, et uocabitur nomẽ eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. Secundo quòd fuerit Deus facit Ierem. 23. ibi Et hoc est nomen, quod uocabunt eum, Dominus Iustus noster; ubi Dominus ponitur Tetragrammaton, quod soli Deo conuenit. Tertia Micheæ. 5. ibi Et egressus eius ab initio à diebus æternitatis, vbi si Messię dies æterni sunt, sequitur quod sit Deus. Quarto Psal. 2. Dominus dixit ad me filius meus es tu, ego hodie genui te; ubi loquitur de emanatione æterna. Quinto Zachar. 9. ibi Ecce Rex tuus uenit iustus et saluator; si saluator ergò Deus, de quo Isaias. 43. Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas. Sexto. 2. Reg. 22. ibi Dominus petra mea et robur meum, et saluator meus, Deus Dñs

fortis

fortis meus et sperabo in eum et c. vbi manifeste ostēdit Messiam esse deum. Septimo Iob. 9. ibi Scio.n.quod Redemptor meus viuit, et in nouissimo die de terra surrecturus sum et rursum circūdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum saluatorem meum: Qui saluator non fuit nisi Messias Christus Iesus, qui pro nobis in Crucis ligno pependit. Octauo Ier. 23. Ecce dies veniunt dicit Dominus, et suscitabo Dauid germen iustum. Nono Deut. 18. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum tuorum similem tui. Ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos, quęcumque dixero illi. Et qui verba eius, quæ loquetur nón audierit, ego vltor existā; vbi (similis tui) apparet hominem fuisse. Decimo Zach. 9. Exulta satis filia Syon, iubila filia Hierusalem: Ecce Rex tuus venit iustus, et saluator; hic diuinitatem denotat, cum subditur postea: Ipse pauper ascendens super Asinam; denotat humanitatem. Vndecimo Baruch. 3. ibi Hic est Deus noster, et non æstimabitur alius aduersus eum, et infra. Post hæc in terris visus est, et cū hominibus cōuersatus est.

Septimo probatur; quia Iesus de Virgine natus est, sicut prædictum fuit ab Isaia c. 7. ibi Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emanuel: Butyrum, et mel comedet, vt sciat reprobare malum, et eligere bonum; Virgo autem stat eo in loco pro incognita viro, sic Genes. 24. ibi Puella decora nimis, virgo pulcherrima incognita viro. Secundo facit

Ezech. 44.

Ezech.44. ibi Porta hæc clausa erit, et vir non transiet per eam, quoniã Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa Principi, Princeps ipse sedebit in ea, vt comedat panem coram Domino. Tertio Psal.71. Descendet sicut pluuia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram. Quarto Iudic. 6. ibi Ponam hoc vellus lanæ in aëra: si ros in solo vellere fuerit, et in omni terra siccitas, sciam quod per manũ meam, sicut locutus es, liberabis Israel; vbi per aëram, seu per vellus Virginem intelligas; per rorem autem Dei filium accipe. Quoniam sicuti vellus rore fuit roratum, terra sicca permanẽte; ità Deipara fuit gratia perfusa suæ carnis integritate perseuerante. Quinto Isa.55. ibi Sicut descendit insuper et nix de cælo, et illuc nõ reuertitur, sed inebriat terram; sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo. Sexto Isa. 66. ibi Antequam parturiret peperit; antequã veniret partus eius, peperit masculum. Quis vnquam tale audiuit? Et quis vidit huic simile? vbi admiratur eo quod Maria erat Messiam masculum conceptura. Septimo Ier.31. ibi Quia creauit Dominus nouum in terra, Fœmina circundabit virum; nouum dicit quia virgo paritura erat, alioquin non fuisset nouum. S. Thom. 3.p.q.27.Art.1.

Octauo per aduentum Christi fuit adimpletum quod dictum fuit per Zach. Proph.c.9. ibi Ecce Rex tuus veniet tibi iustus, et saluator, ipse pauper, et ascendens super asinam, et super

pullum filium asinæ, quod adimpletum fuit quã do ciuitatem sanctam Hierosolymam insidens rudibili animali ingressus est.

Nono prædictum fuit, et adimpletum, quomodo natiuitatis tempore ab orientalibus regibus Messias erat venerandus in Psal. 61. ibi Reges Tharsis, et Insulę munera offerent: Reges Arabum, et Saba dona adducent, et adorabunt eum omnes Reges terræ: omnes gentes seruiẽt ei. Secundo Isa. 60. ibi Surge illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum; et gloria Domini super te orta est, et ambulabunt gentes in lumine tuo, et Reges in splendore ortus tui. Omnes de Saba venient aurum, et Thus deferentes et laudem Domino annunciantes.

Decimo adimpletum est per aduẽtum Christi quod dictum fuit per Hier. c. 4. Et in die illa peribit cor Regis, et cor Principum, et desolabuntur Sacerdotes, et prophetæ consternabuntur, et Oseæ. 3. Dies multos sedebũt Filij Israel sine Rege et sine Principe, et sine sacrificio, et sine altari.

Vndecimo adimpletum est quod per Messiã vetus lex mosayca erat auferenda, aliaque noua in hominum cordibus scripta erat conferenda Exod. 20. ibi Quæ cum potius esset carnalis, quàm spiritualis, huius mundi delectabilia obseruatoribus promittens, vt Deut. 30. fermè tribus annorum millibus potuit permanere, quibus expletis, alia longè excellentior per Messiã erat conferenda, non scribenda in tabulis lapideis;

deis; sed atramento spirituali in hominum cordibus. Secundo Ierem. 31. ibi Ecce dies veniũt et feriam domui Israel, et domui Iuda testamentum nouum, non sicut testamentum quod percussi cum Patribus eorũ in die, quo eduxi eos de terra Ægypti testamentum, quod ipsi irritũ fecerunt. Tertio Isaias. 2. ibi Et fluent ad eum omnes gentes, et ibunt populi multi et dicent, Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad Domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis eius; quia de Syon exibit lex, et verbum Dñi de Hierusalem. Quarto lex vetus erat scripta in lapideis tabulis; noua autem in corde Ier. 31. ibi Dabo legẽ meam in medio eorum, et in corde eorum scribam eam et Ezech. 11. Et dabo eis cor vnum, et spiritum nouum tribuam in visceribus eorum, et auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum, vt in præceptis meis ambulent, et iudicia mea custodiant, faciamque eis vt sint mihi in populum, et ego sim eis in Deũ. Quinto Ier. 32. ibi Post dies illos dicit Dominus dabo legem meam in uisceribus eorum, et non docebit vir vltra proximum suum. Omnes. n. cognoscent me à minimo eorum usq; ad maximum; et infra Dabo eis cor vnum, et viam vnam, vt timeant me cunctis diebus, et bene sit eis, et filijs eorum post eos, et feriam cum eis pactum sempiternum, et non desinam eis benefacere, et timorem meum dabo eis in corde eorum, vt non recedant à me.

Duodecimo adimpletum est, quod prædictum fuit, quod populus ad Messię legem confluere debebat Zac. 8. ibi Eamus, et deprecemur faciem Domini, et quæramus Dominum exercituum; vadam etiam ego, et venient populi multi, et gentes robustæ ad quærendum Dominum exercituum in Hierusalem et deprecandam faciem Domini, et infra ibi In diebus illis, in quibus apprehendēt decem homines, ex omnibus linguis Gentium et apprehendent fimbriam viri Iudæi dicentes Ibimus vobiscum. Audiuimus enim quòd Deus est vobiscum. Secundo Isaias. 55. ibi Inuentus sum à non quærentibus me, palam apparui ijs, qui non quærebant me, et infra, Et feriam vobiscum testamentum sempiternum misericordias Dauid fideles. Ecce testem populis dedi eum atq; prȩceptorem gentibus; Ecce gentem quam nescibas vocabis, et gentes, quæ te non nouerunt, ad te current, Gentiles ergo, qui Messiam ignorabant, ad ipsum cucurrerunt. Tertio Psal. 17. Populus quem non cognoui seruiuit mihi, et in auditu auris obediuit mihi. Quarto Isaias. 2. In die illa proijciet homo Idola argenti sui, et simulacra auri sui, quæ fecerat sibi, vt adoraret talpas, et vespertiliones: qui non fuere nisi Gentiles cōuersi ad fidem Christi. Quinto Micheas 4. ibi Et erit in nouissimo dierū mons domus Domini præparatus in vertice montium, et sublimis super colles; et fluent ad eum populi, et properabunt gentes multæ et dicent Venite, et

ascen-

ascendamus ad montẽ Domini. Sexto Aggeus cap. 2. ibi Et monebo omnes gentes, et veniet desideratus cunctis gentibus, et Genes. 49. Et ipse erit expectatio cunctis gentibus. Septimo Deut. 28. ibi Aduena qui tecũ versatur in terra ascendet super te, eritq; sublimior; tu aũt descẽdes, et eris inferior. Ipse erit in capite, et tu eris in cauda. Octauo Oseas. 2. ibi Et dicá nõ populo meo populus meus es tu, et ipse dicet Deus meus es tu; vbi apparet Gentiles, qui antea non erant populus Dei, nunc esse populum illius.

Tertiodecimo adimpletum fuit, quod fuit prędictum, quomodo circumcisione repudiata Messias Baptisma erat instituturus Isaias. 55. ibi Venite ad aquas omnes sitientes, et qui non habetis argentum, properate, emite, et comedite. Secundo Isaias c. 44. ibi Noli timere serue meus Iacob, et rectissime, quem elegi: effundam.n. aquas super sitientem, et fluenta super aridam: Effundam spiritum meum super semẽ tuum, et benedictionem meam super stirpem tuam, et germinabunt inter herbas, quasi salices iuxta prætersluentes aquas. Tertio Isaias c. 4. Sanctus vocabitur omnis, qui scriptus est in via Hierusalem, si abluerit Dominus sordes filiarum Syon, et sanguinem Hierusalem lauerit. Quarto Isaias. 44. ibi Et ponam flumina in Insulas, et stagna arefaciam; quod intelligitur de suscipientibus baptisma, et de circumcisione amissa. Quinto Psal. 41. Quemadmodum desiderat Ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat

anima mea ad te Deus. Sexto Ezech. 17. ibi Et conuertit ad portam domus, et ecce aquæ egrediebantur subter limen domus ad orientem: facies.n. domus respiciebat ad orientem. Aquę aũt descendebant in latum templi dexterum ad meridiem altaris. Septimo Zachar. 14. ibi Exibunt aquæ viuæ de Hierusalem, et erit in die illa medium earum ad mare orientale, et medium earum ad mare nouissimum: Aquæ.n. uiuæ nõ sunt nisi baptismi, quo habetur uita æterna.

Quartodecimo probatur per ea, quæ præcesserunt in lege ueteri in figura Eucharistiæ sacramentum, atque de sacrificij, et sacerdotij translatione, et primo Genes. 14. ibi At uero Melchisedech Rex Salem proferens panem et uinum (erat.n. Sacerdos Dei altissimi) benedixit ei, et ait Benedictus Abram Deo excelso, qui creauit Cęlum et terram et c. ubi figuratur Messias, qui etiam panem et uinum obtulit, qui erat Sacerdos futurus, ut Psal. 109. Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Secundo facit figura propositionis panum Leuit. 24. ibi Accipies quoque similam, et coques ex ea duodecim panes, qui singuli habebunt duas decimas, quorum senos altrinsecus super mensam purissimam coram Domino statues, et pones super eos Thus lucidissimum, ut sit panis in monimẽtum oblationis Domini. Per singula sabbatha mutabuntur coram Domino suscepti à filijs Israel fędere sempiterno eruntq; Aaron, et filiorum eius, vt comedãt eos in loco sancto;

quia

quia Sanctum Sanctorum est de sacrificijs Domini iure perpetuo. Tertio. 3. Reg. 19. Et Angelus Domini tetigit eum et dixit illi Surge, et comede. Respexit, et ecce ad caput suum subcineritius panis, et uas aquæ. Comedit ergò et bibit, et rursum obdormiuit: Reuersusque est Angelus Domini secundò, et tetigit eum, dixitque illi Surge comede: grandis. n. tibi restat uia; qui cum surrexisset, comedit et bibit, et ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Oreb. Quarto Prou. 9. ibi Siquis est paruulus ueniat ad me. Et insipientibus locuta est, Venite comedite panem meum, et bibite uinum quod miscui uobis. Quinto Malachias c. 1. ibi Ab ortu solis usq; ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda; quia magnum est nomen meum in gentibus; ubi loquitur de sacrificio altaris: nam aliud sacrificium non poterat fieri in omni loco Deut. 12. ibi Caue ne offeras holocausta tua in omni loco quem uideris; sed in eo quem elegerit Dominus in una tribuum tuarum, offeres hostias, et facies quæcumque præcipio tibi. Sexto Psal. 71. ibi Erit firmamentum in terra in summis montium; ubi firmamentum est fructus Eucharistię, mõtes sunt Sacerdotes. Septimo Psal. 77. ibi Panem Angelorum manducauit homo, cibaria misit illis in abundantia; de quo Sap. 16. Pro quibus Angelorum esca nutriuisti populum

tuum, et paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habẽtem, et omnis saporis suauitatem. Substantia.n. tua et dulcedinem tuam, quam in filios habes ostendendo, et deseruiens uniuscuiusque uolũtati, ad quod quisque uolebat conuertebatur: multo tamen suauius delectabiliusque est Eucharistiæ sacramentum, in se omnem uirtutem gratię amplectẽs, ac omnium saporum saporẽ.

Quintodecimo probatur, quia ab Hebræis Messias minime erat agnoscendus, aduersus quem eorum consilium aliquando erat congregandum Isaias. 1. ibi Filios enutriui, et exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Cognouit bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui; Israel autẽ non cognouit, et populus meus non intellexit. Secundo Ierem. 5. ibi Præuaricatione præuaricata est in me domus Iuda, et domus Israel. Negauerunt Dominum et dixerunt Non est iste. Tertio Daniel. 9. ibi Et non erit eius populus, qui eum negaturus est. Quarto Deut. 18. ibi Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, similem tui, et ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi. Qui autem uerba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam. Quinto Isa. 6. ibi Excęca populi huius cor, et aures eius aggraua, et oculos eius claude, ne forte uideant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et conuertantur, et sanentur. Sexto Ier. 8. Miluus in cœlo cognouit

uit tempus suum: turtur, et hirundo, et ciconia custodierunt tempus aduentus sui: populus autem meus non cognouit iudicium Domini. Septimo Ier. 4. ibi Quia stultus populus me non cognouit, filij insipiētes sunt et vecordes; sapientes sunt vt faciant mala; bene autem facere nesciunt. Octauo Oseę. 4. Non dabunt cogitationes suas, vt reuertantur ad Deum suum; quia spiritus fornicationis in medio eorum, et Dominum non cognouerunt. Nono Psal. 2. Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? Astiterunt Reges terræ, et Principes cōuenerunt in vnum aduersus Dominum, et aduersus Christum eius. Decimo Deut. 32. Gens absque consilio est, et sine prudentia, vtinam saperent, et intelligerent, ac nouissima prouiderent.

Sextodecimo adimpletum est quod prædictum fuit de Iuda Iscariote, à quo Dominus eius præceptor appretiandus erat, Psal. 54. ibi Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtiq; : Et si is qui oderat me, super me magna loquutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo: Tu vero homo vnanimis Dux meus et notus meus. Qui simul mecum dulces capiebas cibos: in domo Dei ambulauimus cum consensu. Secundo Psal. 40. Homo pacis meæ in quo sperabam, ampliauit aduersus me supplantationem. Tertio Psal. 108. Et dilexit maledictionē, et veniet ei; et noluit benedictionem, et elongabitur ab eo; et antea Constitue super eum peccato-

catorem, et Diabolus ſtet à dextris eius. Cum iudicatur exeat condemnatus, et oratio eius fiat in peccatum; Fiant dies eius pauci, et Epiſcopatum eius accipiat alter. Quarto Zach. 11. Et appenderunt mercedem meam triginta argẽteos: Et dixit Dominus ad me Proijce illud ad ſtatuarium decorum pretium, quo appretiatus ſum ab eis, et tuli triginta argenteos, et proieci illos in domum Domini, et ſtatuarium. Quinto Amos. 2. Super tribus ſceleribus Iſrael, et ſuper quatuor non conuertam eum, pro eo quod vendiderunt pro argento iuſtum et pauperem pro calciamentis; vbi denotatur venditio Ioſeph. Geneſ. 37. Quæ indicabat Meſsiæ venditionem.

Decimoſeptimo fuit adimpletum quod erat prædictum, quod voluntariè et ſpontè ſe obtulit morti. Iſaias. 53. Oblatus eſt quia ipſe voluit et non aperuit os ſuum: ſicut ouis ad occiſionẽ ducetur, et quaſi agnum coram tondente ſe obmuteſcet, et non aperiet os ſuum. Secundo Ier. 12. Reliqui domum meam, dimiſi hæreditatem meam, dedi dilectam meam animam in manus inimicorum. Tertio Dauid Pſal. 53. Voluntariè ſacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum eſt, pro vt immolationi Abraam non contradixit Iſaac. Geneſ. 22.

Decimooctauo adimpletum eſt quod prædictum fuit per falſos teſtes accuſantes Meſsiã Pſal. 34. Surgẽtes teſtes iniqui, quę ignorabam interrogabant me: Retribuebãt mihi mala pro bonis.

bonis. Secundo Psal. 25. Ne tradideris me in animas tribulantium me: quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi. Tertio Oseas. 7. Vę eis quoniam recesserũt à me, uastabuntur quia errauerũt in me. Ego. n. redemi eos, ipsi autem loquuti sunt in me mendacia. Quarto Isaias. 3. Ruit Hierusalem, et Iudas concidit; quia linguæ eorum, et adinuentiones eorum contra Dominum, vt prouocarent oculos eius. Quinto Psal. 63. Quia exacuerunt, vt gladium linguas suas, intenderunt arcum rẽ amaram, vt sagittent in occultis immaculatum; subito sagittabunt eum et non timebunt, firmauerunt sibi sermonem nequam. Sexto Isaias. 9. Omnes adulteri sunt, et cætus prævaricauerũt, et extẽderunt linguam suam, quasi arcũ mendacij; quibus accidit quod dixit Dauid Psal. 62. Obstructum est os loquentium iniqua.

Decimonono adimpletum fuit prædictũ de Messia ab Isaia c. 50. ibi Corpus meũ dedi percutientibus, et genas meas vellentibus, faciem meam non auerti ab increpantibus, et conspuẽtibus in me. Secundo Psal. 34. Et aduersum me lætati sunt, et conuenerunt; congregata sunt super me flagella, et ignoraui. Dissipati sunt, nec compuncti, tentauerunt me, subsannauerunt me subsannatione: frenduerunt super me dentibus suis. Tertio Trem. 3. Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobijs. Quarto Micheas. 5. Virga percutienti maxillam Regis Israel. Quinto Isaias. 55. Non est ei species,

neq;

neq; decor et vidimus eũ, et non erat aſpectus, et deſiderauimus eum deſpectum, et nouiſsimũ virorum, virum dolorum, et ſcientem infirmitatem. Sexto Iſaias. 53. Verè languores noſtros ipſe tulit, et dolores noſtros ipſe portauit, et nos putauimus eum quaſi leproſum, et percuſſum à Deo, et humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Septimo Iſaias c. 1. A planta pedis uſque ad verticem non in eo ſanitas; vulnus, et liuor, et plaga tumens non eſt circũligata, neq; curata medicamine, neq; fota oleo. Octauo Prou. 20. Liuor vulneris abſterget mala, et plagæ in ſecretioribus ventris. Nono Iob 16. Aperuerunt ſuper me ora ſua, et exprobrantes percuſſerunt maxillam meam, ſatiati ſunt pœnis meis. Concluſit me Deus apud iniquum, et manibus impiorum me tradidit. Ego ille quondam epulentus repentè contritus ſum, tenuit ceruicem meam, confregit me, et poſuit me ſibi quaſi in ſignũ; Circundedit me lanceis ſuis, conuulnerauit lumbos meos et non pepercit, et effudit in terra viſcera mea. Conſcidit me vulnere ſuper vulnus, irruit in me quaſi Gigas. Saccum conſui ſuper cutem meam, et operui cinere carnem meam. Facies mea intumuit à fletu, et palpebræ meæ caligauerunt. Hęc paſſus ſum abſque iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces: quæ verba mirificè conueniunt Meſsię, qui venit. Decimo Pſal. 68. Super dolorem vulnerum meorum addiderũt.

Vnde-

Vndecimo Ezech. 19. Et audierunt de eo gentes, et non absque vulneribus suis cæperunt eũ. Duodecimo Zach. 13. Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me, Phramea susciture super pastorem meum, et super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum. Percute Pastorẽ, et dispergentur oues. Tertiodecimo Psal. 21. Foderunt manus meas, et pedes meos, et dinumerauerunt omnia ossa mea. Quartodecimo Isaias. 63. Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra, iste formosus in stola sua gradiens in multitudine fortitudinis suæ?

Vigesimo adimpletũ est, quod erat prędictũ de diuisione vestimentorũ Leuit. i. Offerentes vitulum coram Domino detracta pelle concidãt artus in frustra. Secundo Psal. 21. Diuiserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem. Tertio Genes. 37. ibi Hanc inueni mus. Vide vtrum tunica filij tui sit an non? quã cum cognouisset pater ait, Tunica filij mei est, fera pessima comedit eum, bestia deuorauit Ioseph. quæ figura optimè correspondet figurato: qa Ioseph fuit venditus, sicut etiã Christus.

Vigesimoprimo adimpletum est quod dictũ fuit per Dauid prophet. Psal. 68. Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potauerunt me aceto.

Vigesimosecundo adimpletum fuit id quod prædictum est de sepulcro Messiæ Psal. 142.

Collo-

Collocauerunt me in obscuris sicut mortuos seculi, et ansiatus est super me spiritus meus: in me turbatum est cor meum. Secundo Isaias. 11. Erit radix Iesse, qui stabit in signum populorũ, ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulcrũ eius gloriosum. S. Thom. 3. p. q. 51. Art. 2. Tertio Isaias. Dabit impijs sepulcrum suum: vbi non sine Dei beneplacito habent Turcæ dñim in sepulcrum Christi. Quarto Psal. 15. Quoniã non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem: nã Corpus Christi in sepulcro non erat inceneran dum. Quinto corpore mortuo Messiæ anima ad inferos descendit, vnde traxit Patres ibidem eum expectantes Psal. 48. Veruntamen Deus re dimet animam meã de manu inferi, et Psal. 70. Quia misericordia tua magna est super me, et eruisti animã meã ex inferno inferiori, et Zach. 9. Tu quoque in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos de lacu, vbi non erat aqua, et Oseas 13. De manu mortis liberabo eos, de morte redimã eos. Ero mors tua, ò mors, et morsus tuus ò inferne.

Vigesimotertio Amos. 8. In die illa dicit Dominus occidet sol in meridie, et tenebrescere faciam terram in die luminis, et conuertam festiuitates vestras in luctum; et omnia cantica vestra in planctum: vbi loquitur de sole tenebrando in die mortis Messiæ.

Vigesimoquarto Resurrectio Christi fuit prædicta Psal. 3. Ego obdormiui, et soporatus sum,

sum, et exurrexi, quia Dominus suscepit me. Secundo Psal. 56. Exurge gloria mea, exurge psalterium, et cithara. Tertio Psal. 11. Propter miseriam inopum, et gemitum pauperum nũc exurgam dicit Dominus. Quarto Osęas. 6. Venite, et reuertamur ad Dominum, quia ipse cepit, et sanabit nos; percutiet, et curabit nos: Viuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, et viuemus in conspectu eius; sciemus sequemurque, vt cognoscamus Dominum. Quinto Isaias. 33. Nunc exurgam dicit Dominus, nunc exaltabor, nunc sublcuabor. S. Thom. 3. p. q. 53. Art. 1. et seq.

Vigesimoquinto Ascensio Christi in cœlum fuit quoque prædicta apud Micheam. c. 2. ibi. Ascendet. n. pandens iter ante eos. Secũdo Psal. 8. Domine Dominus noster quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra, quoniam eleuata est magnificentia tua super cœlos. Tertio Psal. 17. Inclinauit cœlos et descendit, et caligo sub pedibus eius, et ascendit super Cherubin, et volauit super pennas vẽtorum. Quarto Psal. 67. Ascendisti in altum, cæpisti captiuitatem, dedisti dona hominibus; psallite Deo, qui ascẽdit super cęlum cęli ad Orientem. Quinto Psal. 46. Ascendit Deus in iubilo, et Dominus in voce tubæ. Sexto Psal. 110. Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis; quod factũ fuit quando Messias Christus Iesus in cœlum ascendit: ex quibus colligitur conclusio, quod adenit Messias, et ipse fuit Christus Iesus saluator

omnium

omnium. Vnde sciendum est omnia legalia, cęremonialia, atque iudicialia mortua fuisse cum Christo, quæ non surrexerunt cum eo, demptis moralibus, seu decalogo, qui reuixit ad maiorẽ perfectionem; vnde post Christi mortem mortiferam, inutilem, exosam, letalem, ac perniciosam, Deo execrabilem offerunt Iudæi, offerunt .n. quæ amplius non sunt offerenda. Nec dicitur impossibile Deum filium Dei esse hominẽ, eiusque personam subsistere in duabus naturis diuina scilicet et humana. Talis.n. tantaque vtriusque naturæ in illius personam facta est vnio, vt idem sit Deus, et homo. Huic autem vnioni assimiliari nihil potest in rebus creatis, quia diuina hæc admirabilis vnio omnem excellit creaturæ virtutem; nec propter hoc diuina maiestas aliquam recipit mutationem; sed natura humana trahitur, et extollitur ad excellentissimam vnionem, ex infinita potẽtia Dei, et ideò sibi conuenienter naturam vniuit humanam, vt mortalibus argumentum daretur, vnionem intellectus nostri cum Deo non impossibilem esse: maior si quidem est ad diuinam personam humanæ naturæ coniunctio, quàm ipsius intellectus ad Deum tamquam ad obiectum. Hinc post Christi humanationem euidentius cæpère homines emergere, et intentius verę beatitudini aspirare: ex Christi quoque incarnatione naturæ suæ excellentiam homo cognouit, intellexitq;, vt infra Deũ nulla sibi creatura sit finis, nihilque, quo adhuc ipsum excellat, nisi solus

Deus;

Deus, qui factus homo naturā immediate assū psit humanam. Præterea Deus, qui peculiarem hominum prouidentiam habet, carnem assumpsit, vt nos huiusmodi tam necessarię cognitionis, ac spei redderet certiores, vnde post aduentum filij Dei maiorem diuinorum instructionē ac claritatem processisse videmus; prętera nihil nos eq; sicut illius amor obstringit, vt amoris vices respondamus. Nullo autem modo suā erga nos charitatem, quam per hoc ineffabile suæ incarnationis, et maximè pietatis sacramentum poterat efficacius aperire; de hinc videmus homines ardentiori diuinarum rerum studio inflammatos, familiaritatem, et amicitiam cum Deo, et eius sanctis contraxisse; præterea certitudo mediorum requirebatur, tēdentibus ad beatitudinem, quod per beneficium incarnationis consequutum est; ideò post aduentum in mundum, mundus virtutibus floruit, cum verbo, et exemplo homines instruxerit: sancta igitur docet fides, humanam naturam propriū in Christo suppositum, siuè personam propriā non habere, quam ex se scilicet habuisset, si non esset verbo Dei vnita: sed pro illo suppositio diuinum suppositum in illa subsistere, dum persona filij naturam hanc in primo suæ creationis instanti, vt in ea subsisteret, sibi ipsam viuens præoccupauit. Suppositum autem subsistens in natura humana est homo, et in natura diuina est Deus: cum igitur persona, seù suppositum filij Dei in vtraque natura subsistat, verè est

Deus et homo: Hoc autem nec impoſsibile eſt, nec irrationale; Deus ſiquidem omnia poteſt, quæ contradictionem non implicant; inuicem namque contradictoria rationem entis habere non poſſunt: Deum autem eſſe hominem modo prædicto contradictionem non implicat, ſicuti non eſt etiam impoſsibile, nec irrationabile Chriſtum ex Virgine fuiſſe natũ; nam ſi potuit Deus homo fieri, ipſum quoq; fieri filium hominis impoſsibile non erit; vt ſcilicet Virginis filius iuxta Catholicam aſſertionẽ verè credatur; hoc ideo egit, vt ad charitatem et humilitatẽ nos propenſius inuitaret, quando non dedignatus omnium parens in terra habere parentem, noſtræque infirmitatis ſubire diſpendia. Fuit quoque conuenientiſsimũ ipſi verbo Dei, vt ex incorrupta virgine naſceretur: vt qui habet in cœlis patrem ſine corruptione, et ſine matre, haberet quoque in terris ſine labe, ac ſine Patre integerrimam matrem; nec eſt impoſsibile apud Deum, quia ipſe infinita ſua virtute immediate per ſe ipſum producere poteſt quod aliàs per agẽtia naturalia efficit cum poſsit creare; venit quoque Chriſtus in hunc mundum, vt vitæ nobis præberet exemplum, et qui cum hominibus conuerſatur, ſe eis in conuerſatione vitæ conformet, vitamq; pauperem delegit. oportet. n. diuinæ veritatis præcones à curibus ſecularibus expeditos eſſe: præterea, vt diuinitatẽ palàm faceret, infirma, et ſtulta elegit, vt huius mundi potentes, ſapientesque confunderet, vt

totius

totius orbis transformatio non potestati, vel sapientiæ humanæ, sed diuinitatis eius maiestati adscriberetur; fuit quoque miraculorum necessaria demonstratio ad ostendendum diuinitatem in illo corporaliter inhabitantem.

Rationabiliter quoque Christi passio ponitur, quia peccatum naturæ, non personæ, vt est peccatum originale, quod ab homine primo in naturam descendit, et à natura in singulos homines affluxit, cum esset infinitum; nulla creaturarum, sed solus Deus satisfacere poterat, homo igitur ille ac Deus, filius Dei Christus Iesus debitum omne persoluit. Homo autem, qui non poterat, debebat; voluit ipse Deus pientissimus mortalem carnem induens homo fieri, vt et qui poterat, et qui debebat piè satisfaceret, vnde sacri sanguinis pretio in Cruce effusi reserata fuit Patribus Ianua Paradisi, qui licèt sufficienter pro persona propria satisfecerint, pro peccato tamen totius naturæ in primo homine vitiatę satisfacere nemo valuit; in hoc Deus suã manifestauit potentiã, qua tanto fędere sibi copulare humanam naturam potuit, vt verè factus sit homo. Sapientiam quoque, qua admirabilem modum ad perditum hominem recuperandum, in vitamque æternam perducendum exquisiuit, vnde infinita bona mundo exorta sunt. Bonitatem quoque dum se totum humanæ naturæ infudit, vt eam sibi artiori vinculo prorsus vniret: suam præterea misericordiam, qua pro nobis voluit crucifigi, iustitiamque

simul adæquauit; et quia non solum ad peccata nostra diluenda, sed ad nostram pariter instituendam venerat vitam, turpissimam mortem sibi delegit, vt illius exemplo propter veritatis iustitiæque ipsius dilectionem ac obseruantiã, durum ac terribile nihil formidemus; oportunum est quoque animam eius ad Patres vsque descendere, vt illorum animas de sinu limbi educeret. Nequis verò illum non verè mortuum diceret, meritò tumulatus est, triumq; dierum in sepultura iacturam tulit: verum si post hæc nõ resurrexisset, nulla resurgendi mortalibus spes esset relicta; iurè ergo sui obitus ministerio absoluto glorioſus à mortuis resurrexit, et quia eius corpus iam effectum fuerat immortale, ac glorioſum, indignum erat, cum apud homines domesticum habere commertiũ: sicut. n. Christi corpus ex forma gloriæ, et vnione ad verbũ corporum est omnium perfectissimum, ità decuit, vt super omnes cœlos, et super omnia corpora ascenderet, et tamquam Dei vnigenitus ad dexteram Patris sederet. i. in æternæ vitæ potioribus bonis. Præterea cum Christus Dei filius ab hominibus fuerit, et pro hominibus iniustè impièque damnatus, par fuit vt ipse tanquam caput omnium hominum, atque mensura constitueretur viuorum Iudex et mortuorum, singulis iuxta operum mercedẽ in fine seculi rediturus: quibus ita rectè consideratis omni ex parte Christiana Religio nõ minus rationabilis et æqua, quàm admirabilis, diuinaque videbitur:

debitur : Iudaica aũt perfidia satis confusa atq; repulsa monstratur : Plurimæ aliæ rationes, et authoritates adduci possent, quas breuitatis causa omitto.

Hæreticorum pertinacia conuincitur.

QVinto confutandi sunt hæretici hoc pacto, primo quia ab vnitate Romanæque Ecclesiæ doctrina dissentiunt, et per consequẽs deuiant à Christo : Hæreticus. n. ille dicitur, qui sacræ paginæ, ac sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ doctrinam peruertens, quam sequitur, sectam sibi deligens in ea obstinatè perseuerat ; oportet. n. vniuersam Ecclesiam vno capite gubernari ; multitudinis autem regimen est optimum si per vnum regatur, quod ex fine regiminis patet, qui est pax subditorum, et vnitas : huius autem rei congruentior causa vnus est, quã multi : præterea militans Ecclesia à triumphanti per similitudinem deriuatur. Inferiorum. n. gubernatio superiorem ordinem imitatur : cui quanto fit similior, tãto perfectior existit. Triũphantis autem Ecclesiæ vnus est rector, et Dominus s. Deus : vnum igitur militantis Ecclesię Præsidem esse oportet, qui est summus Pontifex : præterea cum naturalia sint ordine mirifico instituta, tanto magis in supernaturalibus regimen apparet ad vnum redigi : quemadmodũ omnes motus ad vnum primum motorem, apes ad vnum Regem, omnia animalis mẽbra ad cor denique diriguntur, itidemque in reliquis, et in vnoquoque genere dare oportet vnum primũ,

quod est aliorum mensura. Ergo in Ecclesia Dei tanto magis necessarium est caput vnum ad totius populi Christiani gubernationem, quanto omnia regimina sua dignitate excellit: præterea in vtroque testamento vnum caput Ecclesiæ decernitur Oseæ 1. Congregabuntur filij Iuda, et filij Israel pariter, et ponẽt sibimet caput vnum, et Ioan. 10. Fiet vnum ouile, et vnus Pastor; præterea maxima inde oriretur cõfusio præsertim circa fidem, et bonos mores incerta determinatio sequeretur; non. n. sciri posset, quę vt potissima esset tenenda sententia, nullamque iustitiam administrandi ratio, aut facultas haberetur. Romanæ autem Ecclesiæ doctrina in his, quæ ad fidem, et bonos mores pertinent, vna est; præterea Ecclesia vsque ad finem seculi duratura est. Hæretici cum suorum prauitate dogmatum sectatorumq; peruicacia funditus corruerunt, et corruent.

Secundo Hæretici cæremonias, et ritus Ecclesiæ et imagines Sanctorum contemnunt, nos verò summa ratione eas factas probamus; quoniã inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur Paulus ad Rom. 1. ideo imagines venerantur, Ecclesiæ consecrantur, aliaq; fiunt, quibus homines ad diuinum cultum perducuntur.

Tertio Hæretici sacramenta recusant, eorũq; ritus non recipiunt; nos verò ea miro ordine à Deo instituta affirmamus: nam ipsa sunt instrumenta ad vitam spiritualem ordinata, iuxta eo-

rum

rum similitudinem, quæ ad corpoream vitam ordinatur. Primo.n. ad vitam corporalem ordinata est Generatio, qua viuens vitam acquirit: secundum est augumentum, vt ad debitam corporis proceritatem roburq; perueniat: tertium est nutrimentum, sine quo nec conseruari nec augeri posset; Idcirco animæ vegetatiuæ tres adscribuntur virtutes, generatio uidelicet, augumentatio, et nutritio; quoniam uerò quandoq; animal ægrotare contingit, oportuna medicinæ remedia ad illius curationem natura adinuenit; cumq; animalis generatio non sit absq; generante, oportet etiam in natura esse genitores, ut species indiuiduorum conseruentur. Sic ergo in uita spirituali primum necessarium est Baptisma, per quod homo in peccato originali sine gratia natus regeneratur in Christo; secundum est Confirmationis sacramentū, per quod in Christo renati stabilimentum solidumq; robur suscipimus: quia militia est uita hominis super terrā; et oportet nos per multas tribulationes introire in Regnum Dei: tertium instrumenti spiritualis est sacramentum Eucharistiæ: quartum est Pœnitentiæ Sacramentum, quod institutum est ad spiritualem sanitatem recuperandam: quintum est Extremæ Vnctionis sacramentum, quod etiam ipsum ad animæ et corporis pertinet sanitatem: sextum est Ordinis idq; ad spiritualem pertinet propagationem: septimum est Matrimonium ad sobolis ordinatum, sine qua spiritualis multiplicatio deficeret. Cū

igitur Christus uniuersalis causa nostræ salutis sit, et uniuersalis uirtus ad effectus particulares non nisi per particulares causas applicetur, conueniens fuit, ut aliqua remedia loco particularium causarum nostræ salutis inuenirẽtur, quæ uirtutem nobis uniuersalis causæ copularent, et quoniam ad principalem suam causam requiritur instrumentorum proportio, congruum fuit, ut aliqua sub signis manifestisque uerbis traderentur, et hæc sunt sacramenta: nostræ.n. salutis causa uniuersalis est uerbum Dei incarnatũ; rite ergo institutum est, ut ad uisibile elementũ verbũ accedens sacramentũ efficiat, uelut ipsius uerbi incarnati particularẽ causam, uel instrumentũ. Id etiã homini competit qui inuisibilia per uisibilia cognoscit: qm̃ uerò absque gratia salutem nemo consequi potest, conuenit pariter ut sacramenta hęc instrumentaliter conferant gratiã: prętera optimo iure sunt ritè ordinata hæc sacramẽta: sunt.n. correspectiua ad septem uirtutes, nempe ad tres Theologales, et quatuor Cardinales; sacramentum.n. Baptismi correspondet uirtuti fidei, unde in collactione eius prius interrogatur suscipiens de articulis fidei, ideò dici potest sacramentum fidei: spei autem correspondet Extrema unctio, quæ datur infirmis, quorum propriè est habere spem salutis animæ, et corporis: charitati autem correspondet Eucharistia, qua communicamus, ideò dicitur Sacramentum Pacis: prudentiæ correspondet ordo, unde de Sacerdotibus dicitur,

citur, Vos estis sal terræ, qui sacra docere tenentur: iustitiæ correspondet Pœnitentia, qua debita persoluimus peccatorum per contritionē cōfessionem, et satisfactionem: fortitudini correspondet Confirmatio, qua intrepidè confitemur nomen Christi: temperantiæ correspondet Matrimonium introductum etiam in remedium ad extinguendam flammam ignis: et nota quod sacramenta possunt etiam à peccatoribus administrari, dummodo sint ordinem consecuti (in his in quibus ordinis requiritur) neq; .n. ex hoc illa inficiuntur, aut efficaciæ minus habent, quia in Christi virtute nō autem propria consecrantes agunt; quod autem in virtute alterius agit nō sibi sed principali agenti simile reddit patiens: non.n. domus instrumētis artificis, sed arti eius assimilatur. Negant præterea quidam hæretici orationem prorsus inutilem, contra quam opinionem vltra adducta suo loco facit primo, quia cum Deus sit actus purus, et prima veritas, atque lux infinita; quanto quis Deo proprius accedit, tanto amplius particeps fit diuinæ puritatis, veritatis, ac lucis. Homo autem Deo non appropinquat gressu corporis, verum puritate vitæ, mentis eleuatione, et contemplatione veritatis, quod fit per orationem: præterea intellectus sui natura veritatem tanquam suam perfectionem desiderat, falsum verò tanquam malum euitat, nulla boni viri dispositio propinquior fit ad veritatem suscipiendā et ad eius contrarium fugiendum, quàm in ipso

oratio-

orationis, et contemplationis actu: præterea omnis causa exaudit (vt ità dixerim) suum effectum; postulatio. n. effectus est propriæ perfectionis appetitus quam exigit à causa, cum ad eam bene disponitur: tunc verò causa nisi impediatur suam non remoratur executionẽ pro dispensatione rei perfectionem infundẽs, quod ex illius bonitate, et facilitate prouenit: quia bonum est sui ipsius diffusiuum. Cum ergò Deus sit summè bonus, procul dubio super omnes alias causas suos exaudiet effectus, eos scilicet, qui ad gratias suscipiendas optimè disponuntur. Lippomannus lib. 3. in princ. confirmationis Dogmatum catholicorum.

Male quoque multi hæretici sentiunt de Trinitate, et licèt ad cognitionem trium personarũ per naturalem rationem nequaquam homo peruenire possit; quia cum cognoscamus Deum per creaturas, non ducimur hoc modo in eius cognitionem, nisi quatenus is est earum principium, et causa: Non est autem eorum principium, et causa, nisi per ipsius virtutem personis tribus communẽ, et ideo per creaturas cognitionem consequi non valemus, nisi eorum quæ Patri, et Filio, et Spiritui Sancto sunt communia, quo circa per creaturarum notionem personarum distinctionem attingere nequiuimus; ad quod capiendum, licèt imbecillitas humana non sufficiat, non debemus tamen reuelata sacrosancta mysteria non credere. Ridiculum est .n. existimare nihil esse verum præter quod intelle-

tellectus nostri radio metiri possumus, cum infinita sint in Deo nobis prorsus abscondita, et nequaquam inuestigabilia: dicere tamen possumus multum probabilitatis, et rationis, et similitudinis cum rebus naturalibus habere. Cũ.n. effectus suã causam imitari conetur ex consideratione earũ processionum, q̃ in creaturis inueniuntur, ad eas, q̃ in Deo sunt quadammodo eleuamur. Multas aũt in creaturis inuenimus processiones, q̃ quanto perfectioris sunt conditionis, tanto magis perfectæ, atq; intimæ sunt. In carẽtibus.n. vita generatio quędã inuenitur, vt cũ ignis ab igne procedit: hęc aũt processio suũ in agente principiũ habet, quod in materiã exteriorẽ agit: vndè minus perfecta minusq; intima reliquis est: In uegetabilibus perfectiorẽ inuenies, et intrinsecã magis processionem; quia id q̃ generatur in plantis, est in principio producenti coniunctũ; verũ in fine ab eo separatur: et in animalibus est q̃dam in sensibus processio, q̃ adhuc magis perfecta spiritualisq;, et intima est q̃ plantarũ inuicẽ processio: quia actus ipsius sensus remanet in sensu, nec exterius emanat: ab extrinseco tamẽ prouenit obiecto; vndè adhuc perfectè interna non habetur processio. In hominis autem intellectu ac perfectior magisq; intima inuenitur: quia actus intellectus super se ipsum reflectitur: Vndè ex his quæ iam tenet homo contemplari potest, et verbum mentis intus reconditum concipere: hinc in amorem conceptæ rei prorumpens in se ipso personarũ

quodam-

quodammodo effingere Trinitatem ideſt intellectus, verbi, et amoris. Verum hæc proceſsio intellectus noſtri incipit à ſenſu, ſicut noſtra cognitio, et ab initio pendet exteriori. Si autem conuertamur ad Angelicum intellectum, qui nullam à ſenſibus ſcientiam capit, et naturaliter eam poſsidet, tum excellentiorem, atq: interiorem in eo proceſsionem verbi, et amoris comperiemus: verum quia totus Angelus pendet à Deo hinc, et ipſe quoq; ab extrinſeco eſt, neq; eius intellectus, neque verbum, neque amor eſt ipſius ſubſtantia. Vndè proceſsiones quæ in Angelis inueniuntur, aliquid imperfectionis habent, et intimæ prorſus non ſunt. Cum igitur videamus, quod quanto nobiliores ſunt creaturę, tanto proceſsiones in eis ſunt magis intimæ et perfectiores: cumq; effectus ſuam cauſam emuletur, quid irrationabile dicimus, quandò in Deo, qui omnes in infinitum creaturas excedit, perfectiſsimas proceſsiones maximèq; intimas ponimus? quæ nec ab extrinſeco proueniunt, nec à Dei ſubſtantia differunt, quasque omnes creaturæ imitari conantur, licèt omnes ab illa perfectione deficiant; quia diuinæ perſonæ à nulla cauſa dependent, ſed ſunt vnus Deus, qui eſt omnium cauſa; et ideò tres perſonæ extant vnum in ſubſtantia, et relatione oppoſita diſtinguntur. Relationes autem in diuinis nullam ponunt imperfectionem, cum relatio, ex ſua ratione ad aliquid, ſed non aliquid ſignificet: præterea in homine, qui inter omnia naturalia

turalia ad Dei similitudinem magis accedit, inuenitur quædam in parte spirituali trinitas videlicet intellectus, verbi, et amoris: dum.n. actu Deum intelligit, concipit de Deo verbum et ex hoc in eius amorem prorumpit: præterea in omnibus creaturis multiplex trinitatis vestigium inuenitur, cum omnes ex principio, medio, et fine compleantur, et in cunctis sit substãtia, virtus, et operatio: præterea corpora perfecta dicuntur tribus videlicet longitudine, latitudine, et profunditate.

Dicunt denique quidam alij Hæretici nullũ esse præceptum in lege Euangelica, contra quã cõstituendum est primum nostrum moralium principium, quod est. Diliges dominum Deũ tuũ, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, ex omnibus viribus tuis: secundũ aũt est, Diliges proximũ tuũ sicut te ipsum. Circa primũ quia in corde est fons vitæ sensuũ appetitusq; principiũ, à quo ad amorẽ sensibilium tracti ab amore diuino separamur: ideò dicit ex toto corde, ac si diceret subijcias prorsus partẽ sensibilẽ voluntati, vt et illa pari ordine ad Deũ tendẽs nulla in re ab ipsa ratione Deiq; lege dissentiat; et quia absq; duce ratione solet aberrare volũtas, sequitur ex tota anima tua. i. ex tota voluntate ad hunc finem directa; anima siquidẽ est vitæ principium, vnde profluit motus, ex quo animata ab inanimatis discernuntur; quià verò voluntatis motus à ratione dependet, cum illius obiectum sit bonum cognitũ, statim meritò

ritò adijcitur, ex tota mente: mens.n. intellectum significat, et rationem, quæ ità in Deũ tendere debet, vt quicquid intelligit, et contemplatur sit Deus, vel ad eum actu, vel habitu saltem destinetur. At quoniam finis propter se amatur etiam sine mensura dilectionis animo insidet; quę.n. sunt ad finem eatenus amamus, quatenus ad ipsum finem proportionẽ habent: sed amor finis immensurabilis est: congruè ergò tribus his subiungitur, ex omnibus viribus tuis: vt scilicet cum Deus sit finis noster ad eum omni studio, ac conatu tendamus, eique ratio, voluntas, et sensus penitus obtemperent, atq; omni virtute, et gratia perficiãtur: vt demum in nobis ità consumatis, ac postremò beatificatis glorificetur Deus, sicut omnis causa in perfectione commendatur sui effectus. Circa secundum dicitur Diliges proximum tuũ sicut te ipsum. i. ad eundem ad quem te ipsum diligis finẽ: nam cum finis noster sit honor Dei, ac gloria, causaque in perfectione magis sui effectus, quã in diminutione semper ornatur, cum homines sint Dei effectus, idem magis in ipsis perfectis supremèque beatis, quàm aliter se habentibus honoratur. Si ergò diligendo Deum illius gloriæ vsquequaque nos intendere oportet, debemus et pari fine ad quẽ anhelamus, diligere proximum, vt quemadmodum in nobis, ità et in illo diuinum opus eluceat, ac laudetur. Ex his etiam apparet qualiter se ipsum homo diligere debeat vt perpetuo ordine ità Deo affici, et

subijci

subijci debet, et id totum quod viuit quidque agit ad eius gloriam ordinare, vt in ipso tanquã in opere suo perfecto magnificetur Deus. Prętera quia communi omnium Principi primum debetur fidelitas, qua ei inuiolata fides in omnibus seruetur contra eius hostem: ideò in primo præcepto dictum est vt homines Deũ verũ colant, qui vnus tantum est, nec Deos alienos coram eo, qui vbique assistit, quemue nihil latet, venerẽtur, nec ad diabolum quoquo pacto diuertant. Secundo Principi debetur reuerentia: ideò dicitur in secundo Non assumes nomẽ Dei in vanum: Deum .n. prorsus inuisibilem honorare cupientibus in ijs, quæ ipsum repręsentant, honorandus est: cuius modi maximè sunt voces, quæ ad Deum significandum, aut laudandum inuentæ sunt. Tertio Principi debetur meritus famulatus; ideò dicitur Memento vt Diem sabbati sanctifices; per quod monemur vt debitum cultum tam internum, quam externum sinceriſsimè Deo exhibeamus. In secunda verò tabula primum legitur, Honora Patrem tuum, et matrem tuam; vbi honoris exhibitio beneficiorumque gratitudo erga quemlibet nobis proximum colligitur. Offensionis autem illationem euitandam intelligimus, opere, lingua, et corde; opere verò tam in personam propriam, quàm coniunctam resque contiguas ab iniuria abstinendum esse; ideò dicitur secundo loco Non occides; quod nocumentũ proximo in personam propriam illatum iri prohibet:

tertio

tertio Non mœchaberis; ex quo nullius vxorẽ, vel fœminã violandam esse cauetur, et ad quasli bet detestandas luxuriæ sordes interpretandũ est: quarto Non furtum facies; hinc quęlibet alienæ rei vsurpatio condemnatur: quinto Nõ falsum testimonium dices contra proximum tuum: vbi tenemus quodlibet iniquæ, ac peierantis, vel maledicæ linguæ peccatum esse abhominandum: sexto Non concupisces vxorẽ proximi tui: propter quod mentalis luxuriæ infectio et inordinatus libidinis appetitus coercetur: septimo Non desiderabis rem proximi tui; in quo monemur non tantum alienę rei vsurpationem esse fugiendam; sed sinceritatem mentis pariter ab auiditate iniustæ possessionis custodiri oportet; lex. n. euangelica non solum mala opera, sed prauos etiam coarguit affectus; vndè non solum vltima præcepta, sed etiam superiora non tantum de exteriori opere, sed de interiori æq; accipiuntur; fuerunt tamen hæc duo expressa; quia libidinis ardor videtur esse naturalis; exteriorum etiam bonorum auiditas, quia eis plurimum indigemus, videtur esse naturæ homini inserta. Hinc possent rudiores opinari horum appetitus minime esse peccata, præsertim cum nulli sola desideria noceant; fuerunt etiam expressa quia ad ista homines procliuiores sunt. Præterea Dei præcepta bifariè distinguntur, in affirmationem scilicet, et negationẽ. Præcepta affirmatiua perfectionem charitatis attendunt: negatiua autem puritatis integritatem;

tem; præterea notandum est, quod cum omnia diuinæ prouidentiæ subijciantur, manifestum est autem aliquo modo in æternæ legis participatum admitti, et sic ponitur primo lex æterna; secundo huius legis participatio in rationali creatura lex dicitur naturalis, quę est naturaliũ præceptorum in intellectu, vel virtute, vel etiã habitu congregatio. Horum namq; præceptorum radix lumen est rationis naturalis diuinitus impressum; cuius virtute quędam sunt nobis tam in speculatiuis, quã in practicis per se nota; quæ in speculatiuis quidem prima principia; in practicis autem potiora prȩcepta, vel primas, ac naturales leges appellamus: à quibus tã quam principijs per se notis leges alias bifariã ducimus: vno modo sicut ex manifestis principijs conclusiones: altero sicut aliquorum prudentum decreta communiter probata. Primus quidem modus illi similis est, quo demonstratiuæ scientiarum conclusiones ex principijs inferuntur: secundus verò illi, quo in artibus formæ communes ad aliquid specialiter applicantur; velut sapiens Architectus formam ędificiorum communem ad hanc, vel illam determinat domus figuram. Quædam ergò à communibus principijs legis naturæ per modum conclusionis habentur: vt ab hoc præcepto Non occides elici potest nemini venenum esse dandum. quędam verò per modum determinationis; sicut lex naturæ iubet, vt qui peccat, puniatur; sed quod illa, vel alia pœna plectatur, fit secundum

determinationem legis naturæ: idque hoc prudentum arbitrio relictum est: vt scilicet decernant, quod bono communi nouerint expedire; Huiusmodi verò leges humanas, aut aduentitias, aut positiuas vocamus, et licèt lex naturalis apud omnes nationes eadem, et immobilis persistat: non tamen omnes homines eisdem legibus positiuis gubernari possunt. Præterea lex humana mala omnia punire, seu prohibere non potest. Plura.n. indigna permittit, ne peiora sequãtur non de internis, occultisq; quoq; facinoribus, sed tantum de apparentibus dijudicat; lex autem diuina nullum malum impunitũ relinquit, et de internis iudicat. Sciendum est præterea legem diuinam, ac naturalem sibi minimè aduersari; sed sicut grãtia perficit naturã, ità lex diuina perficit naturalem.

Mahumetanorum ritus confunditur

AD sextum dicendum est, Mahumetanos medios quodammodo esse inter Iudæos, et Hęreticos, qui conuincuntur hoc pacto. Omnis vera religio aut à naturali, aut supernaturali lumine proficiscitur; sed eorum superstitio penitus confusa à neutro eorum lumine prouenit quod patet; quia in Alchorano nullus ordo reperitur, quod est maximum ignorantiæ signũ: tot præterea sunt fabulæ in eo, totque contra bonos mores imperata seu permissa sunt, quæ potius irridenda sunt, quam rationibus refellẽda; huiusmodi ergò religio à lumine naturali prouenire non potest: Neq; etiam à supernaturali

turali proueniet: quidquid .n. naturali lumini aduersatur, ipsi etiam supernaturali contrariũ est: præterea, quæ malo sunt incohata principio, bonum rarò, vel nunquam exitum sortiuntur; sed hęc secta authore gloriatur Mahumete, qui prorsus irrationabilis, sceleratus, adulter, et populorum prædator fuit; præterea nullis sicuti Christiana religio fulcitur miraculis; sed sibi gladij potestatem asseuerat esse concessam: præterea Mahumetes mandauit non nisi gladio religionem suam tuendam esse, vt quod ratione, et honestate defendi non poterat, ferino impetu decerneretur. Non obstat, quòd dicunt Christum à Mahumete superari, eo quod plures sunt Mahumetani q̃ Christiani; nam per hoc sequeret, quod diabolus esset melior Christo, qui multo plures q̃ Mahumetes à veritate detorquet; secundo Resp. hęc omnia venire ipso sciẽte, ac permittente, in vltionẽ scelerũ; scriptũ est enim Multi sunt vocati, pauci verò electi; Ecclesiaque sępenumero aucta, et diminuta est: liberum.n. ad virtutes, et ad vitia nobis Deus dedit arbitrium, nec ab ipso Deo in alterutram partẽ coguntur homines: neq; .n. stante natura cogi possunt; Alioquin neque merito, neque demerito locus esset: præterea multos à fide Catholica defecturos, paucosque saluandos legimus Paul. ad Tim. Spiritus manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis Dœmoniorum in hypochrisi loquẽtium men-

dacium: Pręterea male viuentes suo priuat lumine, ac in cæcitate relinquit, cum nulla pœna grauior infligi possit, quã veri luminis, rectęq; vitæ priuatio, propter quod certa damnationis æternæ via in precipitium ducit, nec possunt excusari filij Iudæorum, et Mahumetanorum, quia Resp. eam ità esse Christianæ fidei vbique terrarum manifestationem miraculorumque famam, vt nemo excusare possit, quin ei veritatis inquirẽdę, cognoscendęq; facultas oblata sit, q̃ si neglexerint ipsis imputet; doctrina igitur Mahumetanorum est à Diabolo: Christiana autẽ doctrina, cui fides innititur, est à Deo; quod patet, quia de futuris contingentibus non est determinata veritas, de quibus neque ars, neque scientia esse potest; sed hoc tantùm ad proprietatem diuinam pertinet. Deus. n. cum sit æternus, omnia sua æternitate complectitur: omniaq; sunt eius oculis nuda, et aperta; homines vero nequaquam præscire futura contingentia possunt, nisi eis ab ipso Deo reuelentur. Cum itaq; sacra scriptura futura contingentia, et ad liberum arbitrium spectantia non modo generaliter, sed particulariter etiam pronũciauerit, necesse est hanc doctrinam esse à Deo. Item mũdus locutionis, et progressionis sacræ scripturæ est adeò singularis, vt à spiritu sancto dictante dicatur expressus; præterea hæc doctrina est Christiano vitæ instrumentum, qua nihil sanctior reperitur, quæ non potest ab aliqua naturali causa, sed tantùm à Deo gratuito munere

prouenire: Præterea plures prędicatores utentes humanę sapientiæ uerbis, parum, aut nihil in populis profecerunt: cum autem simplici ad populum sermone usi sunt solius sacræ scripturæ instructione, et familiaritate contenti mirifice illustrando populos inflammarunt. Hæc.n. est illa doctrina penetrabilior omni gladio anciti, quæ totum orbem uirtutibus adornauit: præterea noster intellectus quanto est purgatior, tanto ueritatis est magis capax: sed excellentissima uirorum ingenia non modo scriptis hanc doctrinam extulerunt, sed prædicatione, uita, ac moribus contestati pro ea defendenda, uitam intrepidè exposuerunt, quod non fecissent nisi ueritatem ipsis penè oculis conspexissent: præterea uerum uero consonat, et falso omnia dissident: sed aliæ disciplinæ huic nostræ non aduersantur, immo deseruiunt, solum modò superstitiosæ, ut diuinatorię, aliæq; non minus pernitiosæ, quàm inutiles artes prędicũtur, quæ nec inter artes, nec inter scientias connumerari possunt: præterea si doctrina Christiana à Deo non esset inter tot conflictus disputationum aliquando succumbens, haud tam diu perdurasset inuicta, cum ipsa tam à summis Philosophis, quàm à Tyrannis ualidissimè fuerit impugnata: ipsa tamen ut infinita Christianorum uolumina testantur, semper insuperabilis remansit.

Atheistarum opinio confunditur.

AD septimam sectam eorum, qui Athei dicuntur, negantes Deum esse, dicendum est Deum esse, idque probari multis modis. Primo ex parte motus: certum est.n. aliqua moueri in hoc mundo: omne autem, quod mouetur ab alio mouetur: nihil.n. mouetur nisi secundū quod est in potētia ad aliud ad quod mouetur: mouet autem aliquod secūdum quod ex actu: mouere.n. nihil aliud est, quàm educere aliquid de potentia in actum; de potentia autem non potest aliquid deduci in actū, nisi per aliquod eius in actu, sicut calidum in actu, ut ignis, facit lignum quod est calidū, et per hoc mouet, et alterat ipsum; non autem est possibile, ut idē sit simul in actu, et potētia secundum idem, sed solum secundum diuersa; quod.n. est calidum in actu, non potest simul esse calidum in potentia; sed est simul frigidum in potentia: impossibile est ergo, quod secundum idem, et eodem modo aliquid sit mouens, et motum, uel quod moueat se ipsum; omne ergò quod mouetur, oportet ab alio moueri; Si ergò id ad quod mouetur moueatur, oportet et ipsum ab alio moueri, et illud ab alio: hic autem non est procedere in infinitum, quia sic non esset aliquod primum mouens, nec per consequens aliquid aliud mouens, quia mouentia secunda non mouet, nisi per hoc, quod sunt mota à primo mouēte, sicut baculus non mouetur nisi per hoc quod est motus à manu. Ergò necesse est deuenire ad aliquod

quod primum mouens, quod à nullo mouetur, et hoc omnes intelligunt Deum.

Secundo modo probatur ex ratione causæ efficientis. Inuenimus.n. in istis sensibilibus esse ordinem causarum efficientium, nec tamen inuenitur, nec est posibile, quod aliquid sit causa efficiens sui ipsius, quia sic esset prius se ipso quod est impossibile, non autem est posibile, quod in causis efficientibus procedatur in infinitum, quia in omnibus causis efficientibus ordinatis primum est causa medij, et medium est causa vltimi, siue media sint plura, siuè vnum tãtum, Remota autem causa remouetur effectus. Ergò si non fuerit primum in causis efficientibus, nec erit vltimum nec medium; sed si procedatur in infinitum in causis efficientibus, non erit prima causa efficiens, et sic non erit nec effectus vltimus, nec causæ efficientes mediæ, quod patet esse falsum; ergò necesse est ponere aliquam causam efficientem primam, quam omnes Deum nominant.

Tertio probatur ex posibili necessario. Inuenimus.n. in rebus quędam, quæ sunt posibilia esse, et non esse, cum quædã inueniantur generari, et corrumpi, et per consequens posibilia esse, et non esse: impossibile est autem omnia, quæ sunt, talia semper esse; quia quod posibile est non esse, quandoque non est: si igitur omnia sunt posibilia non esse aliquando nihil fuit in rebus: sed si hoc est verum, etiam nunc nihil esset: quia quod non est, non incipit esse,

nisi per aliquod quod est; si igitur nihil fuit ens; impossibile fuit, quod aliquid inciperet esse, et sic modo nihil esset, quod patet esse falsum; non ergò omnia entia sunt possibilia: sed oportet aliquid esse necessarium in rebus. Omne autem necessarium vel habet causam suæ necessitatis aliunde vel non habet; non est autem possibile, quòd procedatur in infinitum in necessarijs, quæ habent causam suæ necessitatis, sicut nec in causis efficientibus; ergò necesse est ponere aliquid quod sit per se necessarium, non habens causam necessitatis aliunde, sed quod est causa necessitatis alijs, quod omnes dicunt Deum.

Quarto modo probatur ex gradibus, quæ in rebus inueniuntur. Inuenitur.n. in rebus aliquid magis, et minus bonum, et verum, et nobile: et sic de alijs huiusmodi; sed magis, et minus dicuntur diuersimodè ad aliquid quod maximè est: sicut magis calidũ est, quod magis appropinquat maximè calido: est igitur aliquid quod est verissimũ, et optimũ, et nobilissimũ, et per consequẽs maximè ens. nã quę sunt maximè vera, sunt maximè entia, ꝙ aũt dicitur maxime tale in aliquo genere, est causa omniũ, q̃ sunt illius generis, sicut ignis, qui est maximè calidus, est causa omniũ calidorũ. Ergò est aliquid ꝙ omnibus entibus est causa esse, et bonitatis, et cuiuslibet perfectionis, et hoc dicimus Deũ.

Quinto modo probatur ex gubernatione rerum. Videmus.n. quod aliqua, quę cognitione carent scilicet corpora naturalia, operantur

propter

propter finem: quod apparet ex hoc, quod semper aut frequentius eodem modo operantur, vt consequantur id quod est optimum: vnde patet, quod non à casu, sed ex intẽtione perueniũt ad finem; ea autem, quę non habent cognitionẽ, non intendunt in finem, nisi directè ab aliquo cognoscẽte, et intelligente, sicut sagitta à sagittante: Ergò est aliquid intelligens, à quo omnes res naturales ordinantur ad finem, et hoc dicimus Deum.

Non obstat, quod dicitur, Si Deus esset, nullum malum inueniretur, quia cum Deus sit infinitè bonus, quando vnum contrarium fuerit infinitum, totaliter destruet aliud, at aliquod malum inuenitur in mundo: ergò non est bonũ infinitum, et per consequens non est Deus; Nã resp. quod cum Deus sit summè bonus, nullo modo sineret aliquid mali esse in operibus suis, nisi esset adeò omnipotens, et bonus, vt benè faceret etiam de malo: hoc ergò ad infinitam Dei bonitatem pertinet, vt esse permittat mala, et ex eis eliciat bona S. Thom. 1. p. q. 2. art. 3. Est igitur Deus, et est vnus. Illud. n. vndè singulare est, hoc aliquid nullo modo est multis communicabile. Cum ergò Deus sit ipsum suum esse, suaque natura, et actus purus, aliundè quàm à sua natura habere non potest, vt sit Deus, et vt sit hic Deus: ergò illud vnde Deus est, hoc aliquid est ipsa sua natura: quare eius natura non est pluribus communicabilis: impossibile est igitur plures esse Deos. Præterea cũ Deus totam

tam in se contineat essendi perfectionem, si essent plures Dij, oportet eos inter se differre; ali quid igitur conueniret vni, quod non alteri, et si hoc esset priuatio, non esset simpliciter perfectus; si verò perfectio alteri eorum deesset. Impossibile est ergò plura esse, quæ comprehendant totam in se essendi perfectionem: plures ergò Dij esse non possunt, sed vnus, qui non est corporeus, nec corporis forma, nec aliquid cõpositum, sed perfectus, summè bonus, infinitæ potentię, immutabilis et æternus, in quo est perfecta rerum cognitio, qui non necessitate aliqua, sed voluntariè agit, omniumque rerum habens prouidentiam: cuius contemplatio est finis humanæ vitæ.

Christiana sola Religio quam profitentur Catholici bona demonstratur.

QVi igitur vtrumque testamentum cum naturali lumine fideliter tenent, cum his, quæ tenet sacrosancta, Catholica, atq; Romana Ecclesia, Christiani verè sunt naturalem scientiam, supernaturalemque amplectentes, ac præ omnibus rectè sentientes. Nullaque alia rationibus, ac miraculis Christianę Religioni conferri potest, quæ tantò cæteras omnes excedit, quãto est Cœlum terra sublimius, quantumuè lux à tenebris differt; nam vita Christiana ad hoc potissimum tendit, vt posthabitis creaturis omnibus tam spiritualibus, quàm corporeis, per contemplationem, et amorem se totam in Deũ transfundit, et fit vnus spiritus cum Deo. Cum ergò

ergò potior inueniri nequeat vita, quàm hæc, quæ hominem suo principio, et vltimo fini coniungit, patet nullam vitam Christiana esse meliorem, quæ nihil contra rectam rationem agit, et facit, relictis omnibus soli Deo se se coniungere: præterea duo sunt, quæ ad bonam vitam principaliter requirũtur videlicet finis bonus, et medium tendens ad ipsum; finis autem est duplex, videlicet finis cuius, et finis quo. hoc est ipsa res, ad quã tenditur, eiusque fruitio. Cum igitur nihil præstantius, ac melius Deo possit excogitari, atque Christiani humanæ vitę finem statuant Deum, cuius gratia omnia faciunt, perspicuum est, quo ad hoc nullum finem inueniri posse meliorem. Fides quoque ad visionem, et fruitionẽ Dei non per creaturas, sed per essentiã aspirat; quo nullus perfectior actus reperitur; dũ.n. per apertã visionẽ, et fruitionem Deo coniungitur homo, vltima confirmatione perficitur, supra qua nihil amplius optare licet: cum Deus sit bonum, quo nihil maius excogitari possit; talis igitur est finis cuius, et finis quo Religionis Christianę; medium verò transeundi ad veritatis primæ contemplationem, est puritas cordis; oportet.n. finem cum medijs habere proportionem; ad ipsius autem Dei cognitionem magna exigitur extasis, cum sit intelligibilium supremum, extraque omnia sensibilia: ideòque ad id est necessaria, et exquisitissima animi purgatio, id est à sensibilium amore, et implicatione ad inuisibilium cognitionem amoremque eleuatio:

eleuatio; purum.n.dicitur, quod inferiori naturæ non admiſcetur; præterea cum duplex ſit cultus, interior ſcilicet, et exterior (debet.n. Deus dupliciter ab hominibus venerari, ſpiritu videlicet, et corpore) Interior cultus eſt, qui Deo per operationem intellectus, et voluntate exhibetur: Exterior verò, qui per corporis officia, cæremoniasque, et ſacrificia impenditur; interiorem aũt verũ Dei cultum dicimus eſſe rectitudinem, ac perfectionem vitæ hominis interioris, qua Deus maximè honoratur. Si igitur cultus interior verus eſt, manifeſtum eſt exteriorem efficere, vel ſignificare veritatem; cultus.n.exterior Chriſtianæ Religionis, aut efficit, aut ſignificat interiorem; cum ergò alter alteri reſpõdeat, verus eſt etiam cultus exterior, ordo etiam, et ſignificatio eorum, quæ in Eccleſia geruntur, non humanum inuentum, ſed diuinam diſpoſitionem oſtendunt: patet præterea Chriſtianum cultum eſſe verum tam ex intrinſecis effectibus quàm etiam ex extrinſecis. Vnus autem ex potiſsimis effectibus intrinſecis eſt pax mentis, et gaudium, animiq; libertas; nam verus Chriſtianus nullis quaſſationũ, aut perturbationum procellis mouetur: ſed magis in confeſsione, et fide Chriſti ſtabilis permanet, et in tribulationibus gloriatur; effectus autem intrinſecus ex Chriſtianorum vita colligitur in exteriore homine, maxime apparens, tam in moribus quàm in ipſa indole diuinum pariter redolens quiddam, propter quod multi

eos reuereri, et quodammodo colere impellun tur; vndè superbos, atque feroces animos venerandus humilium aspectus compescens sæpè deterruit, sicuti summouit B. Leo Pontifex Attilam, et S. Benedictus Totilam, et S. Ambrosius Theodosium Imper. Huius ergò effectus causam esse dicimus pulchritudinem animi supernaturalem, idest gratiam Dei intellectum, et voluntatem, aliasque animæ partes decorantem. Et hæc, quæ scripta sunt in hac summa sint omnia dicta ad laudem, et gloriam omnipotentis Dei, Patris, et Filij, et Spiritus Sancti, et omnium Sanctorum, subijciens me in omnibus, et singulis, Iudicio, atq; censu ręsacrosanctę Romanæ atq; Catholicæ Ecclesiæ

Amen.

FINIS.

ERRATA ITA CORRIGE.

Excisсor lege ercisсor pag. 2. ver. 9.
Citra Circa pag. 10. ver. 5.
Prædicatione Prædicante pag. 14. ver. 25.
Vtriusque Vtrisque pag. 15. ver. 14.
Falsi Falsi pag. 17. ver. 14.
Confensionem Confessionem pag. 17. ver. 18.
De eo De his pag. 31. ver. 17.
Præfacti Præfati pag. 55. ver. 20.
Cap. Cap. 4. pag. 73. ver. 24.
Credo resurrectionem mortuorum Tertia die resurrexit à mortuis pag. 106. ver. 30.
Conc. Constantiense; adde approbatum per Martinum v. super condemnatione Iohan. Vuicleph. et Iohan. Huss.
Docere Ducere pag. 130. ver. 29.
Diuina adde et ex infusa gratia spiritus sancti pag. 181. ver. 26.
Sola fides adde formata tamen charitate pag. 181. ver. 30.
Nuptiarunt Nuptiarum pag. 185. ver. 26.
Eam ea pag. 226. ver. 2.
Prof. ess. Professi pag. 226. ver. 19.
Sentiere Sensere pag. 228. ver. 13.
Inobedientiam adde omnem pag. 131. ver. 16.
Inuencta Inuenta pag. 265. ver. 18.
Cap. fin. 24. q. 3. lege semper cap. pen. 24. q. 3. pag. 294. ver. 24. et pag. seq.
quam qua pag. 300. ver. 10.
Istius Iustius pag. 308. ver. 7.
Tenuit Renuit pag. 349. ver. 21.
Liberationis Deliberationis pag. 354. ver. 18.
Connubens Concubens pag. 358. ver. 10.
Damnatur Damnat pag. 364. ver. 4.
Nouitianorum Nouatianorum. pag. 364. ver. 5.
Amon Amos pag. 389. ver. 31.
quiesant quiescant pag. 340. ver. 9.

Nos Frater Dionisius Constacciarius Hereticæ prauitatis Inquisitor generalis Florentiæ, & Florentini Dominij licentiam imprimendi concedimus die 26. Septembris. 1580.

Ego Cosmus Philiarcus Canonicus, & Theologus Florentinus librum hunc vidi, et catholicum, et vtilem esse inueni die 26. Septembris. 1580.

Ego frater Thomas boninsignius Senensis ordinis prædicatorum sacræ Theologiæ in Studio Florentino publicus professor, & à Reuerendissimo D. Archiep. Florentino specialiter deputatus ad libros videndos, librum hunc tanquam pium, Catholicum, et Religioni Christianæ valdè vtilem existimo, et imprimendi facultatem facio die 22. Febbr. 1580.

DE PLVRIBVS SPECIEBVS INFIDELITATIS.

DE Schismaticis	465
De Hæreticis	481
De Idolatria	644
De Idolis, & Idolatris	652
De Sacrificijs Idolatrarum	699
Epilogus totius operis	711
Philosophorum Religio vana	712
Astrologorum superstitio tollitur.	718
Diuinatio vana repellitur	722
Idolatria damnatur.	723
Iudæorum perfidia confutatur	727
Hæreticorum pertinacia conuincitur	757
Mahumetanorum ritus confunditur	770
Atheistarum secta reijcitur	774
Religionem Christianam, quam Catholici profitentur veram esse, quæ ad salutem ducit demonstratur.	778

INDEX HÆRESVM QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

QVÆSTIONVM INDEX

HAEresis quid sit. quæst. 1. pag. 1
Scripturæ canonicæ quæ sint, quibus hæreses cõ uincẽdę sunt. quęst. 2. 2
Sola sedes Apost. aut generale Concilium de hæresi censet. quæst. 3. 9
Hęreticus quis sit dicẽdus, et qs Hæresiarca. q. 4. 10
Causæ, quibus hæreses nascuntur. quæst. 5. 11
Hæretici qualiter agnoscãtur. quæst. 6 17
Differentia quorundã propositionum hæreticarũ, erronearum, scandalosarum et similium. q. 7. 18
Pertinax quis dicat. q. 8. 21
Delicta, quæ sapiunt hæresim, quæ dicãtur. q. 9. 23
Suspecti de hæresi qui dicãtur esse. quæst. 10. 30
Relapsi qui dicant. q. 11. 33
Quibus modis procedatur cõtra hęreticos. q. 12. 34
Pœnæ, quibus hæretici plectantur. quæst. 13. 35

INDEX HAERESVM.

A

Absolutio pag. 38
Adam, & Eua 41
Adoratio 47
Aduentus 628
Adulterium 53
Altare 630
Angelus 53
Anima 54
Annus 59
Antichristus 609
Apostata 60
Apostoli ibid.
Appellare 629
Aqua 62
Arcangeli 63

B

Baptismus 63
Beatitudo 77
Bellum 84
Benedictio 86
Bestia, & Brutum ibid.

C

Cain 87
Calceamentum ibid.
Canon Missæ 630
Canones Apostolorũ 642
Cantus 88

Caput 91
caro, & corpus humanũ. 91
Cælibatus 92
Cæremoniæ, & Ritus. 615
Certitudo 93
Character ibid.
Charitas 94
Christus 95. & 633
Cibus 107
Circumcisio 111
Clerici 638
Coitus 112
Communio 626
Communis vita 114
Concilium ibid.
Confessio 118
Confirmatio 120
Consilium 122
Contritio ibid.
Corpus 124
Corpus Christi 629
Correctio 124
Creatura ibid.
Crux 125

D

DAEmon 633
Dæmones 127
Damnari 125
Decimæ 126
Decretales 642
Desperatio ibid.
Deus ibid.
Diabolus 137
Dies 138
Dies Dominica 632
Dispensatio 639
Doctores 613
Dos Ecclesiæ 628

E

ECclesia 138
Electio Pontificis 629
Eleemosyna 146
Episcopus 147
Euangelium 148
Eucharistia 151
Excommunicatio 170
Exorcismus 172

F

FAtum 174
Fœminæ 616
Festi dies 175
Fides 176. & 632
Fiducia 190
Filius Dei 194
Fornicatio 195
Francisci habitus ibid.
Futurum contingens. ibid.

G

GLadius 631
Græci 215
Gratia 197

H

HAEreticus 215
Homo 216
Horę canonicæ 217
Hostia 219
Humanum ibid.

I

IAnua 627
Idolatria 219
Ieiunium 220
Iesus 626
Imago 224
Impeccabilis 227
Imperator 638
Indulgentia 227
Inferi 615
Infernus 228
Inimicus 230
Iniuria 231
Inobediens ibid.

Intentio 631
Interpretatio 613
Inuestitura 640
Ioan. Baptista 231
Iudas 232
Iudex ibid.
Iudicium 233. & 631.
Iuramentum 234
Iurisdictio 237
Iustificatio 238
Iustitia 636
Iustus 239

L

Labor 239
Lacrymæ 633
Layci 243
Lex 244
Libertas 246
Libido 258
Limbus 616
Lingua 258
Literæ sacræ 634

M

Malum, & Malitia 259
Mandata 264
Maria Virgo ibid.
Martyrium 267
Matrimonium 270
Medicina 628
Melchisedech 270
Mendacium 271
Mendicitas 274
Meritum 275
Miraculum 277
Misericordia 279
Missa ibid.
Monachatus 290
Monumentum 627
Mors Christi 625
Motus primi 637
Mulier 290
Mundus 292

N

Natalis Domini 641
Natura humana, & diuina 636
Negantes 294
Nox ibid.
Nuditas ibid.
Nuptiæ 295

O

Obedientia 312
Occidere 313
Officia 625
Opera 314
Oratio 328
Ordines 333
Ordo Sacramentum ibid.
Oua 334

P

Panis 335
Papa ibid.
Parochus 639
Pascha 342
Paulus 638
Paupertas 342
Peccatum 345
Peregrinus 366
Perfectio 367
Persona ibid.
Petrus 614
Philosophia 367
Pœnitentia 359
Potestas 367
Præceptum 369
Prædestinatio 380
Prædicatio 385
Præscientia 388
Prophetia 389
Proprium 390
Pueri 631
Purgatorium 390

R

Regnum Dei 397
Reliquiæ Sanctorũ 398
Remissa peccata 612
Restitutio 399
Resurrectio 400. & 633
Romana Ecclesia 404

S

Sacerdotium 404
Sacramenta 417
Sacrificium 418
Saluari ibid.
Sancti ibid.
Satisfactio 422
Seculares 617
Scientia 423
Scriptura sacra ibid.
Sepultura 426
Serpens ibid.
Seth ibid.
Silentium ibid.
Simonia 427
Spes 428
Spiritus Sanctus 430
Status 640
Studia generalia ibid.
Subditus 431
Subterranei 639
Suffragia Defunctorũ 432

T

Templum 433
Tentatio 434
Terra 435
Testamentum 612
Timor Dei 435
Tonsura 643
Traditio 437
Translatio scripturarũ 634
Tributum 637
Turificatio 640
Tyrannus 437

V

Verecundia 439
Vidua 440
Vinum 441
Virginitas ibid.
Virtus 446
Visio 447
Vita æterna ibid.
Vnctionis extremæ Sacramentum ibid.
Votum 451
Vsura 462
Vxor 463.& 641

INDEX HAERETICORVM.

A

Abelonii, siue Abelani, vel Abelonitę pag. 481
Ablabius 482
Abstinentes ibid.
Acacius ibid.
Acephali 483
Acesius ibid.
Achillas ibid.
Adamæi, siue Adamiani, vel Adamitæ 484
Addam Manichęus ibid.
Adelphius 485
Adessenarii ibid.
Adiaphoristæ ibid.
Aegydiani 486
Aeriani, seù Aerii ibid.
Aetiani 487
Agapetæ ibid.
Agareni ibid.
Aginnenses 488
Agnoetæ ibid.
Agonychitæ ibid.
Agrippiniani 489

Airani ibid.
Albanenſes ibid.
Albigenſes, ſiue Albii, vel Albigeſæi 490
Alexander Aerarius ibid.
Alexander Baucalis ibid.
Alexander Latro ibid.
Alaſcus 491
Algazel ibid.
Almaricus ibid.
Alogi, ſiue Alogiani 492
Amantius, ſiue Palladius ibid.
Ambroſiani ibid.
Ammonius 493
Amsdorffiani ibid.
Anabaptiſtæ ibid.
Anaſtaſius Imp. ibid.
Andræas muſculus 494
Andreas Oſiander ibid.
Angelici ibid.
Angelitæ ibid.
Annianus 495
Anomi, ſiue Anomœi ibid.
Anthimus ibid.
Anthropomorphitæ, ſeù Vadiani 498
Anticaluiniani 496
Antichriſtiani ibid.
Antidæmoniaci 497
Antidicomarianitæ, ſiue Antimariani 496
Antidiaphoriſtæ 497
Antiluterani 497
Antinomi 498
Antiſtancariani ibid.
Antiſuencfeldiani 497
Antoſiandrini 499
Apellitæ ibid.
Aphthartodocitæ ibid.
Apocaritæ 500
Apochryphi 499
Apollinariſtæ 500
Apoſtolici, ſiuè Apotactici ibid.
Aquarii 501
Aquila ibid.
Arabici 502
Archontici ibid.
Armacanus 501
Armeni 503
Arnaldiſtæ ibid.
Arnoldus à Villa noua. 504
Arnoldus Mõtanerius. ib.
Arrabonarii 502
Arriani 503
Artemon 504
Artotyritæ ibid.
Aſclepiadotæi 505
Aſcodrogitæ ibid.
Aſſuritani ibid.
Aſtharitæ, & Aſtharotitæ 506
Aſtherius Sophiſta ibid.
Athei ibid.
Audæani ibid.
Auguſtiniani 507
Auricularii ibid.
Auxentius ibid.

B

Baalitæ 507
Baculares ibib.
Baiolenſes 508
Balaamitæ ibid.
Balatius ibid.
Balthaſar 509
Barbara ibid.
Barbas Anthiochenus ib.
Bardeſaniſtæ ibid.
Barlaamus, & Acyndimus 510
Bartholomæus ibid

Barulus ibid.
Basilidiani 511
Bassus ibid.
Batemburgici ibid.
Bayras ibid.
Bedricus 512
Begardi,& Beguinæ. ibid.
Belitæ ibid.
Belliani ibid.
Berengarius ibid.
Bernardinus Ochinus. 513
Bertoldus ibid.
Bertramus ibid.
Beryllus ibid.
Bezanitæ 514
Bibliſtæ 514.& 634
Biſſacramentales ibid.
Biſochi ibid.
Blaſtus 515
Bogomiles ibid.
Bohemi ibid.
Bononatus 516
Bonoſiaci 515
Borboriani 516
Boquinii ibid.
Brachitæ ibid.
Brentius 517
Bucerus ibid.
Buddas 518
Bugarus ibid.
Bulgari ibid.

C

CAcangelici 518
Caianani,ſeù Caiani ib.
Calicularii 519
Calviniſtæ ibid.
Campaniſtæ ibid.
Campates ibid.
Campenſes 520
Carolſtadius ibid.
Carolus ibid.
Carpocratiani 520
Caſtaleo ibid.
Cataphrygii,ſeù Cathaphrygæ 521
Catharı ibid.
Catharialii, ſiuè Catharıſtæ ibid.
Cerdoniani 522
Cerinthiani ibid.
Chazinzarii ibid.
Chiliaſtæ 523
Chriſtoliti 524
Chriſtophorus Goodmannus 523
Chriſtophorus Schaplerus ibid.
Circuncelliones 524
Clancularii ibid.
Claudius ibid.
Cleobiani ibid.
Colluthiani 525
Cœleſtiani 522
Collyridiani 525
Coloıboſii ibid.
Communiahabentes & 526 632
Concordenſes, ſeù Cozocenſes ibid.
Condormiētes 526.& 633
Confeſsioniſtæ 526
Cononitæ ibid.
Conſtans Imp. 527
Conſtantinus v Imp. ibid.
Conſtantinus vi.Imp. ibid.
Conſtantius Imp. ibid.
Contobabditæ 528
Coptı ibid.
Coſmiani ibid.
Coterelli ibid.
Cozocenſes 529
Creſconius ibid.

Crispinus ibid.
Crotaldus ibid.
Cynici ibid.

D

Dadoes 530
Dæmoniaci. 530. 632
Dauid Dinantius 531
Dauidici 530
Deistæ 531
Desiderius ibid
Desiderius Longobardus ibid.
Deuterius ibid.
Dicartitæ 532
Dimœritæ ibid.
Dimophilus ibid.
Dioscorus ibid.
Diotrephes 533
Discalceati ibid.
Donatistæ ibid.
Dorotheus ibid.
Dositheus 534
Dulcinus ibid.
Durandus ibid.

E

Ebionitæ 534
Ecebolus ibid.
Eiulantes 535
Elchesaitæ ibid.
Eleusius ibid.
Elpidius 536
Eluidius ibid.
Elymas 535
Emeritus 536
Encratitæ ibid.
Energici ibid.
Enthusiastæ 537
Epicurei ibid.
Eraclitæ ibid.
Essæi ibid.
Euangelici 538
Euchitæ ibid.
Eudo ibid.
Eudoxius ibid.
Eunomiani ibid.
Euphratas 539
Eupsychiani ibid.
Eusebius Archieunucus ib.
Eusebius Nicomediēsis ib.
Eustathius 540
Eutychiani ibid.
Euzoius ibid.

F

Falsi Prophetæ 540
Farelliſtæ 541
Faustus ibid.
Felicianus ibid.
Felix Manicheus ibid.
Felix alius ibid.
Flagellantes 542
Flauitas ibid.
Florinus ibid.
Fortunatianus 543
Fortunatitæ ibid.
Fortunatus 542
Fraticelli 543
Fulgentius ibid.
Functius 544

G

Gainas 544
Gainitæ ibid.
Galatę ibid.
Galla ibid.
Gaudentius 545
Genſericus ibid.
Georgiani ibid.
Georgius Alexand. ibid.
Georgius Laodicēsis ibid.
Georgius dauid ibid.
Gherardus 546
Gilbertus ibid.
Gnosimachi ibid.
Gnostici

Gnostici ibid.
Gortheus ibid.
Gotthi 547
Græci ibid.
Guido de Lacha ibid.
Guilhelmus de.S. Amore ibid.
Guilhermus Cornelius ib.

H

HAmstedii 548
Harmonius ibid.
Heiecetæ ibid.
Helchesaitæ ibid.
Heliognostici ibid.
Heluidiani 549
Hemerobaptistæ ibid.
Henriciani ibid.
Henricus Bullingerus ib.
Henricus de Sænis ibid.
Heracleonitæ ibid.
Hermas ibid.
Hermanus Italus 550
Hermanus Rissuich. ibid.
Hermogeniani ibid.
Herodiani ibid.
Heron apostata ibid.
Heshusii 551
Hidroparastatæ ibid.
Hierarchitæ ibid.
Hieronymus ibid.
Hilarius ibid.
Honorius ibid.
Hugonistæ 552
Hussitæ ibid.
Hutitæ ibid.
Hymenęus ibid.
Hypsistarii ibid.

I

IAcobellus 552
Iacobitæ 553
Iacobus Iustus ibid.
Iacobus Prępositi ibid.
Ibas Ediſſenus ibid.
Iconoclastæ ibid.
Idolatræ hæretici 554
Ienenses ibid.
Ignoitæ ibid.
Illyricani ibid.
Indiani ibid.
Infernales 555
Insabbatati ibid.
Interimistæ ibid.
Inuisibiles ibid.
Ioachimus Abbas ibid.
Ioannes à Lasco 556
Ioannes Behalim ibid.
Ioannes de Leiden ibid.
Ioannes de Poliaco 558
Ioannes de Rocsesana 557
Ioannes de Zisca ibid.
Ioānes Oecolāpadius 556
Ioannes Paruus 557
Ioannes Philoponus 558
Ioānes Præmōstratēsis 557
Ioannes Roatius ibid.
Ioannes Spāgebergus 556
Ioannes Vuestphalus 557
Ioannes Vuicleffus 556
Iouinianus 558
Ischariotistę 569
Isini 5[illegible]
Iudas Iscariotes ibid
Iudęorum hæreses 559
Iulianus Apostata ibid.
Iulianus Capuanus ibid.
Iulianus Halicarnaseus ib.
Iustificatorii hęretici ibid.
Iustina ibid.

K

Kemnitius 560

L

Laicocephali 560
Lamperiani ibid.
Leo Imp. ibid.
Liberi ibid.
Libertini ibid.
Licinius 561
Loiſtæ ibid.
Lollardi ibid.
Lucas ſternberzer ibid.
Lucianus 562
Lucianus Conſt. Epiſcopus 561
Luciferiani ibid.
Lucilla 562
Lucius Alexandrinus ib.
Ludoicus Alemani ibid.
Lulliſtæ ibid.
Luterani 563

M

Macarius 564
Macedoniani 563
Mahometes 564
Maiorani 566
Maiorinus ibid.
Manichei ibid.
Manifeſtarii 567
Mansfeldenſes ibid.
Manuſimpoſitorii ibid.
Marathonius ibid.
Marcellus ibid.
Marcion 568
Marcus ibid.
Marinus ibid.
Maris Calced. Epſs. ibid.
Maronitæ ibid.
Marſilius 569
Martyriani ibid.
Matbotheus ibid.
Mathematici ibid.
Maximilla 570. & 585
Maximinus Eiſcopus 569
Melanchthonici 570
Melchioritæ ibid.
Melchiſedechiani ibid.
Meletiani ibid.
Menandriani 571
Menas Diaconus ibid.
Mennonitæ ibid.
Menophantus ibid.
Meſſaliani 569
Metamorphiſtæ 571
Metangiſmonitæ 572
Michael ibid.
Molochitæ ibid.
Monaſterienſes ibid.
Monophyſitæ ibid.
Montaniſtæ 573
Moſes falſus ibid.
Mundanitæ ibid.
Muntzerici ibid.
Muſcalani 574
Muſcharonitæ ibid.
Muſoritæ ibid.

N

Narciſſus 574
Nazarei ibid.
Nepos Epiſcopus ibid.
Neſtorius 575
Neutrales ibid.
Nicolaitæ ibid.
Nicolaus Galecus ibid.
Noetiani 576
Nouatiani ibid.
Nudipedes ibid.
Nyctages ibid.

O

Olipius 576
Ollarii 577
Ophitæ ibid.
Orebitæ ibid.
Origeniſtæ ibid.

Orphani ibid.
Osiandriani 578
Osseni ibid.

P

Pacifici 578
Parermeneutæ ibid.
Parmenianistæ ibid.
Pascentius 579
Paschatitæ 578
Passionistæ 579
Pastillarii ibid.
Pastoricidę ibid.
Paterniani ibid.
Patriciani ibid.
Patrapassiani 580
Pattalorinchitæ ibid.
Paulus Samosatenus. ib.
Pauperes de Lugduno. ib.
Pelagius 581
Pepuzitæ ibid.
Petilianus ibid.
Petrus Abailardus 582
Petrus Cnaphæus ibid.
Petrus de Bruis 581
Petrus Dresensis ibid.
Petrus Ioannis 582
Petrus Martir ibid.
Petrus Olerii ibid.
Pharisæi ibid.
Philetus ibid.
Phitonissæ 583
Photinus ibid.
Pikardi ibid.
Pneutomachi ibid.
Pœnitentiarii 584
Poligamistæ ibid.
Porphyrius ibid.
Postellani ibid.
Praxeas ibid.
Prædestinati 585
Præmõstratẽsis Apostat. ib.
Prisca ibid. & 570
Prisscillianus ibid.
Procopius 586
Proculus ibid.
Prodianitæ 584
Prodicus 586
Psalliani ibid.
Pseudoapostoli ibid.
Ptolemæus 587
Publicani ibid.
Puritani ibid.
Puteoritæ ibid.

Q

Quadrisacramẽtales 587
Quatuordecimani 588
Quintianus ibid.
Quintilliani ibid.
Quintinus ibid.

R

Ranatitæ 588
Raymũdus Lullius ib.
Reiudaizantes 589
Rhetorii ibid.
Rhuteni ibid.
Rochezana ibid.
Rogatiani ibid.
Rysuicani 590

S

Sabbas 590
Sabbatarii ibid
Sabbatius ibid.
Sabellius ibid.
Sabinus 591
Sacramentarii ibid.
Sadducæi ibid.
Samaritani ibid.
Sampsæi ibid.
Sancosetani. ibid.
Sanguinarii 592
Sarrabaitæ ibid.
Satanistæ ibid.

Saturninus

Saturninus ibid.
Schismatici ibid.
Scripturarii ibid.
Sectarii 593
Secundinus ibid.
Secundus ibid.
Secundus alius ibid.
Seleuciani, et Hermiani ib.
Semiarriani 594
Semichristiani ibid.
Semiluterani ibid.
Semiosiandriani ibid.
Sepulcrales ibid.
Serenus ibid.
Sergius Patriarca. 595
Sergius Pseudomonac. ib.
Serpenticulæ ibid.
Serras ibid.
Seruetiani ibid.
Sethiani ibid.
Seueriani 596
Seuerus Episcopus ibid.
Significatiui ibid.
Simoniaci ibid.
Sisinius Episcopus 597
Spirituales ibid.
Stableri ibid.
Stancariani ibid.
Stephanus Episcopus ibid.
Suencfeldiani ibid.
Symmancus 598
Syncretizantes ibid.
Syrus ibid.

T

Tandemus 598
Tascodrugitæ ibid.
Tatiani 599
Templarii ibid.
Tertullianistæ ibid.
Tessarescedecatitæ 600
Tetraditæ 599
Thaboritæ 600
Thebutes ibid.
Thenotopsychitæ 602
Theocatagnostæ 601
Theodorichus ibid.
Theodorus 600
Theodosiani 601
Theodotion ibid.
Theodotus ibid.
Theognis 602
Theonas ibid.
Theopaschitæ ibid.
Theophronius ibid.
Thomas Manichæus ibid.
Timotheus Aelurus 603
Timotheus Apollinaris hę-
retici discipulus ibid.
Tophetitæ ibid.
Trinitarii 604
Trisacramentales ibid.
Troglodytæ ibid.
Tropistæ ibid.
Turilupini ibid.

V

Vadiani 604
Valens Imp. 605.
Valens, et Vrsicinus Epi-
scopi ibid.
Valentiniani ibid.
Valentinistæ 606
Valesii 605
Varimandus 606
Vbiquetii ibid.
Venustiani ibid.
Vergerius ibid.
Vigilantius ibid.
Vitalis 607
Vncti ibid.
Vualdenses ibid.
Vuelfgangus ibid.
Vuiclephius ibid.

X

Xenaias 607

Z

Zeno Imp. 608
Zuinglius ibid.

IDOLATRARVM INDEX.

A

Acaron 652
Adad ibid.
Adeona, et Abeona 653
Adonis vel Adon ibid.
Adramus ibid.
Aegeria ibid.
Aeolus ibid.
Aeternitas 665
Aeuiterni 653
Agenoria ibid.
Aguar 654
Aiuslocutius ibid.
Alabandus ibid.
Albunea ibid.
Alecto, Tisiphone, & Megera ibid.
Amanus, & Anandatus ib.
Amicitia ibid.
Amphiarus 655
Amphilocus ibid.
Anaitis Venus, vel Diana ibid.
Anculi, & Anculæ ibid.
Angenoria, & Tacita 656
Animales geniti ibid.
Animalia ibid.
Anna Perenna ibid.
Antinous ibid.
Antithei ibid.
Apollo ibid.
Appiades 657
Aquæ elementum ibid.
Arculus ibid.
Ars, & Paupertas ibid.
Astarte ibid.
Aten ibid.
Atergatis ibid.
Atezcatlipuca ibid.
Auerruncus ibid.
Aues ibid.
Aurora ibid.
Auxesia, & Damia 658

B

Baccus, seu Dionysius 658
Bellona ibid.
Beneficium, & Pœna ibid.
Bessas 659
Bonus ibid.
Bonus euentus ibid.
Brizo ibid.
Bubona ibid.

C

Cabiri 659
Cabrus ibid.
Caca ibid.
Calũnia, & Impudẽtia ib.
Camasel 660
Canopus ibid.
Carmelus ibid.
Carna ibid.
Castor, & Pollux ibid.
Catius 661
Ceres ibid.
Charon ibid.
Cibele ibid.
Cimi ibid.
Clementia ibid.
Cleomedes ibid.
Claocina ibid.
Clotho ibid.
Collina 662
Communes Dei ibid.

Comus ibid.
Concordia ibid.
Conisalus ibid.
Coronis ibid.
Crephagenetus ibid.
Culices 663
Cunina ibid.
Cupido ibid.

D

Damia,& Auxesia 663
Dæmones 663
Decerto ibid.
Deuerra ibid.
Diabolus ibid.
Diana ibid.
Discordia 664
Diuipotes ibid.
Domiducus ibid.
Domitius ibid.
Drimacus ibid.

E

Dusa 664
Elcoth ibid.
Enenthius 665
Epies ibid.
Erechtheus ibid.

F

Fabulinus 665
Falacer ibid.
Fama ibid.
Fauor 666
Febris ibid.
Febrius ibid.
Felicitas 667
Ferentina 666
Feronia 667
Fessonia ibid.
Fides ibid.
Flora ibid.
Forculus ibid.
Fornax ibid.
Fortuna 668
Frigha ibid.
Froes 669
Fulgora 661
Furina 669

G

Genius 669
Glaucus ibid.
Gratiæ, vel Charites ibid.
Guamaonocon ibid.

H

Hadingus 670
Harpocrates ibid.
Hebe ibid.
Heres Martea ibid.
Heliogabalus ibid.
Herbæ ibid.
Hercules ibid.
Hippona ibid.
Honor 671
Horchilaus ibid.
Horta ibid.
Hostilina ibid.
Hymenæus ibid.

I

Janus 671
Ignis ibid.
Indigetes 672
Intercido ibid.
Inuidia ibid.
Iocahuna ibid.
Iris ibid.
Isis 673
Ismael ibid.
Iugatinus ibid.
Iuno ibid.
Iuppiter ibid.
Iustitia 675
Iuturna 676

L

Lactucinia 676
Lares ibid.
Lateranus ibid.
Lauerna ibid.
Leones ibid.
Leuana ibid.
Libentina 677
Libertas ibid.
Luna ibid.

M

Manes 677
Manturna ibid.
Marica ibid.
Marini Dei ibid.
Mars ibid.
Materæ 678
Matlaucuie ibid,
Matura ibid.
Meditrina ibid.
Mellona ibid.
Mena ibid.
Mens ibid.
Mephitis ibid.
Mercurius ibid.
Methotin 679
Minerua ibid.
Minutius ibid.
Misericordia ibid.
Mozim ibid.
Momus ibid.
Murcea vel Murcia ibid.
Myiagrus ibid.

N

Nascio, seù Natio Natagai 680 ibid.
Necessitas, & Violētia ib.
Nemesis ibid.
Nemia 681
Nenia ibid.
Neptunus ibid.
Nereus ibid.
Nixi ibid.
Nodotus ibid.
Nouensiles ibid.
Nox ibid.
Numeria 682
Nundina ibid.
Nymphæ ibid.

O

Occasio 682
Ochilubo 683
Oceanus ibid.
Oden ibid.
Ogoas ibid.
Ometoctli ibid.
Orbona ibid.
Ossilago ibid.

P

Ales 683
Palicus 684
Palmytius ibid.
Pammyles ibid.
Pan ibid.
Panda ibid.
Panniculus rubeus ibid.
Partunda ibid.
Patalena ibid.
Pataici, seù Patæci ibid.
Pauentina ibid.
Pauor, & Pallor ibid.
Paupertas, & Ars 685
Pax ibid.
Pecunia ibid.
Pellonia ibid.
Penates ibid.
Perfica, & Pertunda ibid.
Picus ibid.
Pietas ibid.
Pilumnus 686
Pitho ibid.
Pluto ibid.

Plutus ibid.
Pœna, & Beneficium ibid.
Pollux, & Castor ibid.
Pomona ibid.
Populonia ibid.
Portunas 687
Potina ibid.
Potniades 688
Praxidicen 687
Preces ibid.
Prema ibid.
Prosa, vel Prorsa & Postuerta 688
Proserpina ibid.
Proteus ibid.
Prouidentia ibid.
Pudicitia ibid.
Pudor ibid.
Pulex ibid.
Puri 689

P

QVies 689
Quecadquaal ibid.
Quirinus ibid.

R

RAnæ 690
Rediculus 689
Reges ibid.
Res ibid.
Rhea ibid.
Risus ibid.
Rostarus 690
Rubigus ibid.
Rumina vel Rumia ibid.
Runcina ibid.
Rusina, vel Rurina ibid.

S

SAlacia 690
Salus ibid.
Sangus 691
Saron ibid.
Saturnus 691
Securi ibid.
Seia ibid.
Selecti Dei 692
Semidei ibid.
Semones ibid.
Sentia ibid.
Sentinus ibid.
Serpentes ibid.
Sol ibid.
Somnus 693
Sogomombar Can ibid.
Spes ibid.
Stata ibid.
Statilinus, sçù Stabilinus ibid.
Strema, vel Strenia ibid.
Subigus 694
Sydera 694
Syluæ 694

T

TAcita, & Angenoria 694
Tages 694
Tambarane 694
Tambarme 694
Tanais 694
Taxippus 694
Tenes 694
Terminus 694
Terra 695
Tezcatleuca 695
Thalassus 695
Theagenes 695
Theleſphorus 695
Themis 695
Thor 695
Timor 695
Tinea 695
Tonitrui 695
Triton 695
Tutallina 696

V

VAccæ 696
Vagitanus ibid.
Vagnostus ibid.
Venus ibid.
Veritas ibid.
Vertanus ibid.
Vespertiliones 697
Vesta ibid.
Vestibulares, seù Perstructores ibid.
Vetula ibid.
Victolopuchtli ibid.
Victoria ibid.
Virginensis ibid.
Viriplaca ibid.
Virtunnus 698
Virtus ibid.
Volumnus ibid.
Voltumna ibid.
Volupia ibid.
Volutina ibid.
Vulcanus ibid.

Z

Zamolxis 698

REGISTRVM.

† ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vu Xx Yy Zz

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee.

Omnes sunt quaterniones præter † Ddd Eee qui sunt duerniones.

Apud Bartholomæum Sermartellium.
MDLXXXI.